




14306



*Ex Bibliotheca Conventus  
Sandorici L. P. Reformatoris*

UNIVERSITY OF TORONTO  
1852  
MILK & H.

R. P. FRIDERICI A JESU  
CARMELITÆ EXCALCEATI PROVINCIAE  
BAVARICÆ,  
OLIM S. THEOLOGIAE AC S. S. CANONUM  
LECTORIS,

QUÆSTIONES  
SACRÆ  
RESPONSIONIBUS  
CONCIONATORIIS

PRO OMNIBUS  
ANNI DOMINICIS, AC PRÆCIPUIS  
FESTIS  
IN UTILITATEM CONCIONATORUM  
EXPLANATÆ,  
QUIBUS  
PRO TRINA SEMPER CONCIONE  
MATERIA PRÆDICABILIS, AC  
DOCTRINA MORALIS  
SUBMINISTRATUR.

---

T O M U S II.

A DOMINICA PENTECOSTES USQUE AD  
DOMINICAM PRIMAM ADVENTUS.

---

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

---

AUGUSTÆ VINDELICORUM,  
SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER ET FILIORUM,  
MDCCLXXI.

1430612



14306

BIBLIOTEKI  
SEMINARIUM  
SANDOMIENSIS

*S. S. Reformatores Conventus  
Sandomiriensis*



CONSPECTUS  
QUÆSTIONUM SACRARUM  
PARTIS DOMINICALIS,  
COMPLECTENS  
DOMINICAS A DOMINICA  
PENTECOSTES USQUE AD  
PRIMAM ADVENTUS.

DOMINICA PENTECOSTES.

QUÆSTIO SACRA I.

Quare Christus Dominus sæpius in Evan-  
geliis promiserit Spiritum sanctum fore  
mittendum? pag. 1

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus Dominus sæpius promisit Spiritum  
sanctum fore mittendum, 1. ut homines  
pro ejusdem digna receptione debitas præ-  
mittant dispositiones, 2. specialiter autem  
per munditiam cordis.

THEMA.

*Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine  
meo. Joann. 14. v. 26.*

## QUÆSTIO SACRA II.

Quare cunctis nostris Actionibus præponenda  
est invocatio Spiritus sancti? pag. 8

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Præponenda est cunctis nostris actionibus in-  
vocatio Spiritus sancti, quia nihil possumus  
sine Spiritu sancto. 1. Qui est dux in via,  
2. & lux in tenebris.

## THEMA.

*Veni sancte Spiritus.* Ita Ecclesia.

## QUÆSTIO SACRA III.

Quid operatur in nobis Spiritus sanctus? 14

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Hoc operatur in nobis Spiritus sanctus, 1.  
ut ex hominibus malis nos faciat bonos,  
2. & ex bonis meliores.

## THEMA.

*Spiritus sanctus ille vos docebit omnia.* Joann.  
14. v. 26.

## DOMINICA SANCT. TRINITATIS.

SEU

## I. POST PENTECOSTEN.

## QUÆSTIO SACRA I.

Quid nos moveat ad venerationem sanctissimæ  
Trinitatis?



RESPONSIO CONCIONATORIA.

Ad venerationem sanctissimæ Trinitatis movent nos beneficia accepta a sanctissima Trinitate, 1. a qua habemus totum esse, 2. & totum bene esse.

THEMA.

*Benedicta sit sancta Trinitas.* Ita Ecclesia.

QUÆSTIO SACRA II.

Quomodo est adoranda sanctissima Trinitas? pag. 27

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Adoranda est sanctissima Trinitas, 1. simpliciter credendo, 2. credenda autem nullatenus perscrutando.

THEMA.

*Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Rom. II. v. 33.

QUÆSTIO SACRA III.

Quinam sunt illi, quibus magis se cognoscendam dat sanctissima Trinitas? 33

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Se magis cognoscendam dat sanctissima Trinitas illis, 1. qui præeminent humilitate, 2. & charitate.

THEMA.

*Revelasti ea parvulis.* Matth. II. v. 25.

DOMINICA II. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

Quare sacratissima Evcharistia vocetur coena magna? 40

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Sacratissima Evcharistia vocatur cœna magna, quia confert omnem benedictionem, 1. spiritualem, 2. & etiam temporalem.

## THEMA.

*Fecit cœnam magnam.* Luc. 14. v. 16.

## QUÆSTIO SACRA II.

Quinam sunt illi, qui ad cœnam invitati se excusant? pag. 48

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Illi se excusant venire ad cœnam, qui negligunt ad sacram communionem accedere, ad quam tamen accedendum est, 1. frequenter, 2. & simul ferventer.

## THEMA.

*Cæperunt simul omnes excusare.* Luc. 14. v. 18.

## QUÆSTIO SACRA III.

Quidnam nobis significetur, quod multi ad cœnam sint vocati? 56

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Quod multi ad cœnam sint vocati, significat nobis infinitam Dei misericordiam, 1. qua vult salutem omnium, 2. & omnibus salutis media confert.

## THEMA.

*Vocavit multos.* Luc. 14. v. 16.

DOMINICA III. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

Quid in nobis operentur hæc Evangelii verba: *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente?* pag. 64

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Hæc Evangelii verba operantur in nobis pœnitentiam, 1. quæ gaudium Christo facit, 2. & facere potest pœnitenti.

THEMA.

*Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15. v: 7.*

QUÆSTIO SACRA II.

Quinam sint illi, qui cum muliere evangelica accendunt lucernam, & everrunt domum? 71

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Illi cum muliere evangelica accendunt lucernam, & everrunt domum, qui faciunt examen conscientiaë 1. frequenter, 2. & diligenter.

THEMA.

*Accendit lucernam, & everrit domum. Luc. 15. v. 8.*

QUÆSTIO SACRA III.

Quare proximos nostros judicare non debeamus? 78

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Non debemus judicare proximos nostros, 1. quia nostrum judicium plerumque est fallibile, 2. & infallibili Christi judicio injuriosum.



## THEMA.

*Murmurabant Pharisei, & Scribæ. Luc. 15.  
v. 2.*

## DOMINICA IV. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

Quomodo nobis in hac vita est laborandum,  
ne frustra laboremus? pag. 85

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Ne frustra in hac vita laboremus, facienda  
est ad laborandum bona intentio? 1. sine  
qua nihil, 2. cum qua omnia Deo placent.

## THEMA.

*In verbo autem tuo laxabo rete. Luc. 5. v. 5.*

## QUÆSTIO SACRA II.

Quinam sint illi, qui tota nocte laborant, &  
nihil capiunt? 92

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Tota nocte laborant, & nihil capiunt, qui  
bona opera in statu peccati mortalis fa-  
ciunt, 1. nam peccator omnia merita per-  
dit, 2. nec ullum meritum in statu peccati  
gravis pro vita æterna colligere potest.

## THEMA.

*Per totam noctem laborantes nihil cepimus.  
Luc. 5. v. 5.*

## QUÆSTIO SACRA III.

Quale documentum sumere debeamus ex Pe-  
tri verbis: *exi a me, quia homo peccator sum,  
Domine?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Hæc S. Petri verba nobis sunt documento,  
ut culpas nostras fateamur, 1. humiliter,  
2. & candide.

THEMA.

*Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.*  
Luc. 5. v. 8.

DOMINICA V. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

Quomodo iustitia nostra plus, quam Phari-  
sæorum abundare debeat? 105

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Ut iustitia nostra plus, quam Pharissæorum  
abundet, 1. non est quærenda in oculis  
hominum, 2. sed Dei.

THEMA.

*Nisi abundaverit iustitia vestra plus, quam Scri-  
barum, & Pharissæorum, non intrabitis in  
regnum cælorum.* Matth. 5. v. 20.

QUÆSTIO SACRA II.

Cur Christus pronuntiet illum, qui fratri suo  
dixerit: *fatue*, reum esse gehennæ? 112

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus hæc dicens voluit ostendere, 1. quod  
contumelia proximo illata sit malum grave,  
2. & gravissima pœna dignum.

THEMA.

*Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.*  
Matth. 5. v. 22.

## QUÆSTIO SACRA III.

Quid faciendum est nobis pro reconciliatione cum fratre, quam Christus in Evangelio ita commendat? pag. 118

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Ut reconciliemur cum fratre, 1. offendentes offensis humiliter deprecemur, 2. & offensi offendentibus libenter ignoscamus.

## THEMA.

*Vade prius reconciliari fratri tuo.* Matth. 5. v. 24.

## DOMINICA VI. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

Quare Christus multiplicatis miraculose panibus saturaverit famescentem turbam? 126

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Saturavit Christus multiplicatis miraculose panibus famescentem turbam, ut ostenderet suam misericordiam, quam exhibet, 1. bonis, 2. & malis.

## THEMA.

*Misereor super turbam.* Marc. 8. v. 2.

## QUÆSTIO SACRA II.

Quomodo & nos egentibus succurrere debeamus? 132

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Egentibus succurrendum est per eleemosynam, 1. quæ misero danda est, 2. etsi pro eleemosyna non supplicet.

## THEMA.

*Dabat.* Marc. 8. v. 6.



QUÆSTIO SACRA III.

Cur Christus expectaverit usque in tertium diem pro populo reficiendo? pag. 139

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Expectavit Christus usque in tertium diem pro populo reficiendo, ut doceret, 1. verbum Dei, & alia divina mysteria esse percipienda a sobriis, & temperantibus, 2. non autem a temulentis, & intemperantibus.

THEMA.

*Jam triduo susinent me, nec habent, quod manducent.* Marc. 8. v. 2.

DOMINICA VII. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

Quinam sint illi, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces? 145

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, amici ficti, 1. nam fugiendi sunt ficti amici, 2. & quidem plus, quam manifesti inimici.

THEMA.

*Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matth. 7. v. 15.

QUÆSTIO SACRA II.

Quinam frustra dicunt Deo: Domine, Domine?

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Frustra dicunt Deo: Domine, Domine, 1. qui voce confitentur Christum, factis negant, 2. qui bona desideria, & proposita non implent, 3. qui omnem suam devotionem habent in externis operibus.

## THEMA.

*Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Matth. 7. v. 21.*

## QUÆSTIO SACRA III.

Cur Deus a nobis requirat bona opera? pag. 158

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Requirit Deus a nobis bona opera, 1. ad gratiam Dei per ea conservandam, 2. & ad gloriam æternam per illa obtinendam.

## THEMA.

*Omnis arbor bona fructus bonos facit. Matth. 7. v. 17.*

## DOMINICA VIII. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

Quid velit nos Christus edocere per Evangelici villici parabolam? 164

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Per Evangelici villici parabolam vult nos Christus edocere extremi iudicii severitatem, quia dies extremi iudicii erit 1. dies tremenda, 2. dies iræ, calamitatis, & miseræ.

## THEMA.

*Homo erat dives, qui habebat villicum. Luc. 16. v. 1.*

QUÆ-

QUÆSTIO SACRA II.

Quidnam colligere possimus ex hac parabola, in qua Dominus villicum compulit ad reddendam rationem villicationis suæ? pag. 171

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Ex hac parabola colligere possumus, in die iudicii rationem reddendam esse, 1. divino Judici justo, ac severo, 2. ab homine reo.

THEMA.

*Redde rationem villicationis tuæ.* Luc. 16. v. 2.

QUÆSTIO SACRA III.

Quare filii hujus sæculi prudentiores sint Filiis lucis? 178

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua; 1. quia filii hujus sæculi magis curant terrestria, 2. quam filii lucis coelestia.

THEMA.

*Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Luc. 16. v. 8.

DOMINICA IX. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

Quid doceant nos Christi lacrimæ? 185

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christi lacrimæ docent nos deplorare peccata nostra, quæ ut deleantur, sunt deflenda, 1. pie, 2. & quotidie.

THEMA.

*Flevit super illam.* Luc. 19. v. 41.

QUÆ-



## QUÆSTIO SACRA II.

Quare Christus a ruina non eximat Jerusalem?  
pag. 190

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Non eximit Christus a ruina civitatem Jerusalem, quia non utebatur auxiliis Dei sufficientibus, nam 1. Deus est Pater dando auxilia sufficientia, 2. erit autem Judex, si eis homo non bene utitur.

## THEMA.

*Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.*  
Luc. 19. v. 44.

## QUÆSTIO SACRA III.

Quare Christus, cum sit mansuetissimus, in hodierno Evangelio quamdam indignationem ostenderit?  
197

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus in hodierno Evangelio quamdam ostendens indignationem docere nos voluit, 1. offensas divinas esse vindicandas, 2. offensas autem ab aliis illatas utpote humanas esse tolerandas.

## THEMA.

*Ingressus in templum cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes.* Luc. 19. v. 46.

## DOMINICA X. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

Quid Christianus discere possit a Publicano oculos suos non elevante?  
204

RE-

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christianus discere potest a publicano oculos suos non elevante rectum usum oculorum, nam 1. incauta oculorum evagatio est summo opere noxia, 2. eorum autem custodia perquam necessaria.

THEMA.

*Nolebat nec oculos ad cælum levare.* Luc. 18. v. 13.

QUÆSTIO SACRA II.

Quinam cum Pharifæo rejiciantur a Deo?  
pag. 211

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Cum Pharifæo superbi rejiciuntur a Deo; nam 1. superbia est detestabile malum culpæ, 2. quod inducit malum gravissimæ poenæ.

THEMA.

*Descendit hic justificatus in domum suam ab illo.* Luc. 18. v. 14.

QUÆSTIO SACRA III.

Quare non licet justis se extollere, & peccatores aspernari?  
218

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Non licet justis se extollere, & peccatores aspernari, quia nullus etsi justus, de salute est securus; unde 1. vivendum est in continua incertitudine, 2. adeoque timore salutis.

THEMA.

*In se confidebant, tanquam justi, & aspernabantur ceteros.* Luc. 18. v. 9.

## DOMINICA XI. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

Cur homines adducentes furdum & mutum, etsi a Christo prohibiti, miraculosam tamen illius curationem, magis, ac magis divulgarent? pag. 224

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Homines hi divulgabant magis & magis hanc miraculosam curationem, ut ostenderent recognitionem beneficii, 1. nam beneficia sunt grato animo recolenda, 2. & pro viribus compensanda.

## THEMA.

*Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant.* Marc. 7. v. 37.

## QUÆSTIO SACRA II.

Quinam loquantur recte? 231

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Illi recte loquuntur, quorum verba sunt 1. rara, 2. vera, 3. & ponderosa.

## THEMA.

*Loquebatur recte.* Marc. 7. v. 35.

## QUÆSTIO SACRA III.

Quinam adhuc possunt dici recte loqui? 237

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Recte loquuntur silentiosi, 1. nam silentium in via perfectionis incipientes purgat, 2. proficientes perficit, 3. & perfectos unit Deo.

## THEMA.

*Loquebatur recte.* Marc. 7. v. 35.



**DOMINICA XII. POST PENTECOST.**

**QUÆSTIO SACRA I.**

Quid doceat nos hodierna Christi interrogatio: *in lege quid scriptum est?* pag. 244

**RESPONSIO CONCIONATORIA.**

Christus ita interrogans Legisperitum docet nos, assumendam esse Lectionem sacram, 1. quæ intellectum illuminat ad rerum divinarum cognitionem, 2. & voluntatem inflamat ad Dei amorem.

**THEMA.**

*In lege quid scriptum est? quomodo legis? Luc. 10. v. 26.*

**QUÆSTIO SACRA II.**

Quomodo Deus ex toto corde possit diligere? 251

**RESPONSIO CONCIONATORIA.**

Diligitur Deus ex toto corde, si diligitur 1. solus, 2. super omnia, 3. & in omnibus.

**THEMA.**

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Luc. 10. v. 27.*

**QUÆSTIO SACRA III.**

Quomodo proximus sit diligendus? 259

RE-

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Proximus diligendus est, 1. per concordem  
charitatem, 2. & sinceram pacem.

## THEMA.

*Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Luc.  
10. v. 27.*

## DOMINICA XIII. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

Quinam dici possit Mystice leprosus? pag. 265

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Mystice leprosus dici potest, qui est in pec-  
cato mortali, 1. quod est lepra spiritualis  
animæ, 2. & quidem deterior, quam le-  
pra corporalis.

## THEMA.

*Occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. 17. v. 12.*

## QUÆSTIO SACRA II.

Quare leprosi sanantur in via, dum va-  
dunt? 271

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Sanantur leprosi in via, dum vadunt, ut  
Christus nos doceat considerandam esse  
vitæ humanæ 1. vanitatem, 2. & brevitatem.

## THEMA.

*Dum irent, mundati sunt. Luc. 17. v. 14.*

QUÆ-

QUÆSTIO SACRA III.

Quare Christus Dominus quæsi-  
verit, ubi novem sint leprosi?  
pag. 278

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus ita interrogans voluit ostendere odium erga ingratitude-  
m, quæ est vitium abominabile 1. Deo, 2. & homini.

THEMA.

*Novem ubi sunt?* Luc. 17. v. 18.

DOMINICA XIV. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

Quare uni Domino, nempe Deo, sit servien-  
dum?  
285

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Est uni Domino, Deo serviendum, quia ab illo omne bonum habemus, & 1. a Patre quidem conservationem, 2. a Filio præsentiam ejus in Evcharistia, 3. & a Spiritu sancto charitatem.

THEMA.

*Nemo potest duobus Dominis servire.* Matth. 6.  
v. 24.

QUÆSTIO SACRA II.

Quare Christus in hodierno Evangelio pro exemplo non adducat grandia animalia, ut Leones, & Elephantes, sed minima, scilicet aviculas?  
292



## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus per hoc vult ostendere, habendam esse curam etiam minimorum; 1. nam etiam opera minima Deus maximi æstimat, 2. & maxime remuneratur.

## THEMA.

*Respicite volatilia cæli.* Matth. 6. v. 26.

## QUÆSTIO SACRA III.

Quomodo primo debeamus quærere regnum Dei? pag. 298

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Primo quærimus regnum Dei præponendo coelestia terrestribus, 1. ad quod Natura monet, 2. & gratia Dei adjuvat.

## THEMA.

*Quærite primum regnum Dei.* Matth. 6. v. 33.

## DOMINICA XV. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

Quare Christus etiam non rogatus defunctum viduæ filium resuscitaverit? 304

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus per hoc voluit docere, 1. ut sicut ipse prævenire solet preces nostras, 2. sic & nos præveniamus preces proximi nostri.

## THEMA.

*Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam dixit illi: noli flere.* Luc. 7. v. 17.

QUÆ-

QUÆSTIO SACRA II.

Ad quid nos Christus hortetur, dum mortuo adolescenti dixit: *tibi dico, surge?* pag. 310

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus hortatur nos, surgendum esse spiritualiter, 1. scilicet de peccato, 2. sed cito.

THEMA.

*Tibi dico, surge.* Luc. 7. v. 15.

QUÆSTIO SACRA III.

Quomodo Deus est magnificandus? 317

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Magnificandus est Deus in ipsius timore, 1. qui hominem conservat in gratia, 2. & præservat a peccato.

THEMA.

*Accepit omnes timor, & magnificabant Deum.*  
Luc. 7. v. 16.

DOMIN. XVI. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

Quinam sint similes Pharisæis, de quibus mentionem facit hodiernum Evangelium? 323

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Pharisæis similes sunt, qui aliorum duntaxat facta considerant, 1. nam magna cæcitas est videre aliorum defectus, 2. non videre proprios.

## THEMA.

*Ipsi observabant eum.* Luc. 14. v. 1.

## QUÆSTIO SACRA II.

Quid nobis faciendum, vel omittendum sit in die Sabbati? pag. 329

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

In die Sabbati, seu festivo 1. faciendum est omne bonum, 2. & omittendum omne malum.

## THEMA.

*Si licet Sabbato curare?* Luc. 14. v. 3.

## QUÆSTIO SACRA III.

Quomodo corrigendus est proximus? 334

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Corrigendus est proximus 1. in temporis opportunitate, 2. & mentis mansuetudine.

## THEMA.

*Non poterant ad hæc respondere illi.* Luc. 14. v. 7.

## DOMIN. XVII. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

Quare diligendus est Deus? 340

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Diligendus est Deus, 1. quia est amabilis in se, 2. & amabilis nobis.

## THEMA.

*Diliges Dominum Deum tuum.* Matth. 22. v. 37.

QUÆ-



QUÆSTIO SACRA II.

Quomodo Deus est diligendus?      pag. 346

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Diligendus est Deus unice, 2. & efficaciter.

THEMA.

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,  
& in tota anima tua, & in tota mente tua.*  
Matth. 22. v. 37.

QUÆSTIO SACRA III.

Quomodo proximum diligere debeamus? 353

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Diligendus est proximus, 1. propter Deum,  
2. & post Deum.

THEMA.

*Diliges proximum tuum.* Matth. 22. v. 39.

DOMIN. XVIII. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

Quare Christus paralytico sanitatem corporis  
petenti det etiam sanitatem animæ? 361

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus per hoc voluit ostendere huic paralytico, & nobis, 1. quod radix infirmitatum corporis sit infirmitas animæ, nempe peccatum, 2. hancque esse primo tollendam, ut redeat sanitas corporis.

## THEMA.

*Remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9. v. 2.*

## QUÆSTIO SACRA II.

Quare Christus paralytico ante sanitatem corporis dederit sanitatem animæ dicens: *confide fili, remittuntur tibi peccata tua?* pag. 368

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus per hoc voluit insinuare, prius curandam esse animam, quam corpus, 1. nam sanitas corporis sine sanitate animæ est maxima infirmitas, 2. sanitas autem animæ cum infirmitate corporis maxima sanitas.

## THEMA.

*Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9. v. 2.*

## QUÆSTIO SACRA III.

In quonam peccarunt Pharisæi dicentes: *hic blasphemat?* 274

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Peccabant Pharisæi ferentes iudicium temerarium, illud ergo fugiendum est, 1. quia ex se gravem continet iniquitatem, 2. & plerumque falsitatem.

## THEMA.

*Quidam dixerunt intra se: hic blasphemat. Matth. 9. v. 3.*

DOMIN.

DOMIN. XIX. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

Quare invitati ad nuptias neglexerint venire?  
pag. 381

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Invitati ad nuptias neglexerunt venire, quia toti terrenis erant impliciti, 1. cum tamen terrena multas misérias includant, 2. & a nuptiis cœlestibus excludant.

THEMA.

*Illi autem neglexerunt.* Matth. 22. v. 5.

QUÆSTIO SACRA II.

Quare pauci sint electi?      387

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Pauci sunt electi, 1. quia pauci vivunt pie, 2. multi autem impie.

THEMA.

*Pauci vero electi.* Matth. 22. v. 14.

QUÆSTIO SACRA III.

Unde sperare possimus, nos esse de numero electorum?      394

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Sperare possimus, nos esse de numero electorum, si vocantem Deum sequimur, 1. nam cum Deus sit misericors in vocando, 2. homo sit velox in sequendo.



## THEMA.

*Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Matth. 22.  
v. 14.

## DOMINICA XX. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

Quidnam nos facere oporteat, si cum Evan-  
gelico Regulo corripimur? pag. 401

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Dum nos corripimur, 1. debemus tacere, 2.  
nec nos excusare.

## THEMA.

*Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.*  
Joann. 4. v. 48.

## QUÆSTIO SACRA II.

Quando, vel qua hora nos quoque incipimus  
mori? 407

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Vix orimur, morimur, 1. nam vita nostra  
brevis vita est, 2. imo continua mors.

## THEMA.

*Incipiebat enim mori.* Joann. 4. v. 47.

## QUÆSTIO SACRA III.

Quid nos doceat Reguli filius, incipiens  
mori? 414

RE-

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Reguli filius incipiens mori docet nos mortis memoriam, 1. qua homo moritur peccato, & vivit Deo.

THEMA.

*Incipiebat enim mori.* Joann. 4. v. 47.

DOMINICA XXI. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

Quinam sint similes malo, & impio servo evangelico?      pag. 420

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Malo, & impio servo evangelico similes sunt, 1. qui in Superiorum præsentia duntaxat videntur esse pii, 2. in quorum autem absentia sunt impii.

THEMA.

*Serve nequam.* Matth. 18. v. 32.

QUÆSTIO SACRA II.

Quare in Evangelio Dominus se adeo severum exhibuerit servo suo?      426

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Dominus se ita severum exhibuit erga hunc servum ob malum ejus exemplum, quod reprobabat, 1. nam mala exempla trahunt alios quoque ad malum, 2. bona autem ad bonum.

THE-

## THEMA.

*Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus.*  
Matth. 18. v. 34.

## QUÆSTIO SACRA III.

Quinam sunt illi, qui suffocant proximum?  
pag. 433

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Detractores proximum suffocant, imo & se ipsos, 1. nam multum nocent proximo, 2. plus sibi.

## THEMA.

*Tenens suffocabat eum.* Matth. 18. v. 28.

## DOMIN. XXII. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

Quomodo vivendum in hoc sæculo, ut Deo reddantur, quæ sunt Dei, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris?  
439

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Ut reddamus Deo, quæ sunt Dei, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris, vivendum est, 1. ordinabiliter tibi, 2. sociabiliter proximo, 3. & humiliter Deo.

## THEMA.

*Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Matth. 22. v. 21.

QUÆ-



QUÆSTIO SACRA II.

Quomodo censum Deo reddere debeat Christianus?      pag. 446

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Censum reddit Christianus Deo, si promissiones Deo factas servet, 1. fideliter, 2. & hilariter.

THEMA.

*Reddite, quæ sunt Dei, Deo.* Matth. 22. v. 21.

QUÆSTIO SACRA III.

Qua ratione homo dicatur imago Dei?      452

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Homo dicitur imago Dei, quia una cum tribus potentiis immortalis illius anima est, 1. opus Dei mirabile, 2. ac præ ceteris creaturis nobile.

THEMA.

*Cujus est imago hæc?* Matth. 22. v. 20.

DOMIN. XXIII. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

Quare Christus suscitaturus puellam teneat manum ejus, qui solo verbo eam poterat vivificare?      459

RE-

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus puellæ fuscitandæ manum tenens nos docere voluit, non sistendum in solis verbis, sed & manum admovendam esse operi; 1. nam non placent Deo sola verba, 2. sed & requirit opera.

## THEMA.

*Tenuit manum ejus.* Matth. 9. v. 25.

## QUÆSTIO SACRA II.

Quisnam spiritualiter cum filia Jairi defunctus dici possit? pag. 465

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Spiritualiter defunctus dici potest, qui est in peccato mortali, 1. nam peccatum mortale est pessima hominis fors, 2. & infauusta animæ mors.

## THEMA.

*Filia mea modo defuncta est.* Matth. 9. v. 18.

## QUÆSTIO SACRA III.

Quænam virtus sit nobis specialiter imitanda in muliere retro accedente ad Jesum, & tangente fimbriam vestimenti ejus? 472

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Imitanda est in hac muliere virtus humilitatis, quæ nos subjicit, 1. Superioribus, 2. paribus, 3. & inferioribus.

THE-

THEMA.

*Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.*  
Matth. 9. v. 21.

DOMIN. XXIV. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

Quare Christus dixerit in illa novissima abominatione desolationis, & persecutionis fugiendum esse ad montes? pag. 479

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Dixit Christus fugiendum esse ad montes, ut nobis ostenderet, quod ad illum recurrere debeamus, qui in omnibus tribulationibus est 1. noster Auxiliator, 2. & optimus Consolator.

THEMA.

*Fugiant ad montes.* Matth. 24. v. 16.

QUÆSTIO SACRA II.

Quare potissimum sit timendum extremum Dei judicium? 485

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Timendum est extremum Dei judicium, quia in eo Deus erit, 1. strictissimus omnium Judex, 2. & severissimus peccatorum vindex.

THEMA.

*Videbunt filium hominis venientem in nubibus.*  
Matth. 24. v. 30.

QUÆ-



XXXII *Conspectus Quæst. Sacrarum.*

QUÆSTIO SACRA III.


Quomodo Sol, & Luna mystica, nempe Christus, & Maria obscurabuntur in illo extremo judicio? pag. 492

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Sol, & Luna mystica in extremo judicio obscurabuntur, 1. quia tunc Christus non erit reprobis misericors Pater, 2. nec Beatissima Virgo Maria misericordiae Mater.

THEMA.

*Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.*  
Matth. 24. v. 29.



E R R A T A.

<i>Pag.</i>	<i>Lin.</i>	<i>errores.</i>	<i>corrige.</i>
42.	26.	Jerosolymitamus -	Jerosolymitanus
75.	24.	spuritiis - -	spurcitiis
325.	7.	quo - -	quæ
378.	15.	minas - -	minus
399.	2.	ei - -	es





JESUS † MARIA.

## DOMINICA PENTECOSTES.

### QUÆSTIO SACRA I.

*Quare Christus Dominus sæpius in Evangeliiis promiserit Spiritum sanctum fore mittendum?*

### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus Dominus sæpius promisit Spiritum sanctum fore mittendum, 1. ut homines pro ejusdem digna receptione debitas præmittant dispositiones, 2. specialiter autem per munditiam cordis.

### T H E M A.

*Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo. Joann. 14. v. 26.*

**C**um Pater æternus sit Dominus potentissimus, plus dare non potuit, cum sit sapientissimus, plus dare non scivit, cum sit ditissimus, plus dare non habuit, quam Spiritum sanctum; ex quo omnia, per  
*P. Friderici a Jesu P. Dom. Tom. II. A quem*

quem omnia, & in quo omnia, atque de hoc cœlesti dono, quod Pater Discipulis daturus erat, sæpius loquebatur Christus, quin in ipso hodierno Evangelio iterum divinissimi hujus spiritus mentionem facit: *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Unde quæstio moveri potest, ob quam rationem Christus Dominus sæpius in Evangeliiis Spiritum sanctum promiserit mittendum? respondet noster Sylveira, quod Christus frequentius fecerit mentionem Spiritus sancti in Evangeliiis, ut fideles animum suum rite disponent ad Spiritum sanctum digne recipiendum, specialiter autem per munditiam cordis, proinde responsionem sic formo integram: Christus Dominus sæpius promisit mittendum fore Spiritum sanctum, 1. ut homines pro ejusdem digna receptione debitas præmittant dispositiones, 2. specialiter autem per munditiam cordis.

## P A R S I.

*Pro digne recipiendo Spiritu sancto præmittendæ sunt debitæ dispositiones.*

**H**aud abs mysterio, ac instructione nostra sedulam præmittebant dispositionem Apostoli, Christique Discipuli, eo potissimum nomine, ut reciperent Spiritum sanctum: expectabant compleri dies Pentecostes, perseverabant unanimiter in oratione, & solitudine, ac poenitentia; Pentecoste enim propter quinquagenarium numerum, a quo nomen habet, tropologice symbolum est poenitentiae, ac remissio-



missionis peccatorum, ut docet S. Hieronymus, unde & psalmus quinquagesimus est poenitentialis; instruimur itaque & nos, ut si volumus recipere Spiritum sanctum, ad exemplum Apostolorum corda nostra præparemus per poenitentiam, aliarumque virtutum actus. Hoc idem ipse quoque Christus insinuat in hodierno Evangelio dicens: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Joann. 14. v. 23. Dein subjungit: *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* v. 26. En! prius agit Christus de observatione præceptorum, tanquam dispositione, postea de adventu Spiritus sancti, quem non quibuscunque promittit, sed colentibus præcepta ejus; præmittendæ igitur sunt debitæ dispositiones, ut quoque descendere dignetur ad nos Spiritus sanctus; commune est enim axioma: quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur: sicut vas majus ampliori vino repletur, quam minus, hocque ob majorem illius capacitatem, ac dispositionem, ita plures & majores Spiritus sancti gratias recipiet anima magis magisque disposita. Si tantum fecit apparatus mulier Sunamitis pro recipiendo Eliseo viro Dei, ita ut diceret ad maritum suum: *Animadverto, quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter; faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi.* 4. Reg. 4. v. 10. Quid jam nos faciamus, ad quos non vir Dei, sed ipse

ipse Deus Spiritus sanctus, qui Eliseum duplici spiritu Dei replevit, venire dignatur. Certe præparandum est cœnaculum parvum, cor humile, ponendus est lectus, lectulus floridus virtutum, paranda mensa puritatis, sella perseverantiæ, præparandum est candelabrum charitatis, ut cum venerit ad nos lumen cordium, & dulcis hospes animæ Spiritus sanctus, maneat nobiscum in æternum. Ob hanc rem perpendite etiam, quantas olim expensas fecerit Rex David ad templi fabricam magnifice construendam, ut ibidem Dominus Dominantium digne posset habitare: facer textus habet: *Tria millia talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes templi &c.* 1. Paral. 29. v. 4. Enimvero grandem magnificentiam, sumptus haud exiguos! pro quibus tam large faciendis alia non fuit causa, & ratio, nisi quam ipsemet assignavit inquiring: *Opus namque grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* v. 1. Si igitur David tam copiosos effundebat sumptus, ut materiale duntaxat habitaculum Deo dignum præpararet, quid facere oportebit nos, quas præmittere dispositiones, ut Deo Spiritui sancto in cordibus nostris erigatur templum, & digna habitatio? si domum nostram, ut cum S. Gregorio Papa loquar, aliquis dives, ac præpotens Dominus intrare intendit, nonne domus tota purgatur, & mundatur omni cura, ne quid minus decorum hospitis oculos forte offendat? cur autem non magis domus

cor-

cordis nostri virtutibus exornanda est, ut dignum fiat habitaculum Spiritus sancti coelestis hujus hospitis? laudandi ergo sunt, qui novennalem præmittunt devotionem pro recipiendo Spiritu sancto, vel qui per septem dies piis virtutum exercitiis sedulo incumbunt, sicque se præparant, ut septem recipiant dona Spiritus sancti.

P A R S II.

*Specialiter autem per munditiam cordis.*


**A**t quænam specialiter præmittenda est dispositio pro digne recipiendo Spiritu sancto? munditiam cordis exigit Spiritus sanctus; Jesus enim in Jordane a Joanne baptizatus *vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se*, Matth. 3. v. 16. Columba avis munda est, Spiritus sanctus columba est, quæ munda requirit corda, ut inhabitet; ubi foetor est, columba non est, ubi peccatorum foetor est, Spiritus sanctus non habitat. Peccatum procul inde recedat, necesse est, ut Spiritus sanctus locum inveniat; nam sicut, quando luna ecclipsin patitur, globus terræ impedit, ne sol suis radiis lunam illustrare queat, sic quando anima hominis ut luna mutatur, & caligine peccati inficitur, terra seu immunditia cordis ad terrena conversi impedit, ne Spiritus sanctus gratiarum suarum radiis nos illuminare possit. Si templa materialia munda esse oportet, qualis munditia requiretur in mystico humani cordis



templo? quare S. Lucia Virgo, cum Tyrannus eam interrogaret, estne in te Spiritus sanctus? respondisse fertur: caste & pie viventes templum sunt Spiritus sancti. Ad hanc cordis puritatem conservandam etiam nobis dictum putemus, quod S. Apostolus suos monuit Ephesios: *Nolite contristare Spiritum sanctum.* Ephes. 4. v. 30. Mirabile dictum! utique nequit esse tristitia in Spiritu sancto, in quem passio non cadit? sed vigilandum nobis est, quia per peccata, & cor immundum, teste S. Bonaventura, Spiritum sanctum contristamur, imo ab anima nostra prorsus expellimus, dum eam gravis peccati lue infici permittimus; ut igitur inveniat locum, in quo requiescat cum suis charismatibus, omnem maculam præprimis lethalem, ac mortiferam immunditiam longe abigi oportet; quid enim? edicito nobis Rex David, qua ratione Spiritum sanctum, per peccatum e corde tuo ejectum redire fecisti? ita clamabat David ad Deum: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Ps. 50. v. 12. Duo hic petebat Rex pius a Deo, *Cor mundum, & Spiritum rectum*, sed cur David dicebat prius, *cor mundum*, dein Spiritum rectum? cur non prius dicere voluit, *Spiritum rectum*? Lorinus ait: quia David perbene noverat, Spiritum sanctum non posse recipi, nisi in corde mundo, cum ipse sit eximius munditiæ amator, rogabat proin David cor per munditiam dispositum, ut Spiritus rectus, Spiritus sanctus reciperetur denuo in corde suo;

suo; mundissimo quippe Domino mundissima debetur habitatio: *quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras?* 2. Cor. 6. v. 14. Sane, quæ potissimum cordis munditia præmitti debeat, & requiratur pro digna receptione altissimi divinissimi Spiritus, nobis quotidie in tremendo Missæ sacrificio insinuare videtur sacerdos, qui antequam ad summa mysteria peragenda procedit, prius lavat manus, nec illas ex integro, sed extremos tantum digitorum articulos, certe non ob aliam rationem, nisi ut moneamur, quod Spiritum sanctum recepturi, non modo gravium, sed & levium peccatorum sordes abstergamus, dicentes cum Davide: *Lavabo inter innocentes manus meas.* Ps. 25. v. 6. Inferamus igitur cum S. Bernardo: „Quomodo agnoscere potero Spiritus sancti præsentiam? non oculis, quia colore caret, non auditu, quia sonus non est, non olfactu, quia sine odore est; cognoscam ergo illum mutatione cordis mei, cum e terreno illud cœleste factum video, e carneo spirituale. „ Abscedant jam e corde hominis Venereæ, & impuræ cogitationes, Spiritus sanctus Spiritus puritatis est; facestant perversi vindictæ impetus, Spiritus sanctus est Spiritus pacis; recedant cogitationes odii in proximum, Spiritus sanctus amor est, expellatur omne peccatum e corde hominis; nam Spiritus sanctus ipsa Sanctitas est.

Fiat igitur cor mundum, cor immaculatum, ut specialiter disponatur ad recipiendum Spiritum sanctum; procul itaque sit a corde nostro Spiritus immundus, non bene conveniunt, nec sede morantur in una spiritus impuritatis, & Spiritus puritatis, veni piissime Spiritus, & mane nobiscum in æternum. Amen.



## QUÆSTIO SACRA II.

*Quare cunctis nostris Actionibus præponenda est invocatio Spiritus sancti?*

### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Præponenda est cunctis nostris actionibus invocatio Spiritus sancti, quia nihil possumus sine Spiritu sancto. 1. Qui est Dux in via, 2. & lux in tenebris.

### T H E M A.

*Veni sancte Spiritus.* Ita Ecclesia.

**I**mmaculata Spiritus sancti sponsa S. M. Ecclesia invitat nos ad frequentiore[m] Spiritus sancti invocationem: *Veni sancte Spiritus:* antequam oramus, clamamus: *Veni sancte Spiritus,* priusquam verbum Dei audire incipimus, jam insonant auribus nostris hæc verba: *Veni sancte Spiritus.* Si negotium quoddam



dam gravis momenti tractandum est, gravius negotium Ecclesia reputat, ut invocetur prius Spiritus sanctus: *Veni sancte Spiritus*; perbene enim novit, sine Spiritus sancti numine, & lumine nihil esse in homine. Hinc quaestio in praesentiarum rite instituitur, quare Ecclesia velut sollicita, ac piissima Mater nos filios suos continuo adhortetur, ut cunctis nostris actionibus praepo-  
namus invocationem Spiritus sancti? huic quaestioni verissime responderi potest, praepo-  
nendam esse cunctis nostris actionibus invocationem Spiritus sancti, quia nihil possumus sine Spiritu sancto, 1. qui est dux in via, 2. & lux in tenebris,

P A R S I.

*Spiritus sanctus est Dux in via.*

**B**ene, optime, in omnibus actionibus nostris pia Ecclesiae institutione formati audemus dicere: *Veni sancte Spiritus*; quia ipse est Dux in via, ac velut digitus paternae dexterae, quo nobis demonstratur segura virtutum semita, & via mandatorum Dei, nonnisi passibus giganteis currenda. Plane facerrimus hic paternae dexterae digitus, scilicet Spiritus sanctus fuit, qui direxit olim Davidem, ut is exultaret ut gigas ad currendam viam Domini; quid enim? impugnabatur Monarcha pius ab impio, & perduelle filio Absalone, vexationem hanc aequo animo tolerat, quin patiens Pater adhuc sollicitate clamat: *Servate mihi puerum Absalon.* 2. Reg. 18. v. 5. Quis autem

direxit Davidem, ut injustam Absalonis persecutionem tanquam justam a Deo poenam susciperet, nec ingrederetur viam vindictæ? direxit Dux in via Spiritus sanctus, cujus directione Rex sanctus in hac persecutione orat ad Dominum: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Ps. 142. v. 11. Ecce! *Spiritus bonus*, qui est infinita bonitas, Spiritus amoris, Spiritus pacis, non odii, non rancoris, non vindictæ, dirigebat Davidem, ut ambularet vias rectas, nec a tramite virtutis aberraret: idem autem Spiritus, quemadmodum Davidi, ita nobis quoque in hac ærumnosa vita peregrinantibus erit velut columna nubis, & ignis, ut per desertum hujus mundi feliciter perducamur in terram melle & lacte coelesti manantem, erit adinstar columnæ nubis, quæ in prosperitatis die hominem dirigit, ne superxaltetur cor ejus, erit adinstar columnæ ignis, quæ viatores in nocte adversitatis illuminabit, donec ex tenebricoso hoc exilio ad coelestem pertingant patriam, & suis ærumnis erepti vocentur ad æternam requiem. Nonne itidem securus Dux in via fuit Eliæ Prophetæ? fugebat is tanta animi sui anxietate a facie improbæ Reginæ Jezabel, ut in via præ amaritudine cordis sui mori expeteret, 3. Reg. 19. demum vero consolationem aliquam recipiens dormiebat, & quiescebat sub umbra juniperi: sed unde hæc requies, & consolatio? non ab alio, nisi a Spiritu sancto: *Venit super Eliam*, ait sacer Textus v. 12. *sibilus auræ tenuis*, Cornelius a la-

a lapide in hunc textum putat, quod Spiritus sanctus in vento, & sibilo auræ tenuis apparuerit S. Eliæ, huncque suo flamine confortarit, ut placidissime dormire, ac postea reliquum itineris strenue profequi potuerit. Placet proin similitudo sancti Chrysofomi ita differentis: „Sicut navis, quæ prospero flatu „ fertur in pelago, non potest impediri, nec „ demergi, sic anima adjuta a Spiritu sancto „ omnibus rebus superior existit, & omnibus „ fluctuationibus vitæ eminebit. „ O felix viator sub hoc Duce viæ! a via igitur salutis quam longissime aberrant, qui ducem sequuntur spiritum malignum, dæmonem, spiritum privatum, nempe judicium pertinax, spiritum superbiæ, ambitionis, luxuriæ, vindictæ, rancoris, & odii, hi profecto pessimi spiritus ducunt hominem in viam perditionis.

P A R S II.

*Et lux in tenebris.*

**C**edit tenebræ, licet estis ægyptiacæ, & Cimmeriæ; Spiritus sanctus lux est, qui apparuit hodie in forma ignis, *tanquam ignis*, Act. 2. v. 3. Ut omnes in densis peccatorum tenebris sedentes gratioso auxiliorum supernaturalium splendore illuminaret, & in viam veritatis induceret. Hæc divinissima lux illuxit jam in ipso mundi exordio; licet enim *tenebræ essent super faciem abyssi*, Gen. 1. v. 2. mox tamen illæ recedebant, totusque mundus illuminabatur, *Facta est lux*. v. 3. Quis ve-



ro hasce tenebras depulit, fugavitque? Spiritus sanctus lux in tenebris: *Spiritus Dei se-  
rebatur super aquas*, v. 2. Quisquis ergo in  
tenebris vitiorum, & umbra mortis sedes,  
Spiritum sanctum invoca, & erit tibi lux,  
quæ illuminabit te. Nonne hæc lux divinif-  
sima illuminabat Paulum, ut ei in sua mentis  
cœcitate clarissimum veritatis lumen oriretur?  
nonne hæc superna lux ducebat magnum Au-  
gustinum, aliosque pœnitentiæ viros, ut per  
virtutem Spiritus sancti a mortis caligine, a  
peccati umbra ad gratiæ splendorem, vitæque  
semitam redirent, ipsumque veritatis lumen  
reciperent? quis tam copiosam lucem largi-  
tus est Davidi in densissimis suorum peccato-  
rum tenebris, ut quasi manu palparet mora-  
les hasce mentis tenebras dicens: *Iniquitatem  
meam ego cognosco?* Ps. 50. v. 5. Hoc super-  
num lumen ei impertitus est Spiritus sanctus,  
lux in tenebris; orat enim: *Spiritum sanctum  
tuum ne auferas a me*. v. 13. Hic sanctitatis Spi-  
ritus movit cor Regis, ut misericordiam Dei  
imploraret: *Miserere mei Deus*, Ps. 50. v. 1.  
si omnes admirantur, quod unicus radius a  
sole diffusus universam illustret terram, om-  
niumque oculis cuncta in orbe perspicua red-  
dat: Attamen quid aliud est Spiritus sanctus,  
nisi splendidissimus ille radius, qui a Patre,  
Filioque procedens in suis ignorantia tenebris  
illuminat intellectum humanum, ut omnes fidei  
articulos firma mente credat, O quot teneb-  
ræ in hoc mundo, quot pericula nos circum-  
dant, certe versamur in *periculis latronum*,  
peri-

*periculis ex genere, periculis in civitate, periculis in mari, periculis in falsis fratribus.* 2. Cor. II. v. 26. Quis nos ex his periculorum tenebris educet? Spiritus sanctus lux est in tenebris, *ille vos docebit omnia.* Joann. 14. v. 26. O homo, vides te obrutum tenebricosis peccatorum tenebris, Spiritus sancti lumen implora, est lux in tenebris, vides te ambulare in tenebris ignorantiae, Spiritum veritatis roga, ut tanquam lux in tenebris te doceat omnem veritatem, vides te anxietatibus mentis immersum, & totum desolatum, consolatorem cœlestem Spiritum sanctum efflagita, ut te ex his miseriarum tenebris eruat; est enim lux in tenebris.

Imitemur igitur S. Franciscum Xaverium, qui singulis horis canonicis hymnum *veni sancte Spiritus* pro impetranda attentionis gratia præmittere solebat; *veni itaque sancte Spiritus.* Esto nobis Dux in via, ut tandem ex viatoribus evadamus æternæ patriæ comprehensores, esto lux in tenebris hujus tenebricosæ vitæ, ut tandem te cum Patre, & Filio videamus per lumen gloriæ. Amen.



---

 QUÆSTIO SACRA III.

*Quid operatur in nobis Spiritus sanctus?*

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Hoc operatur in nobis Spiritus sanctus, 1. ut ex hominibus malis nos faciat bonos, 2. & ex bonis meliores.

## T H E M A.

*Spiritus sanctus ille vos docebit omnia. Joann 14. v. 26.*

**S**icut supremus rerum opifex Deus ab æterno operatus est ad intra, sic etiam in tempore usque modo unus, idemque Dominus operatur ad extra, ipse facit, ut faciamus; ait enim Ezech. 36. v. 27. *Spiritum meum ponam in medio vestrum, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* Sine ejus Numine nihil est in homine, Spiritus sanctus Deus est a Patre, Filioque procedens in eadem Divinitate, Spiritus sanctus est, qui semper spirat, & in hoc universo operatur, prout Christus promittit dicens: *Spiritus sanctus ille vos docebit omnia.* Quæritur jam, quidnam divinus hic Spiritus operetur in nobis? quam quæstionem sequenti solvo responsione: hæc operatur in nobis



nobis Spiritus sanctus, 1. ut ex hominibus malis nos reddat bonos, 2. & ex bonis meliores.

P A R S I.

*Spiritus sanctus ex hominibus malis facit bonos.*

**B**ono animo estote mali homines, Spiritus sanctus Spiritus bonus est, qui & vos bonos, sanctosque faciet, si ex toto corde converti velitis; illum enim appellamus Spiritum sanctum quætidie dicentes: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* At cur non dicimus sancto Patri, sancto Filio, cum & hæ personæ sint inexhaustus fons omnis sanctitatis? cur sanctitatem soli Spiritui sancto attribuimus? perpulchre hanc in rem respondet S. Rupertus: „ Quia nempe tota Spiritus „ sancti operatio nil aliud est, nisi sanctifica- „ tio se diffundens in homines, omne, quod „ fecit Pater, fecit per Filium, & omne quod „ factum est, per Spiritum sanctum sanctifica- „ vit, creat Pater per Filium, sed Spiritus „ sanctus sanctificat, quos Pater creavit, & „ Filius redemit. „ Hic idem Spiritus ex per- „ versis etiam hominibus facit bonos. Recte proin dixisti, Propheta Regie; *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, Pl. 142. v. 11. Tua percipio verba, ac eorum capio sensum, ac mysterium, si glossam lego Innocentii tertii ita loquentis: „ Spiritus tuus bo- „ nus in se, quia est ipsa bonitas, & bonus „ in nobis, quia nos efficit bonos, deducet „ me

„ me in terram rectam, id est, in viam man-  
 „ datorum tuorum, per quam recte itur ad  
 „ patriam. „ Hanc in rem accomoda est mi-  
 rabilis Ezechielis Prophetæ visio: mittebatur  
 hic ad campum ossibus aridis plenum, ut  
 eis verbum Dei prædicaret, & cum jam esset  
 in medio campi, clamavit: *Ossa arida audi-  
 te verbum Domini.* Ezech. 37. v. 4. ac ele-  
 vans oculos suos ad cœlum præcepit vento,  
 ut spiraret, inter ea dicens: *A quatuor ven-  
 tis veni Spiritus, & insuffla super interfectos  
 istos, & reviviscant.* v. 9. Et ecce! ad vocem  
 ejus ventus surrexit, qui tanquam Spiritus vi-  
 vificans ossa illa movebat, quæ omnia mutuo  
 sese jungentia non modo idem, quod antea  
 vivum erat, corpus efformabant, sed insuper  
 veluti tot generosi milites exurgebant: *Ex-  
 ercitus grandis nimis valde.* v. 10. Sub hac  
 figura Spiritum sanctum perpendite repræsen-  
 tatum, qui etiam ossa arida, peccatores in-  
 telligo, ut mortuos vivificat, & ex iis vitio-  
 rum tabe pene consumptis novos virtutum pu-  
 giles efficit, eisque novam gratiæ sanctifican-  
 tis vitam, qua ad omne bonum moventur,  
 inspirat. Summopere miror, quod in Evan-  
 gelio, cum Reguli filius Capharnai ægrotans  
 a Christo sanitatem recuperasset, *Filius tuus  
 vivit.* Joann. 4. v. 50. tam studiose tempus,  
 quo salus restituta est, notetur: *Quia heri ho-  
 ra septima reliquit eum febris,* v. 52. Si hac su-  
 per re seraphicum Bonaventuram, & Aquina-  
 ticum Doctorem consulo, per horam septi-  
 mam significari putant septem Spiritus sancti  
 dona,

dona, per quæ in nobis fit sanitas animæ, ac illius virtute ex homine malo fit bonus, *Spiritus enim est, qui vivificat.* Joann. 6. v. 64. Unde in forma ignis descendit de cœlo, *tanquam ignis.* Act. 2. v. 3. Quia, ut Glossa ait, peccatores purgat, illuminat, accendit, urit; ignis enim quatuor habet prærogativas, quippe urit, purgat, calefacit, & illuminat, similiter Spiritus sanctus exurit peccata, purgat corda, torporem excutit, ignorantias illustrat, & ut paucis complectar omnia, ex hominibus malis facit bonos. Nunquam ergo desperandum est peccatori, etsi omnino immerfus sit turpissimo peccatorum cœno, Spiritus sanctus etiam ex malis facit bonos, & eruit de luto fæcis, scilicet peccatorum: O peccator, noli peccare in Spiritum sanctum per desperationem, ne te deserat spiritus bonitatis.

P A R S II.

*Et ex bonis facit meliores.*

**E**tiam homines bonos Spiritus sanctus facit meliores: nonne jam boni erant Apostoli, priusquam in die Pentecostes Spiritus sanctus super eos descendit? erant plane amici Christi post ejus Resurrectionem a peccato incredulitatis per pœnitentiam resurgentes, & probos hosce Dei homines Spiritus sanctus effecit hodie meliores, ita, ut instar ceræ liquefactæ omnia ejusdem dona, fructus, ac virtutes reciperent. Ideo rite observat S. Augustinus, quod Apostoli ante adventum Spiritus



tus sancti Christum videntes post resurrectionem suam ambulare super aquas maris, ipsum crediderint esse phantasma, at post illius receptionem jam non dixerint: *Phantasma est.* Matth. 14. v. 26. sed: *in principio erat verbum.* Joann. 1. v. 1. Erant post Christi resurrectionem Apostoli viri boni, & bonæ voluntatis, verum Spiritus sanctus eos effecit meliores, excellentiorem mysteriorum divinarum notitiam illis infundens; quapropter dicebat Propheta Joel. c. 2. v. 28. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Ubi S. Hieronymus ad Hebidiam scribens *verbum istud effundam* considerans ait: „ Verbum effusionis „ significat gratiæ largitatem. „ Erant equidem jam ante missionem Spiritus sancti aliqui homines boni, sed adveniente Spiritu sancto facti sunt meliores, habebant quidem prius Spiritus sancti gratiam, sed postea receperunt largitatem, & abundantiam gratiæ sancti Spiritus, qui eos fecit meliores. Notatu digna est doctrina Guilelmi, qui observat, quod Spiritus sanctus descenderit in forma columbæ supra Christum in Jordane, cum baptizaretur, in forma nubis, cum transfiguraretur, & in forma ignis supra Apostolos, cujus rationem reddit inquiens: „ incipientibus „ illabitur Spiritus sanctus ut columba, pro- „ ficientes exaltat in nube, perfectos in igne „ probatos examinat, & efficit clariores: dum „ peccator peccata deslet, assistit ei ut colum- „ ba, quæ gemit, dum progreditur de virtu- „ te in virtutem, eum juvat, ut nubes de „ terra

„ terra elevando, at dum homo jam perve-  
 „ nit ad perfectionem, illum igne purificat,  
 „ inflammat, & accendit majorem charitatis  
 „ ignem, „ quod idem est, ac homines bo-  
 nos facit meliores. O quantos gratiarum ra-  
 dios recepit hodie beatissima Virgo, quæ  
 prius jam erat plena gratia, & dignissima Spi-  
 ritus sancti sponsa! certe non solum melior,  
 sed & optima facta est, dum Spiritus sanctus  
 descendit in illam. Nonne S. Stephanus bo-  
 nus erat, imo quasi Angelus, qui spretis ter-  
 renis omnibus ita bonus factus est, ut inten-  
 dens in cœlum videret gloriam Dei, & Jesum  
 stantem a dextris Dei Act. 7. Unde tanta bo-  
 nitas S. Stephano? certe a Spiritu sancto,  
 qui eum bonum Christi Discipulum fecit me-  
 liorem, & optimum illius Martyrem: *cum es-  
 set plenus Spiritu sancto.* Act. 7. v. 55. O quam  
 suavis & bonus est Domine, Spiritus tuus.  
 Optime proin salutis suæ consulunt, qui nul-  
 lum opus aggrediuntur, cui non præmittant  
 invocationem Spiritus sancti, qui quotidie  
 enixe rogant Spiritum sanctum, ut gratiam  
 in baptismo collatam in eis conservet, hi cer-  
 te a virtute in virtutem ductore Spiritu sanc-  
 to progredientur, & evadent ex bonis me-  
 liores.

O Infinitam Spiritus sancti bonitatem, quæ  
 ex hominibus malis facit bonos, & ex bonis  
 meliores. A te o Spiritus sancte omne datum  
 optimum, & omne donum perfectum, a te,  
 o Pater luminum descendit, „ veni igitur sanc-  
 „ te Spiritus, verba sunt S. Augustini, mun-

20 *Dominica sanct. Trinitatis, &c.*

„dator scelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, relevator labentium, veni humilium Doctor, superborum destructor, veni omnium viventium singulare decus, morientium unica salus,, Veni, Veni, Veni. Amen.



DOMINICA  
SANCTISSIMÆ TRINITATIS,

SEU

I. POST PENTECOSTEN.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quid nos moveat ad venerationem sanctissimæ Trinitatis?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Ad venerationem sanctissimæ Trinitatis movent nos beneficia accepta a sanctissima Trinitate, 1. a qua habemus totum esse, 2. & totum bene esse.

T H E M A.

*Benedicta sit sancta Trinitas. Ita Ecclesia.*

**A**b antiquissima Ecclesiæ traditione rite pie introductus est, quo in hoc sanctissimæ Trinitatis festo coram divina Majestate rursus flectimus genua in orationibus

no-



nostris, quas tamen a Paschate usque ad illam festivitatem recto corpore stantes peregrimus: hujus rei causam affert Theophylactus dicens: „ Postquam igneis lincis Spiritus „ sanctus nobis apparuit, genuflectimus, signi- „ ficantes per Spiritum sanctum perfectam nos „ didicisse sanctissimæ Trinitatis adorationem. „ Oritur jam quæstio, quid nos ad hunc humilem sanctissimæ Trinitatis venerationem movere queat? insinuat nobis S. M. Ecclesia, gratiarum actionem pro beneficiis in nos collatis, rependendam, dum canit: *Benedicta sit sancta Trinitas*; ad venerationem itaque sanctissimæ Trinitatis movent nos beneficia accepta a sanctissima Trinitate, 1. utpote a qua habemus totum esse, 2. & totum bene esse.

P A R S I.

*A sanctissima Trinitate habet homo totum esse.*

**S**i beneficiorum, gratiarumque divinarum considero multitudinem, illa non possunt non movere quemlibet, imo fortiter cogere ad devotissimam venerationem sanctissimæ Trinitatis, utpote a qua sicut omnis creatura, ita homo habet totum esse. illa est immensum infinitæ bonitatis mare, ex quo ad nos copiosissimæ omnium gratiarum aquæ pleno alveo fluunt. Quis autem multitudinem beneficiorum enarrabit? trinus, & unus Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, omnes visibiles, & invisibiles, rationales, & irracionales creaturas sapientissime

22 *Dominica sanct. Trinitatis, &c.*

curat, & gubernat, sic exclamat Magnus Augustinus, „sic curas unumquemque nostrum „tanquam solum cures, sic omnes tanquam „singulos. „ O immensa Dei bonitas, a qua „totum esse habemus, *Misericordia Domini plena est terra.* Ps. 32. v. 5. Et iterum: *Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ, & plenitudinem ejus tu fundasti.* Ps. 88. v. 12. Lauda proin Deum tuum Israel, o Zacharia, resonet gratabunda vox tua laudis: *per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Luc. 1. v. 78. O uberrimus gratiarum fons sanctissima Trinitas, a qua totum nostrum esse, & tota benedictio fluit, *dat omnibus affluenter* Jacob 1. v. 5. Quis non benedicat sanctissimam Trinitatem, quæ nos per millena beneficia benedicat, *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Ps. 66. v. 8. Ecce! omnis benedictio, totum esse a Trinitate divinarum Personarum provenit, *Benedicat nos Deus, Pater, Deus noster, scilicet Filius, Emmanuel, nobiscum Deus, benedicat nos Deus Spiritus sanctus in unitate Deitatis cum Patre, & Filio, hæc in sanctissima Trinitate Deitas benedicat nos quotidie, ut nostrum totum esse, quod ab ipsa habemus, conservemus.* Aspice universum, qua late patet, terrarum orbem, ipse dixit, & facta sunt omnia, *Appendit tribus digitis molem terræ.* Isa. 40. v. 12. tres digiti sunt Sanctissimæ tres Personæ in una manu, in una Deitate, quarum bonitate, amore, & misericordia perampla mundi machina totum esse habet.

bet, regitur & conservatur: *ex ipso*, ait Apostolus Rom. II. v. 36. *Et per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Totum esse, & omnia beneficia a trino unoque Deo provenire abunde factis agnovit mundus tempore Theodosii junioris Anno Christi 446. cum per semestre terræ motus ubique, maxime vero Constantino- poli grassaretur, factum est autem, ut puer quidam inter publicas lytanas in aerem raperetur, & audiret ab Angelis cantari: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis miserere nobis. Quod cum puer Proclo Archiepiscopo enarrasset, omnes eandem laudem decantantes sanctissimæ Triadis opem, & misericordiam implorabant, & ecce! terræ motus statim cessavit. Ideo Ecclesia nos excitat ad gratiarum actiones, quia optime novit, totum nostrum esse dimanare a sanctissima Trinitate; intonemus proin pariter illius laudis canticum: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*: Gratias tibi Deus, gratias tibi vera, & una Trinitas, tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna, o beata Trinitas! & tamen quot dantur homines, qui Deo ter optimo maximo, trino, & uno per totum vitæ cursum non persolvunt gratiarum actiones pro creatione, conservatione, quotidiana sustentatione, continua benedictione, pro corporis sanitate, donis naturalibus, & quotidianis, imo instantaneis beneficiis. Pudeat eos tam benefico Domino ita esse ingratos.



## P A R S II.

*Et totum bene esse.*

**N**on solum habemus a sanctissima Trinitate totum esse. sed & totum bene esse; a Patre enim potentiam, a Filio sapientiam, & a Spiritu sancto participamus sanctitatem, seu bene esse. promittebatur olim Abrahamæ omnis cœlestis benedictio: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, Gen. 22. v. 18. Causa tantæ bonitatis divinæ, ni fallor, colligenda est ex Gen. 18. v. 2. *Apparuerunt ei tres viri, quos cum vidisset, adoravit.* Per tres hosce viros cum S. Augustino intelligo tres in sanctissima Triade Personas, Abraham tres vidit, & unum adoravit, & ecce! Abraham, quia in umbra quadam altissimum sanctissimæ Trinitatis mysterium adoravit, factus est Pater benedictionum temporalium, & spiritualium, ut & nos instruamur, colentibus hoc sanctissimum mysterium conferri omnem supernaturalem benedictionem, & totum bene esse. Loquamur ulterius in ænigmate, & figuris de summo hoc mysterio, novimus ex sacris paginis, quod pincerna Pharaonis, cum jam esset damnatus ad mortem, vitem una cum tribus racemis acceperit in signum futuræ gratiæ, ac veniæ certo certius obtinendæ. Gen. 40. Haud aberravero, si sub mystica ista vite unum in substantia Deum representari dixerò, tres vero racemi in una & eadem vite præfigurant tres divinas personas.

ab hac vite, ab his racemis nobis omnis gratia, salus, sanctitas, adeoque totum bene esse profluit. Percipite quomodo Ninivitæ noxarum veniam consecuti sint: minabatur eis Jonas c. 3. interitum, sed subito placabatur Deus, qua autem ratione? septuaginta Interpretes legunt, Jonam sic prædicasse: „adhuc „tres dies, & Ninive subvertetur, „ quasi diceret: interitus Ninive præ foribus est, sed adest adhuc evadendi remedium, tres, inquam, dies colendi sunt, per quos S. Ephrem intelligit mysterium sanctissimæ Trinitatis, ad tres dies, ad triduum, ad sanctissimam triadem confugientes Ninivitæ, licet peccatores gravissimi, gratiam & veniam, adeoque totum bene esse impetrabant. Inhæreamus adhuc figuris, ut veritas elucescat magis: Ille indigus Luc. II. amicum rogat: *Commoda mihi tres panes.* Luc. II. v. 6. Per hosce tres panes intelligit S. Augustinus in cat. S. Thom. Aquin. tres sanctissimas Personas; sicut enim panis exquisitissimum, & omnino necessarium ferculum corporis est, ita mysterium sanctissimæ Trinitatis necessarius est cibus animæ, verba S. Augustini sunt: „cum per „veneris ad tres panes, hoc est, ad cibum, & in „telligentiam Trinitatis, habes, & unde vivas, „& unde pascas. „ Quid igitur mirum, quod S. Dionysia Matrona ferventissima, cum suum filium cerneret inter tyrannorum supplicia titubantem, eum confortaret, in memoriam illius revocans beneficia sanctissimæ triadis, a qua totum bene esse profluebat, & ita va-



cillantem filium hortaretur: memento fili mi, quia in nomine sanctissimæ Trinitatis baptizati sumus, non perdamus indumentum nostræ salutis. Quid mirum, quod B. Clara de monte Falco ita fuerit devota huic facerrimo mysterio, ut Deus post mortem, ejusdem devotionem miraculo manifestare voluerit; illa enim obeunte tres parvuli globi carnei in ejus corpore inventi sunt, quorum unus in bilance positus tanti ponderis erat, quanti duo, & tanti duo; quanti unus. Quis ergo dubitet, quin totum bene esse, a sanctissima Trinitate promanet? quomodo autem o christiane, te divinissimis Personis gratum exhibes? ecce! gratiam baptismalem, auxilia supernaturalia, Redemptionem, sanctificationem, sacramentorum receptionem, vocationem ad veram fidem, ad hunc vel illum statum, adeoque totum tuum bene esse habes a sanctissima Trinitate, utique in signum filialis Gratitude munificentissimum tantorum beneficiorum authorem Deum, trinum, & unum non audebis peccato quodam offendere.

Cum ego totum nostrum esse, & totum bene esse habeamus a sanctissima Trinitate, etiam habeat iterum sanctissima Trinitas nostras gratiarum actiones, sequamur monitum S. M. Ecclesiæ dicentis: *Benedicta sit sancta Trinitas*, invitemus ad debitas laudes Dei unius & trini cum tribus pueris in camino babilonico omnes creaturas, ut sit benedictus Dominus Pater, Filius, & Spiritus sanctus,



& laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus  
in sæcula. Amen.

---

QUÆSTIO SACRA II.

*Quomodo est adoranda sanctissima  
Trinitas?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Adoranda est sanctissima Trinitas, 1. simpli-  
citer credendo, 2. Credenda autem nulla-  
tenus perscrutando.

T H E M A.

*Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, &  
investigabiles viæ ejus! Rom. II. v. 33.*

**Q**uod faciunt Angelici spiritus in coelis glo-  
riosissimo sanctissimæ triadis folio assisten-  
tes, hoc nos homines oportet facere in  
terris; clamant illi sine fine dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus.* Per  
trinam repetitionem vocis *Sanctus* Trinitatem  
Personarum, per verbum autem *Dominus*  
unitatem Deitatis significant: etiam nos in-  
cessabili voce adoremus sanctissimam Trinita-  
tem. At quomoda est adoranda? ad hanc quæ-  
stionem exclamantem Paulum audio. *O Alti-  
tudo divitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei,  
quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & in-  
vestigabiles viæ ejus! Rom. II. Ex quibus Apo-  
stol*

28 *Dominica sanct. Trinitatis, &c.*

stoli verbis responsionem colligo, quod adoranda sit sanctissima Trinitas, 1. simpliciter credendo, 2. credenda autem nullatenus perscrutando.

P A R S I.

*Adoranda est sanctissima Trinitas simpliciter credendo.*

**L**atreuticus sanctissimæ Trinitatis cultus exigit simplicem fidem: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Heb. 11. v. 7. Magna erat fides Abrahami, qui Pater est credentium, quia simpliciter Dei promissioni credidit, cujus executionem nec verosimilis humanæ prudentiæ ratio suadebat; quippe jussus erat a Deo unicum suum filium mactare, & tamen *contra spem in spem credidit, ut fieret Pater multarum gentium.* Rom. 4. v. 18. Mirabilis erat olim visio Isaïæ, cum enim ei fuisset repræsentata sanctissima Trinitas, *domus repleta est fumo,* Isa. 6. v. 4. Cur autem fumo, qui tamen visum obfuscat? quia *Dominus dixit, ut habitaret in nebula,* 3. Reg. 8. v. 12. Majestas unius, & trîni Dei comprehendere nequit, in nebula fidei simpliciter est adoranda, ut digne adoretur; hinc S. Augustinus super Joann. ait: „Unde & quomodo capitur Trinitas, re-  
„ cte o homo interrogas, quomodo creditur,  
„ non bene interrogas, imo ideo bene cre-  
„ ditur, quia cito non capitur, nam si cito  
„ caperetur, non esset opus, ut crederetur,  
„ quia

„ quia videretur. „ Nonne simplici fide Apostoli credebant? utut enim cum suo Magistro conversarentur in terris, acsi unus esset ex ipsis, nihilominus divinitatem ejus sub hac mortali carne assumpta absconditam esse credebant, consistentem in una natura divina, & tribus Personis, unde unus illorum ait nomine omnium: *Tu es Christus filius Dei vivi*, Matth. 16. v. 17. Eundemque cum Patre, & Spiritu sancto in unitate essentiae, & Trinitate Personarum in coelis regnare non dubitabant. Laudabilis proin est Ecclesiae consuetudo jam a tempore Apostolorum dimanans, ut in Missa finito Evangelio, quod ex sacris paginis desumitur, immediate subsequatur *credo*, in signum, quod auditis Scripturae verbis, statim iis simplici fide credendum sit, & cur non simpliciter credendum, cum ipsi comprehensores in coelo jam existentes hanc simplicem fidem inculcent Viatoribus in terra? nam S. Thomas Aquinas post mortem Reginaldo socio suo in magna gloria apparens, & ab eo rogatus, ut jam beatus dissolveret quaestionem illam, de qua toties in vita disputarat, an Deus a beatis videretur per speciem? eam solvere noluit, sed ambigue respondit: sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, en! voluit eum relinquere in simplici fide mysteriorum Dei, cum *fides ex auditu*. Rom. 10. v. 17. Proin seraphicus Doctor D. Bonaventura eam merito comparare potuit speculo cuidam mundo, eoquod sicut turris satis alta in exigua speculi parte cernitur,



tur, sic majestas, & magnitudo divina in speculo simplicis fidei repræsentaretur. O mysterium sanctissimæ Trinitatis tam altum, & profundum, ut simplici duntaxat solius fidei oculo illud intueri liceat! propterea autem non simplices dicas, qui intellectum suum captivant in obsequium fidei, & de istius mysteriis interrogati viva fide respondent: credimus, quia Deus summe verax revelavit, & Ecclesia Christi sponsa nobis credendum proposuit, atque ea, quæ hic in terris firma, & simplici fide profitemur, nos quoque in cœlis visuros speramus.

## P A R S II.

*Credenda autem nullatenus perscrutando.*

**C**redere oportet sanctissimum triadis mysterium, non scrutari, nam *qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* Prov. 25. v. 27. Quare ipsa mater Ecclesia in hac festivitate canit verba Apostoli: *O altitudo divitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Rom. 11. v. 33. Nimium debilis est intellectus noster, ut credenda fidei mysteria perscrutari queat; ut enim quis in solem oculos figat, aquilinos habere necesse est, secus inaccessiblei luce hebetabuntur non ob solis, sed ob pupillæ defectum, tantam claritatem sustinere non valentis, ita intellectus noster incapax est, ut divini solis radios, id est, mysteria fidei capiat, non ob defectum claritatis, non

potentis illuminare, sed ob debilis potentiae intellectivæ infirmitatem non ferentis hos radios. Dederat aliquando Deus populo suo Israelitico hoc præceptum: *Cavete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius, omnis, qui tetigerit montem, morte morietur.* Exod. 19. v. 12. Deus optime! cur ita rigide sub poena mortis populo montem Sinai antea promiscue a quovis sæpius calcatum prohibuisti? ut video, tunc Deus salvificæ religionis dogmata in monte revelabat, quæ populo suo volebat præscribere, adeoque illum prohibebat propius accedere, seu ut cum S. scripturæ expositoribus in sensu spirituali loquar, eadem dogmata humanis rationibus, & argumentis examinare, ac perscrutari vetabat, prout Apostolus ait: *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* Rom. 11. v. 20. Audi, quisquis es, quæ S. Gregorius magnus observat in verba Proverb. 25. v. 27. *Sicut, qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria,* verba S. Patris sunt: „dulcedo mellis, si plus, quam „necesse est, fumitur, unde delectatur os, „inde vita comedentis necatur, dulcis etiam „est inquisitio majestatis Dei, sed qui plus „eam scrutari appetit, quam humana cognitio permittit, ipsa hunc etiam gloria opprimet; quia velut immoderate mel sumptum „perscrutantis sensum, dum non capitur, „rumpit. „ Edic S. Augustine, nonne succubuisti, dum mysterium sanctissimæ Trinitatis perscrutari voluisti? percipite hujus rei even-


32. *Dominica sanct. Trinitatis, &c.*

eventum: dum S. Augustinus scribens de sanctissima Trinitate meditabundus penes litus maris ambularet, invenit puerum, qui cochleari suo paucas maris guttulas scrobi infundebat, quærit Augustinus, quidnam suo labore moliretur? cur puer respondebat: hoc, quem vides, scrobulo, totum Oceanum complecti volo, huic reposuit Præsul: actum agis, Oceanum scrobs non capit, cui puer: & tu quoque ingeniolo tuo non capies sanctissimæ Trinitatis profunditatem, hisque dictis disparuit. Ex quo cognovit Augustinus, sanctissimam Trinitatem potius per fidem esse adorandam, quam curiose perscrutandam, unde postea scriptum reliquit Tract. 10. de Trinit. „ Deus credi se voluit, non examinari, periculosa disputatio de Trinitate, lutum, & vas figuli de creatore disputat, quod nec Angeli in coelo scire possunt. „ Menti proin nostræ imprimenda est doctrina, quam dederat S. Bernardus, ad Eugenium Papam ita scribens de hoc mysterio: „ Sacramentum hoc magnum est, & quidem venerandum, non scrutandum, scrutari temeritas est, credere pietas est, nosse vita, & vita æterna est, scrutator majestatis opprimetur. „ Cur ergo o homuncio, fidei mysteria humana ratione metiris? cur cum Thoma Apostolo adhuc infideli dicis: *Nisi videro, non credam?* Joann. 20. v. 25. Quare curiosus disputas? lege aureum libellum de imitat. Christi L. 1. c. 1. dicentem: *Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinita-*



*nitati.* Notate vobis hoc docti æque, ac indocti, & de infima rudique plebe homines, simpliciter credite, credenda autem nolite perscrutari.

Adoramus te igitur sanctissima Trinitas simplici fide, captivantes intellectum nostrum in obsequium fidei, sequimur monitum S. Augustini: „ Noli indagare, si non vis errare. „ Non scrutamur, magne Deus, tuam majestatem, ne opprimamur a gloria, sed pie credimus, ut tandem hoc nobis mysterium revelet tua in coelis gloria. Amen.



### QUÆSTIO SACRA III.

*Quinam sunt illi, quibus magis se cognoscendam dat sanctissima Trinitas?*

#### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Se magis cognoscendam dat sanctissima Trinitas illis, 1. qui præeminent humilitate, 2. & charitate.

#### T H E M A.

*Revelasti ea parvulis. Matth. 11. v. 25.*

**T**ota sanctissima Trinitas splendidissima lux est, *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.* 1. Joann. 1. v. 5. Lux tamen est humano intellectui secundum proprias vi-

34 *Dominica sanct. Trinitatis, &c.*

res videnti invisibilis; nam de trino, & uno Deo ait Apostolus: *qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem.* 1. Tim. 6. v. 16. Nihilominus hæc Lux divinissima ex mera misericordia se aliquando videndam communicat, illuminat, ac illustrat: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Ps. 33. v. 6. Verum quoniam sunt illi, quos uberiori claritate lux hæc infinita illustrat? ait Christus, quod hanc lucem, hoc summum Trinitatis mysterium Pater cœlestis revelet parvulis: *revelasti ea parvulis.* sit ergo responsio: se magis cognoscendam dat sanctissima Trinitas illis, 1. qui præeminent humilitate, 2. & charitate.

P A R S I.

*Magis cognoscunt sanctissimam Trinitatem, qui præeminent humilitate.*

**A**d mysterium sanctissimæ Trinitatis cognoscendum sapientia æterna feligit humiles. Legite Librum Prov. c. 9. v. 1. &c. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Sed quosnam ad regale hoc convivium vocavit sapientia? forte scribas, & sapientes hujus sæculi? minime gentium, *misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis, si quis est parvulus, veniat ad me, & insipientibus locuta est, venite, comedite panem meum, & bibite vinum.* v. 3. &c. Ecce! vocantur parvuli, id est, humiles & simplices, cum his enim sermocinatur sapien-

pientia æterna, hi cognoscunt, quam suavissimus  
 sit Dominus: *Nunquid non sapientia clamitat,  
 & prudentia dat vocem suam?* Prov. 8. v. 1.  
 Quos igitur alloqui desiderat, quos vocat?  
*Intelligite parvuli, & insipientes animadvertite,  
 audite, quoniam de rebus magnis locutura sum,*  
 v. 6. Ecce! parvuli, qui nempe præeminent  
 humilitate, vocantur a sapientia æterna, his  
 vult loqui, & magna aperire mysteria. *Con-*  
*fiteor, ait Christus, tibi Pater Domine cæli,*  
*& terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus &*  
*revelasti ea parvulis.* Matth. 11. v. 25. Sanctis-  
 simam Trinitatem non comprehendit dispu-  
 tatio, sed sanctitas: prout ait S. Bernardus  
 in ferm. parv. ferm. 1. „inquirere de Trinita-  
 „ te perversa curiositas est, at credere, & te-  
 „ nere, sicut sancta Ecclesia tenet, fides, &  
 „ securitas est., Vos parvuli, vos humiles  
 estis, qui Deum cognoscitis: quando enim  
 salvator noster cum gloria ingressus est Jerusa-  
 lem, *Commota est universa civitas, dicens: quis*  
*est hic?* Matth. 21. v. 10. Interrogabant,  
 quis esset? ne unus quidem e Sacerdotibus  
 hujus viri notitiam habuit: quis ergo eum ut  
 filium Dei & secundam in sanctissima trinitate  
 personam proclamabat? quibus se præbuit  
 cognoscendum? iis nempe, qui ex communi  
 populo simplicissimi, & humillimi erant: *Pop-*  
*puli autem dicebant: hic est Jesus Propheta.*  
 v. 11. Nonne etiam, quando calumniantes  
 Pharisei dixerunt: *In Beelzebub Principe dæ-*  
*moniorum ejicit dæmonia.* Luc. 11. v. 15. Se-  
 que omnes, quotquot sapientes erant, in



36 *Dominica sanct. Trinitatis, &c.*

veri Dei cognitione cœcos esse probarunt, devota tamen quædam, ac humilis mulier eum agnovit, & illius confessa est divinitatem clamans: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* v. 27. Ad majorem dictorum confirmationem percipite, quid factum sit in concilio Nicæno: huic inter 318. Episcopos præsentem etiam adfuit aliquis Philosophus, qui varios Episcopos ad disputandum de altissimis fidei dogmatibus, quibus contradicebat, provocavit, cumque nullus cum eo disputare auderet, prodiit humilis noster Spiridion sanctus Episcopus, hic petita a Concilio licentia eidem summam nostræ fidei paucis, & simplicibus verbis exposuit, moxque Spiritu sancto plenus interrogavit, an & ipse hæc crederet? Philosophus confestim obmutescens, & interius omnino mutatus se omnia firmiter credere, & victas dare manus respondit. O quam felices sunt humiles, qui magis student pia vita placere Deo uni trinoque, quam periculosa scientia investigare ejus Trinitatem, sane hujuscemodi Sciolis, & curiosis investigatoribus inculcandum illud venerabilis Thomæ Kempensis L. 1. de imit. Christi c. 2. *Melior est profecto humilis rusticus, qui Deo servit, quam superbus Philosophus, qui se neglecto cursum cæli considerat.*

## PARS II.

*Et Charitate.*

**S**ed Charitas quoque est, quæ hominem facit appropinquare throno sanctissimæ Trinitatis, ut inde magis illuminetur, & in cognitione rerum supernaturalium perficiatur; ait enim Ecclesiasticus de Deo uno. c. 2. v. 10. *Diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Hanc ob rem studiosius perpendamus Isaiæ visionem, ut videamus, quibus se cognoscendam communicet sancta Trias, postquam ei tres divinæ personæ in magnifico Throno confidentes revelatæ fuissent, mox ad earum majorem reverentiam ter illis acclamari audivit: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Isai. 6. v. 3. *Et Seraphim stabant super illud.* v. 2. Cur hoc magnificum sanctissimæ Trinitatis folium cingunt Seraphini, cur non potius Cherubini, quæ scientiæ plenitudo attribuitur? ecce! Seraphin præ reliquis Angelis ardent magis charitate, & ideo mysterium hoc sacerrimum clarius cognoscunt, charitatis ardore potius, quam intellectus perspicacia ad hoc habilitati. Unde tibi Jeremia tanta de Deo eruditio, nonne charitas erudit te? ita est, Jeremias amore Dei exæstuans, & ideo vehementer illuminatus dixit: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudit me.* Thren. 1. v. 13. Nonne Davidem quoque in cognoscendis summis mysteriis illuminabat charitas? David evolvendis libris nunquam assueverat,

38 *Dominica sanct. Trinitatis, &c.*

& tamen de se ait: *Super senes intellexi.* Ps. 118. v. 100. Quia ad perfectam divinitatis intelligentiam elevatus fuit, idque ob eam rationem, quam psalmista attulit inquit: *Quomodo dilexi legem suam Domine, tota die meditatio mea est.* Ps. 118. v. 7. Nimirum diligebat David summopere auctorem legis suæ ab ipso Deo triuno conditæ, & in ea die ac nocte pie meditando totus exardebat in amore. Nonne etiam Magdalenæ charitas increatam sapientiam inveniebat? en! Magdalena in domo Simonis Christum statim agnovit, cujus & pedes lavit; at resurgentem Dominum nequam discernere potuit, illum existimans esse hortulanum loci illius, in quo erat sepulcrum, cumque illum tangere vellet, repulsam tulit: *Noli me tangere.* Joann. 20. v. 17. quid hoc? qui prius lotionem pedum, osculumque admisit, modo tactum non indulget, cur hoc? Magdalena per viam amoris prius inquirebat dilectum, *Dilexit multum,* Luc. 7. v. 47. quem nunc per viam scientiæ investigare videtur, unde & eum Magistri titulo honoravit, *Rabboni.* Joann. 20. v. 16. Quod idem est, ac Magister, invenit sponsum, quem charitas ejus inquisivit; cognovit enim, quod Jesus accubisset, non invenit Magistrum, quem per viam scientiæ indagavit; divinæ quippe sapientiæ secreta illis præcipue revelantur, qui Deo juncti sunt per amorem; ait namque S. Gregorius Magnus: „ Per hoc, quod Elias in curru „ igneo ascendit significatur, quod ad cul- „ men



„men contemplationis plus facit dilectionis  
 „fervor, quam splendor cognitionis; ubi  
 „enim scientia foris stat, dilectio intrat. „  
 Quis demum non miratur illuminatissimam  
 summorum mysteriorum notitiam, qua fuit  
 repleta S. M. Theresia, ita ut Ecclesia Dei  
 per ejus merita petat pariter cœlesti ejus  
 doctrinæ pabulo nutriri, sed unde hæc no-  
 titia, nonne ex charitatis abundantia, quæ  
 ita accendebat cor ejus seraphicum, ut ab  
 Angelo seraphino mirum in modum fuerit  
 transverberata? O humiles, manete in di-  
 lectione, & Deus, qui charitas est, manebit  
 vobiscum, bene facitis dicentes: idiota sum,  
 peccator sum, nil scio, utinam summum, &  
 insultum bonum ex toto corde diligerem, ita  
 pergite, & digni efficiemini larga summorum  
 Dei mysteriorum notitia.

Quisquis igitur ad notitiam sanctissimæ  
 Trinitatis ascendere desiderat, in vallem humi-  
 litatis descendat, quæ sublimia capit myste-  
 ria, *revelasti ea parvulis*, ardeat charitate,  
 quæ sponsum cœlestem adinvenit, sic Deum  
 trinum & unum videbit hic, 1. Cor. 13. v. 12.  
*Per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad  
 faciem. Amen.*





DOM. II. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quare sacratissima Evcharistia vocetur  
cœna magna?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Sacratissima Evcharistia vocatur cœna magna, quia confert omnem benedictionem, 1. Spiritualem, 2. & etiam temporalem.

T H E M A.

*Fecit cœnam magnam. Luc. 14. v. 16.*

**N**eutiquam me a trito veritatis tramite aberrasse existimo, si sub hodierni Evangelii parabola designari intellexero illum ipsum, *qui sine parabola non loquebatur*, Marc. 4. v. 34. Christum Dominum, qui utpote magnus Dominus, & laudabilis nimis est ille homo; *qui fecit cœnam magnam, & vocavit multos*, Luc. 14. v. 16. Dum tanquam homo Deus sacratissimam evcharistiam instituit in ultima cœna, in qua pascha cum Discipulis suis celebravit. Christus in assumpta humanitate munificentissimus ille homo est, qui memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, quando in magna evcharistiæ cœna dedit escam Discipulis

pulis timentibus se, Christus ille optimus est Dominus, qui ad magnam sacrae communionis cœnam, in qua *parata sunt omnia*, v. 17. invitat magnos & parvos, Juvenes, & senes, divites, & pauperes, imo singulos homines. O certe magna Patrisfamilias cœlestis liberalitas! qui novam instituit cœnam, & quidem magnam, ut posset homines novis cumulare beneficiis. jam ex his in præsentiarum ventilatur quæstio, cur sanctissima Evcharistia vocetur cœna magna? illam opinor appellari cœnam magnam, eoquod devote cœnantibus omnem conferat benedictionem 1. spiritualem, 2. & etiam temporalem.

P A R S I.

*Sacratissima evcharistia confert benedictionem spiritualem.*

Si unquam Christus Dominus magnam cœlestium beneficiorum copiam humano generi largitus est, certe in evcharistico ferculo omnem omnibus præparavit benedictionem spiritualem, in quo *parata sunt omnia* Luc. 14. v. 17. id est, ut loquitur S. Thomas Aquinaticus, compendium totius vitæ spiritualis, in quo mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur; hinc etiam Patres concilii Tridentini in Spiritu sancto legitime congregati docent, Evcharistiam esse sacramentum, in quo Christus divitias divini sui erga hominem amoris velut effudit. Si aliquando magnus Elias invenit omnem benedictionem in



pane illo per Angelum sibi coelitus subministrato, ita ut confortatus pergeret ad montem Dei Horeb, *comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Horeb.* 3. Reg. 19. v. 8. majorem sane benedictionem continet panis ille Evcharisticus, quem ipse Angelorum Dominus in coena sacramentali paravit omnibus, ut in illius fortitudine viator homo repleretur omni benedictione spirituali, sicque posset secure pergere usque ad montem Dei, id est, gloriae coelestis. Miramini forte, & non abs re, quod Moyses in deserto *percussit petram, & fluxerunt aquae,* Ps. 77. v. 20. Quod petra illa dedit & mel, & oleum, & lac, & medullas, Deut. 32. v. 13. At miremini magis, quod a petra mystica, scilicet Christi corpore in Sacramento mirabili non unus, sed omnis liquor fluat suavitatis omne delectamentum in se habentis. O cibus dulcissimus! jam non miror, quod Christus a morte resurgens Apostolos suos vocaverit fratres, & amicos, *Ite, nuntiate fratribus meis.* Matth. 28. v. 10. Sumpterant enim ante in coena Evcharistica panem illum facerrimum, de quo ait S. Cyrillus Episcopus Jerosolymitanus catechesi Mystag. 4. „Concorporei, ut ita dicam, & consanguinei Christi facti estis.“ Quare putatis Josephum ab Arimathæa in Scriptura vocari divitem: *Venit quidam homo dives ab Arimathæa nomine Joseph.* Matth. 27. v. 57. Ecce! de eo sacer textus ait: *Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu.* v. 58. Non vanæ hujus mundi

mundi divitiæ commendabant Josephum, sed spirituales divitiæ pietatis eximiae, qua proferebatur corpus Christi, „ ille enim, loquitur in sensu mystico S. Ambrosius, dives est, „ qui suscipit corpus Christi. „ O quantas benedictionis spiritualis divitias colligit, qui corpus Jesu in Sacramento Evcharistiæ recipit! o quam dives benedictione spirituali fuit S. Mechtildis, quæ sumpta devotissime sacra synaxi meruit audire a Christo: tu in me, & ego in te, & in æternum non derelinquam te. Quam dives ex Evcharistiæ epulo facta est S. Catharina Senensis, quam Christus sanctissimo corporis sui sacramento refectam hisce alloquebatur verbis: dico tibi, quod olim Augustino servo meo: cibus sum grandium, cresce, & manducabis me, nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. His spiritualis benedictionis divitiis cumulata nostra S. Maria Magdalena de Pazzis jam in prima sua ætate suavissimas magnæ hujus coenæ delicias senserat, quæ, cum ipsamet non permitteretur ad hanc Evcharisticam mensam accedere, a Matre sua cœleste hoc epulum accipiente avelli non poterat, & hujus rei causam rogata dicebat: se intimum voluptatis sensum haurire per vicinitatem latentis Dei, ac recreari odore Divinitatis. O suavissimos cœlestis panis fructus! o copiosa spiritualis benedictio, quæ in convivio hoc longe facerimo percipitur! Noli jam quærere, o Christiane, unde tanta in homine hoc vel illo modestia! ecce! portat in corde suo Dominum  
Evcha-

Evcharisticum, quem coeli capere non poterant. Unde in illo tanta pietas? ecce! frequentius accedit ad sacram synaxin. Unde tanta in isto rerum supernaturalium notitia? nonne ex frequentiori Evcharistiæ usu? Unde in hoc tantus virtutum profectus deprehenditur, nisi quia sæpius in magna Evcharistiæ coena sacrosancto Christi corpore pascitur? hos igitur imitemur, & abundantia celestis benedictionis replebimur.

## PARS II.

*Et etiam temporalem.*

**N**ecdum satis, etiam benedictio temporalis in evcharistica coena abundanter confertur: habemus adumbratam rei hujus veritatem in libris Regum, in quibus narratur, quod benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus, ita, ut campi, & vineæ ejus triplicem fructum dederint, sed cur domus Obededom tam larga divinorum beneficiorum copia fuit ditata? legite scripturæ textum: *Habitavit arca Domini in domo Obededom tribus mensibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus.* 2. Reg. 6. v. 11. Quod arca Dei pulcherrima evcharistiæ sit figura, nullus est, qui ignorat; si ergo domus Obededom omni temporali benedictione fuit impleta, cum arca Dei in eam portaretur, qualem putatis temporalem benedictionem inferri domibus nostris, quando arca mystica per devotam Christi corporis sumptionem subintrat?

Con-



Consulite desuper S. Gregorium Nanziazenum, qui nobis testatur, parentem suum ardentissima febre exhaustum sumpta devote evcharistia convaluisse: Hic idem de sorore sua Gorgonia testatum reliquit, quod gravissimis doloribus, & membrorum omnium dissolutione decubuerit, sed piissime adorans venerabile sacramentum sanitati ex tempore fuerit restituta. ecce! quomodo hoc sacramentum evcharisticum non solum salutem animæ, sed & corporis, non spiritualem tantum, sed & temporalem benedictionem impertiatur. Unde tanta, tamque copiosa benedictio temporalis accrevit Augustissimæ domui Austriacæ? nonne ex intensissima erga sanctissimum sacramentum devotione? percipite, quod memoriæ proditum est de Rudolpho comite Habsburgico: quando hic unacum Regulo Kyburgensi propinquo suo ad Fatidicam in sacra Helvetiæ solitudinis cella abditam religionis causa proficisceretur anno Christi 1264. Contigit, ut sibi in via haberet obvium sacerdotem, qui evcharistiam ad morturientem portabat, eundem sacro muniturus viatico, cumque Rudolphus videret sacerdotem iter pedibus facientem, de equo suo descendit, eique sacerdotem imposuit, quod pietatis exemplum videns Regulus Kyburgensis interna pariter devotione motus, ipse etiam ædituo ardentem, cereum, & campanulam præferenti suum equum concessit, uterque autem pedites venerabile Sacramentum usque ad casam, & ab ægroto rursus usque ad ecclesiam comitati sunt:

46 *Dominica II. post Pentecosten.*

sunt: hæc cum peracta essent, sacerdos omnia fausta eis, eorumque posteris prædixit, & in pace a se illos dimisit: qui hinc ad sacram cellam contendebant, ubi Deo Evcharistico rursus adorato Anum ob vitæ sanctitatem omnibus venerandam salutant, quæ velut numine plena ad Rudolphum conversa ait: pro officio & cultu Evcharistiæ, quam pedester comitatus es, te, posterosque cumulatissime benedicet Deus, & ne vana spe te induci a me suspiceris, novenarium temporis numerum, quo tibi certum mei hujus vaticinii signum ostendetur, diligenter observa. Rudolphus novem diebus, & mensibus elapsis Anno 1273. Romanorum Imperator est renuntiatus omni terrena benedictione repletus. Haud absimilem benedictionem ex æquali sacra Evcharistiæ veneratione percepit Ferdinandus secundus: hic enim cum venationi insisteret, visus est sibi audire nolam, sciscitans vero hujus soni causam, ad ædes rustici morituri sanctissimam hostiam a sacerdote deferri intellexit: nil ergo moratus per invia & devia ad sacerdotem accurrit, & equo desiliens eundem comitatur ad infirmi ædes, quas una cum Presbytero pius Rex ingressus adstitit infirmo, quem sacerdos his solabatur verbis: ecce! duos Reges hodie in tua casa suscepisti, Regem Regum Christum, & hunc Ferdinandum Bohemiæ Regem. Postea sacerdote munus suum perficiente Rex ulterius Evcharisticum Dominum comitatus est, per quem ab illo temporis articulo tam copiosa benedictione


ne

ne temporali fuit locupletatus, ut ad summum Imperatoris solium effectus auream ætatem revocasse videretur. O exempla non modo admiranda, sed & omnibus imitanda. Igitur quotquot calamitatibus pressi estis, nolite con-  
 queri, quod omni temporali benedictione careatis in domibus vestris, potius discutite conscientiæ vestræ latebras, & deprehend-  
 tis, quod tepor vester, vestra desidia, quæ vos a cœna Domini retrahit, omnem tempo-  
 ralem benedictionem a vobis avertat; accedi-  
 te ergo ad fontem evcharisticum, a quo copio-  
 sas benedictionis temporalis aquas haurire po-  
 testis, ardeat in cordibus vestris jugis devo-  
 tio erga augustissimum altaris sacramentum,  
 & reportabitis inde omnem benedictionem.

Accedamus igitur ad magnam magni Re-  
 gis cœnam, ad quam invitati sumus, acceda-  
 mus, quia jam *parata sunt omnia* v. 17. para-  
 ta est benedictio spiritualis, parata est & tem-  
 poralis, sit in nobis sacra fames, qua appeta-  
 mus ferculum evcharisticum, sit pia sitis,  
 qua sacrosancto Christi sanguine potari, tam  
 ardentem desideremus, sicut desiderat cervus  
 ad fontes aquarum: unigenitus autem Dei  
 filius, quem in cœna hac magna sub speciebus  
 sacramentalibus recipimus, nos benedicere,  
 & adjuvare dignetur. Amen.







## QUÆSTIO SACRA II.

*Quinam sunt illi, qui ad cœnam invitati se excusant?*

### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Illi se excusant venire ad cœnam, qui negligunt ad sacram communionem accedere, ad quam tamen accedendum est, 1. frequenter, 2. & simul ferventer.

### T H E M A.

*Cœperunt simul omnes excusare. Luc. 14. v. 18.*

**U**nanimi ferme suffragio sancti Patres Eucharisticam mensam intelligunt sub nomine cœnæ magnæ, ad quam Paterfamilias Evangelicus *vocavit multos*, Luc. 14. v. 16. hæc illa cœna est, in qua *parata sunt omnia*, v. 17. In qua spiritualis dulcedo in suo fonte potatur, in qua Christus dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & tristibus sanguinis poculum dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. v. 28. O sacrum convivium, in quo omnes duro miseriarum onere gravati reficiuntur, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ pignus datur! o magnus Christi amor, qui non minus suaviter, quam fortiter ad hanc sumptuosissimam invitat mensam! quomodo ergo fieri

feri potest, dari homines, qui se excusare audent, quod ad hanc Evcharisticæ mensæ cœnam non possint venire? *Cœperunt simul omnes excusare.* Verum quinam sunt hi, qui ad cœnam invitati se excusant? opinor eos esse, qui negligunt ad sacram communionem accedere, ad quam tamen accedendum est, 1. frequenter, 2. & simul ferventer.

P A R S I.

*Ad sacram communionem accedendum est frequenter.*

Si mirabilem altissimi Evcharistiæ sacramenti institutionem penitius, ac attentius considero, frequentiore ejusdem usum nobis haud obscure significari intelligo per hæc ipsa Evcharistici Domini verba: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Joann. 6. v. 51. &c. Si ergo panis est, quis illum sumere renuat, cum nullus panem quotidianum fastidiat? quis se excuset venire ad illam cœnam, in qua non vulgaris panis sed Evcharisticus omne delectamentum in se habens convivis apponitur, de quo S. Augustinus dicit in L. de verbis Domini serm. 28. „iste panis „quotidianus est, accipe quotidie, ut quotidie „tibi profit, (sed notate verba, quæ S. Augustinus immediate subjungit) sic vive, ut „quotidie merearis accipere. „ in eum ferme modum de hoc salutifero pane loquitur Angelicus Doctor 3. p. q. 80. ar. 10. ad. 1. *Quia quotidie homo indiget salutifera Christi vir-*  
*P. Friderici a Jesu P. Dom. Tom. II. D tu*

50 *Dominica II. post Pentecosten.*

*tute, quotidie potest & laudabiliter hoc sacramentum suscipere; si enim corpus suum quisque quotidie pascit, cur non & animam pane de coelis præstito per devotam communionem saltem spiritualem, si realiter illum sumere non expedit, enutriat? nonne, ut alia utar similitudine, quo magis infirmatur homo, eo frequentius sumit medicinam, vocatque medicum, qui non est opus valentibus, sed male habentibus? quid autem aliud est sacramentum evcharistiæ, teste S. Ambrosio, nisi saluberrima medicina, ad quam toties recurrere debet peccator, quoties per peccatum infirmatur? unde mellifluus hic Pater de se ipso ait: „Quotidie communicare debeo, qui quotidie pecco, debeo semper accipere sanguinem Domini, ut semper mihi peccata dimittantur, qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.„ Si in veteri Lege Exod. 29. præcepit Deus immolari sibi quotidie agnum unum vespertino tempore, & alium matutino, illum in memoriam Christi morituri, hunc vero in memoriam resurrecturi, quanto magis decet, ut nos istorum beneficiorum memoriam frequentius celebremus, qui illa beneficia abundantius in Evcharistiæ sacramento participamus. Nonne quotidie Exod. 16. Judæi manna in deserto colligere jubebantur? cur non & nos frequentius accedamus cœnam hanc magnam, ut manna cœleste, panem Evcharisticum, quo nutriamur, devota mente, & piis desideriis colligamus? ad hunc supernaturalem panem*



nem sæpius colligendum hortabatur christia-  
nos S. Ignatius Martyr scribens ad Ephesios:  
„ date operam, ut crebrius congregemini ad  
„ Evcharistiam, frangentes panem unum,  
„ quod pharmacum immortalitatis est, mortis  
„ antidotum, vitamque in Deo concilians per  
„ Jesum. „ Redeamus ad aurea illa tempora,  
in quibus Christi sanguis adhuc calidus in pri-  
morum christianorum venis ebulliebat, pro-  
fecto a piis illius ævi fidelibus jugem hujus  
sacramenti usum addiscere possumus fideles,  
inquit sanctus Basilius epistola ad Cæsariam Pa-  
tritiam, meo tempore quater in hebdomada  
communicarunt, in Dominica nempe, feria  
quarta, sexta, & Sabbato, & reliquis sancto-  
rum festis. Hos ipsos primos christianos in fre-  
quenti hujus sacramenti sumptione imitata est  
S. Catharina Senensis, quæ cum eam qui-  
dam Episcopus ob sacræ communionis fre-  
quentiam argueret, illud S. Augustini obi-  
iciens: „ quotidie Evcharistiam sumere nec  
laudo, nec vitupero, singulis tamen Domini-  
cis diebus communicandum hortor; „ respon-  
debat: ex quo S. Augustinus me non vitu-  
perat, cur tu Pater Reverende me reprehen-  
dis? quo dicto Præsul confusus tacuit. ad  
nostram quoque institutionem percipiamus lo-  
quentem Episcopum vigilantissimum S. Fran-  
ciscum Salesium: „ sæpe, ait ille, communi-  
„ ca, & quam potes sæpissime, idque suasu  
„ & consilio confessarii tui, & sic totus pul-  
„ cher, bonus, & purus eris. „ Ast audio  
quamdam christianorum excusationem, qui

se hoc sacramento indignos dicitant, ut frequentius accedant, illis vero inculcatum volo id, quod Adalredus in vita S. Margaretæ Reginae scribit: hæc Scotos in sumenda sacra synaxi negligentes, & ne quidem tempore Paschali ad S. Communionem accedentes merito increpabat, illis autem objicientibus illud I. Cor. II. v. 29. *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.* Sumus peccatores, qui Dei judicium timent, respondisse fertur: ergo nemo hanc Eucharisticam dapem debet sumere, quia nemo sine labe est, nec infans unius diei; quare ergo dicit Christus: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Joann. 6. v. 54. Frequenter igitur proba te ipsum, ac contritionis spiritu, & pœnitentiæ lavacro mundatus, frequenter quoque ad sacram hanc mensam accede; summopere enim reprehensibiles sunt illi, qui non nisi urgente præcepto, duntaxat Paschatis tempore ad sacram communionem accedunt, reliqua autem anni parte, licet sæpius ad cœnam hanc cœlestem per internas inspirationes vocentur, frivole se excusant: unde non mirum est, quod etiam tempore Paschali non recipiant fructum Sacramenti, cum in eis nulla sit puritas mentis, nulla vera contritio, nulla sacra fames, nulla christiana pietas; quapropter ejusmodi statim iterum ingrediuntur antiquam iniquitatum sylvam,

## P A R S II.

*Et simul ferventer.*

Cum in frequenti ad sacram synaxin accessu non modo sacramentum, sed & virtus sacramenti recipiatur, devoti quoque animi fervor requiritur. Quando Deus omnipotens creator omnium mysticum plantavit paradisum, Ecclesiam nempe novi testamenti erigens, varias posuit in ea arbores, id est, plura instituit sacramenta, & varia salutis remedia præparavit, sed sicut olim in paradiso terrestri Gen. 2. specialem arborem vitæ posuit, sic quoque in mystico Ecclesiæ paradiso mirificam vitæ spiritualis arborem fundavit, dum augustissimum altaris sacramentum non minori providentia, quam benevolentia instituit, ex quo suavissimi divinorum auxiliorum, imo & vitæ æternæ fructus progerminant, ita testante Christo: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Joann. 6. v. 55. Quis ergo non desideret, uberrimos hujus vitalis arboris fructus gustare? quis non summo cum fervore properet ad hanc vitæ supernaturalis arborem, ut habeat inde vitam æternam? quis non sacram habeat famem, ut dulcissimo sacramenti hujus pabulo satiatur? Vere enim ipso dicente Christo: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Matth. 5. v. 6. At quomodo saturabuntur? nullo sane alio epulo, nisi in Christo, quem aliqui in præfato



54 *Dominica II. post Pentecosten.*


textu intelligi volunt, de quo dicitur: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* I. Cor. I. v. 30. Redeamus ad prima exorientis christianæ fidei tempora, consideremus primos christianos, quo cum fervore, ac orationis spiritu frequentaverint hanc cœnam evcharisticam, unus alterius magis, ac magis pia succendebat desideria in sumendo hoc pane divinissimo, acuebant inter se sacram fanem devotis de mensa sacramentali colloquiis, & ideo scribit de illis S. Lucas: *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis & orationibus.* Act. 2. v. 42. & *quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum.* v. 46. O felices filii hominum, quibus Christus abunde satis providit in ferculo evcharistico, ne unquam esuriretis; si enim mundus tempore Pharaonis extrema quadam fame vexatus auxilium invenit in Joseph, qui ei *aperuit universa horrea.* Genes. 41. v. 56. Quid dicam de Christo Salvatore nostro, quem Joseph ægypti salvator appellatus præfigurabat? nonne ille nobis pinguis gratiarum divinarum horrea aperuit, dum nobis in suavissimo altaris sacramento frumentum electorum præparavit, percipite desuper loquentem S. Prosperum: „ aperuit „ Joseph horrea tempore famis, & ministra- „ bat populis, hoc & de nostro dictum est: „ oculi Domini super justos, & sequitur, ut „ eruata morte animas eorum, & alat eos „ in

„ in fame, scilicet illa, quam Deus per Amos  
 „ comminatur dicens: mittam famem in ter-  
 „ ram, non panem famis, sed audiendi ver-  
 „ hi Dei, in hac fame positus noster Joseph  
 „ Christus Dominus ex horreis suis nobis di-  
 „ vinam sui corporis annonam ministrat. „ Sa-  
 „ cra proin fames habenda est. & cum magno  
 fervore accedere oportet ad cœlestem Jo-  
 seph salvatorem nostrum, qui panem divinum,  
 suum sacratissimum corpus in hoc sacramento  
 evcharistico nobis propinat. hæc, cum ita sint,  
 haud modicam sibi accersunt reprehensionem,  
 qui sæpius quidem ad cœnam evcharisticam  
 accedunt, sed sine vero spiritu, sine devotio-  
 ne, sine sacra fame, quis credat fervorem esse  
 in illis, qui cum Juda statim accepta buc-  
 cella e templo egrediuntur, nullam gratiarum  
 actionem evcharistico Deo referentes, au-  
 diant hi dictum Thomæ Kempensis L. 4. de  
 imit. Christi c. 1. *Si enim hoc sanctissimum sa-  
 cramentum in uno tantum celebraretur loco, &  
 ab uno tantum consecraretur sacerdote in mundo,  
 quanto putas desiderio ad illum locum, & ad ta-  
 lem Dei sacerdotem homines afficerentur, & di-  
 vina mysteria celebrari audirent!*

Procul ergo omnis excusatio, procul cedi-  
 te vana hominum negotia, negotium maxi-  
 mi momenti tractatur, dum evcharisticum fer-  
 culum gustatur, absit a nobis dicere cum in-  
 vitatis ad cœnam in hodierno evangelio: *Ha-  
 be me excusatum.* v. 18. Frequenter acceda-  
 mus ad hunc largissimum gratiarum omnium  
 fontem, atque ex eo ferventer hauriamus

56 *Dominica II. post Pentecosten.*

dulcissimas beneficiorum cœlestium aquas,  
sic certe non sitiemus in æternum. Amen.



### QUÆSTIO SACRA III.

*Quidnam nobis significetur, quod multi  
ad cœnam sint vocati?*

#### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Quod multi ad cœnam sint vocati, significat  
nobis infinitam Dei misericordiam, 1. qua  
vult salutem omnium, 2. & omnibus salu-  
tis media confert.

#### T H E M A.

*Vocavit multos. Luc. 14. v. 16.*

**Q**uis satis explicet magnum illud gaudium,  
quo dilectissima sponsi cœlestis sponsa  
fuit perfusa, cum suavissimam dilecti  
sui vocem audiret præ nimio cordis júbilo ex-  
clamans: *Vox dilecti mei.* Cant. 2. v. 8. præ-  
vie erant quotidiana, eaque ferventissima spon-  
sæ desideria, ut perciperet gratissimam sponsi  
sui vocem: *Fac me audire vocem tuam.* Cant. 8.  
v. 13. Demum voti compos facta in suo ita  
recreabatur animo, ut præ amoris magnitudi-  
ne inciperet colliquescere, & lanquere. Hæc  
eadem amabilissima cœlestis sponsi vox, quam  
sponsa tam ardentè audire desiderabat, in-  
sonat



sonat quoque auribus nostris in hodierno Evangelio, dum ad coenam magnam, & opipare paratam *vocavit multos*, Luc. 14. v. 16. *Et pauperes, ac debiles, Et cæcos, Et claudos.* v. 21. volens ad eam introduci. Verum enimvero, jam inquirere liceat, cur tam multi ad saluti-ferum hoc convivium invitentur? quid significet? *Vocavit multos?* respondendum censeo, quod vox hæc suavissima clamet, & annuntiet nobis infinitam Dei misericordiam, 1. qua vult salutem omnium, 2. & omnibus salutis media confert.

## P A R S I.

*Deus vult salutem omnium.*

**I**ta est, salutem omnium vult benignissimus salutis author Deus, & quasi cogit homines intrare in regnum cælorum, *compelle intrare.* v. 23. huc etiam facit illud Matth. 11. v. 28. Ubi dilectissimus animarum nostrarum sponsus quoscunque voce plane amicabili vocat, & invitat hisce verbis: *Venite ad me omnes.* quin imo apud Ezechiam c. 18. v. 32. omnibus manifestum facit, quod non velit perire peccatores: *Nolo mortem morientis, revertimini, Et vivite.* Hoc idem declarat nobis per Apostolum suum Petrum: *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* 2. Pet. v. 9. Vos igitur peccatores mactò estote adhuc animo, Deus salutem vestram sincera vult voluntate, utut enim sit justissimus Judex, ac implacabi-

lis vindex malorum in statu gravis peccati decedentium, eosque finaliter reprobet, ac damnet, neutiquam tamen intendit vos eadem damnationis sententia punire, si redeatis ad cor, & ad ipsum in compunctione animi vestri convertamini, necdum diabolicam induistis inflexibilitatem, viatores adhuc estis, quos Deus ter optimus maximus quantum est in se, neutiquam infernalibus pœnis adjudicat, nisi perversa voluntate vos ultronee in barathrum miseriarum omnium præcipitatis: is ipse neminem ad perditionem creavit, sed ad vitam & salutem æternam omnes redemit, ut redemptionis fructum participent, dummodo gratiæ cooperentur. Imo ausim dicere, tanta est bonitas clementissimi Numinis, ut & dæmonem, si jam capax salutis esset, salvum vellet, hujus mei effati argumentum subministrant hæc S. Marci verba: confitebatur aliquando dæmon Christum Dominum sanctum, dicens: *Scio, qui sis sanctus Dei.* Marc. i. v. 24. Hæc tamen maligni spiritus confessio cum Christo non placeret, dixit ei: *Obmutesce,* v. 25. Salvator optime, cur dedignaris audire diabolum confitentem tibi? causam colligo ex prioribus ejusdem Evangelii verbis, inquiebat enim dæmon: *Quid nobis, & tibi Jesu Nazarene, venisti perdere nos?* v. 24. hæc igitur verba: *Venisti perdere nos,* ita duplicuerunt salvatori nostro, ut dæmoni strictissimum imposuerit silentium, cum Christus non venerit perdere, sed salvare. cuncti itaque homines, *Confitemini Domino, quoniam bonus,*

*bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.*  
 Pf. 105. v. 1. Vos omnes vocati estis, & vult quoque benignissimus Dominus, ut sitis electi. ecce! erant Ninivitæ homines pessimi, *Quia ascendit malitia ejus,* (nempe civitatis Ninive) *coram me.* Jon. I. v. 2. sed ostendit suam erga illos misericordiam, cum Jonam Prophetam ad eos ablegaret, ut sua prædicatione ad veram perducerentur poenitentiam: o admirabilis Dei misericordia! o ineffabilis divini numinis benignitas! mittitur Propheta, ut volunt sancti Patres, ad Ninivitas gentiles homines, qui verum Deum non agnoscebant, ut per hoc universo terrarum orbi divinæ misericordiæ immensitas, paterna pro salute omnium cura, & mirabilis erga peccatores Dei providentia innotesceret, dum nullum nec gentilem de salute vult excludere. Seria proin consideratione digna sunt verba S. Clementis, qui L. 2. constit. c. 55. in hunc ferme modum loquitur: „ Audivimus ex ore „ Domini nostri Jesu Christi, & optime edoc- „ ti dicimus, quænam sit voluntas Dei bona, „ & beneplacens, & perfecta, quæ nobis per „ Jesum Christum declarata est, scilicet ne „ unus pereat, sed potius omnes homines, „ cum ei vero consensu crediderint, laudibus „ eundem uno ore, & animo celebrantes iis- „ dem in sempiternum vivant, major cura in- „ est Deo, ut omnes ad veram pertrahat salu- „ tem, quam diabolo, ut nos ad æternam „ damnationem impellat; unde ipse unigeni- „ tus Dei filius quodammodo nobis vim facit,  
 „ ut



60 *Dominica II. post Pentecosten.*

„ ut pertrahat ad salutem, ideo dixit: ego  
„ cum exaltatus fuero a terra, omnes traham  
„ ad me ipsum, ubi non solum invitat volen-  
„ tes, sed & cunctantes trahit. O insensati  
„ peccatores! „ invitat vos misericordissimus  
Deus ad dapes cœlestes, & curritis ad ægypti  
cepas, vocat vos benignissimus Dominus ad  
Jerusalem supernam, & descenditis in scele-  
ratam Babylonem hujus mundi, vocat vos  
ex hoc vitæ exilio ad cœlestem patriam, &  
vos amplectimini latam, & spatiosam viam,  
quæ ducit ad interitum, & infernale bara-  
thrum, vult Deus salutem vestram, & vos ve-  
stram quæritis ruinam. Nunc vero *fratres*  
*magis satagite, ut per bona opera certam vestram*  
*vocationem, & electionem faciatis.* 2. Pet. I.  
V. 10.

P A R S II.

*Et omnibus salutis media confert.*

**A**ccedite ad Deum omnes, qui laboratis,  
& onerati estis, ipse reficiet vos, ipse vo-  
bis conferet congrua salutis media, ipse est,  
qui dicit: *Ecce! sto ad ostium, & pulso.* Apoc. 3.  
v. 20. stat clementissimus Deus non solum ad  
ostium cordis humani volendo salutem om-  
nium, sed etiam id pulsat omnibus sufficientia  
salutis media conferendo. Si Christus Sol  
est juxta illud, Malach. 4. v. 2. *Orietur sol*  
*justitiæ.* Sol autem cunctis hisce sublunariis  
creaturis dat conservationem, & incremen-  
tum, nonne Christus *solem suum oriri facit su-*  
*per bonos, & malos?* Matth. 5. v. 45. Qui-  
bus

bus omnibus copiosos salutis radios, ut crescant, & conserventur in perfectione christiana, impertitur? Si lux est prorsus indeficiens: *Lux venit in mundum*, Joann. 3. v. 19. Lux autem viatoribus dubiam monstrat viam, ut præfixum attingat terminum; nonne Christus tanquam *Lux vera illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* Joann. 1. v. 19. Si denique fons est largissimus, de quo Zacharias c. 13. v. 1. ait, *erit fons patens?* fons autem omnibus abundantes subministrat aquas ad sitim extinguendam, Nonne Christus omnibus uberrimas salutis aquas propinat, quo peccata deleantur, & noxia sitis ad illicitas voluptates extinguatur? sane Isaias de hoc fonte jugibus gratiis, & auxiliis fluente loquebatur, dum c. 55. v. 1. ait *omnes sitientes venite ad aquas*, quas nempe cuique licet haurire de fontibus Salvatoris nostri benignissimi. Ut autem hanc veritatem plenius intelligatis, insimulque magis perspiciatis infinitam Dei misericordiam, qua pessimis etiam hominibus, non denegat suas gratias, sceleratissimos rememorate Sodomitas, inter quos vivere disposuit piissimum Loth, ut optimis ejus moribus, sanctisque operibus, ac bonis exemplis a via perditionis abstraherentur. sic quoque cur factum putatis, quod capta per Nabuchodonosorem Jerosolyma, etiam Daniel sanctus in captivitate Babylonicam duceretur? certe hoc ideo factum esse credite, ut malis Babyloniis bona conferret salutis medicina, quatenus haberent Danielem Doctorem,  
qui



62 *Dominica II. post Pentecosten.*

qui eos viam ad salutem æternam edoceret. quare demum ipse Christus Judam suo associavit Apostolico collegio? associavit, ut exemplo proborum Christi discipulorum, & exhortatione, ac conversatione ipsius salvatoris ædificatus malum culpæ vitaret, bonum virtutis sequeretur, & sic emendatus salvus fieret. Considerate in Christo illum Evangelicum Patremfamilias, qui Matth. 20. v. 1. &c. *Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*, rursus etiam circa horam tertiam, sextam, & nonam, ecce! coelestis hic Paterfamilias summo mane, ubi homo ad usum rationis pervenit, eum in vineam suam vocat, ut in primo statim momento, quo incipit humano modo operari, se convertat ex toto corde suo ad Dominum Deum suum, quin nolentes venire, seque convertere, revocat ab otio, & ad laborem operum bonorum invitat usque ad horam nonam, ut demum adveniente vespere vitæ humanæ ei largiri queat denarium æternæ gloriæ; eapropter Christus salutem animarum appellat pretium suum, & suam hæreditatem: *pretium meum cogitaverunt repellere*, Ps. 61. v. 5. *Et populus, quem elegit in hæreditatem sibi*. Ps. 32. v. 12. Quia salutem nostram emit inæstimabili sui sanguinis pretio, eamque sibi hæreditatem effecit per tot nobis collata salutis media. O benignissimum Patrem, qui ut omnes salvare queat, dat omnibus sufficientia salutis media. an capis hoc, o homo, an agnoscis divina beneficia? quid ergo aliquando ingrater

re-



respondebis in extremo iudicio Judici iustissimo, qui tibi tot salutis auxilia dedit, quibus tamen omnibus abusus es? o quot bona exempla vidisti, quot exhortationes, inspirationes, & admonitiones audivisti! quod gratias recepisti! sed eheu incassum omnia, timeo, ne & tibi aliquando dicatur: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Jerem. 51. v. 9.

O magnam misereantis Dei misericordiam, qui non solum vult salutem omnium, sed & omnibus copiosa salutis media confert, cooperemur vocanti Deo, sequamur monitum custodis Angeli, quem misit Deus tanquam servum suum, & administratorium spiritum, ut hominem per pias inspirationes ad cœnam magnam introducat, hunc ducem si secuti fuerimus, ad magnam æternæ gloriæ cœnam non solum erimus vocati, sed & electi. Amen.





## DOM. III. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

*Quid in nobis operentur hæc Evangelii verba : Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente ?*

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Hæc Evangelii verba operantur in nobis pœnitentiam, 1. quæ gaudium Christo facit, 2. & facere potest pœnitenti.

## T H E M A.

*Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15. v. 7.*

**S**i aliquando, verba sunt Augustini serm. 44. de verbis Domini circa initium, „ de „ Juvene illo resuscitato gavisa est Mater „ vidua, de hominibus in spiritu quotidie suscitatis gaudet Mater Ecclesia; „ & optime; surrexit enim homo de morte peccati ad vitam gratiæ, restat tamen adhuc dubio locus, eoquod Ecclesia in suo præconio paschali præ gaudio exclamet: *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* Quis non crederet, dicendum potius fore: *O infelix culpa, quæ*

quæ æternæ vitæ jacturam promeretur, at imitatur Ecclesia Dei ipsos cœli Angelos, qui non quidem de culpa, sed de pœnitentia, quæ sequitur ex culpa, magnopere gaudent: *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Jam ergo prona fluit responsio ad hanc quaestionem: quid in nobis operentur hæc Evangelii verba: *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente?* Dicendum quippe videtur, quod hæc Evangelii verba operentur in nobis pœnitentiam, 1. quæ gaudium Christo facit. 2. & facere potest pœnitenti.

## P A R S I.

*Pœnitentia gaudium Christo facit.*

**I**mmensum cordis gaudium, quod Christus habet *super uno peccatore pœnitentiam agente*, abundanter satis nobis manifestat, dum se oculis nostris repræsentari voluit sub parabola pastoris boni, qui nonaginta ovibus in deserto relictis in unam deperditam diligenter inquit, donec inveniat, & præ gaudio exclamare possit: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Luc. 15. v. 6. Verum enimvero quid loqueris pastor bone? utique ovi potius, quam tibi gratulandum est? cur ergo tibi applaudi desideras? dubium mihi solvit S. Gregorius, dum notat, „ quod non dixerit: congratulamini inventæ ovi, sed mihi, quia vita ovis gaudium Pastoris est; „ per pœnitentiam reversa ovis Pastori Christo

*P. Friderici a Jesu P. Dom. Tom. II.* E gaud-



gaudium facit. Colligite ulterius magnum Christi gaudium ex parabolis evangelii, ecce! quantum habuit gaudium Pater evangelicus, cum filium suum prodigum ad paternam domum rursus convolare, & se ad paternos pedes magna cum pœnitentia prosternere vidisset, *cecidit Pater super collum ejus, & osculatus est eum.* Luc. 15. v. 20. Quid faciet Christus, hic Pater noster cœlestis, quanto mentis jubilo perfundetur, cum viderit filium prodigum, scilicet, peccatorem contrito corde ad se revertentem? ruet in suavissimos amplexus, & ad pacis osculum peccatorem pœnitentem per sacramentum pœnitentiæ admittet. est & alia adhuc in evangelio parabola, quæ nobis Christi gaudium *super uno peccatore pœnitentiam agente* ante oculos ponit. Gavisus est Samaritanus Luc. 10. cum per sedulam ejus curam pristinæ sanitati restitueretur homo ille, qui a Jerusalem descendens in Jericho, ac in via a latronibus plura acceperat vulnera: quis mihi jam explicet summum gaudium, quod verus Samaritanus Christus concipiet, cum homo in latrones vitiorum incidens, & multis peccatorum vulneribus affectus per pœnitentiæ sacramentum sanatur. O quanto Christus afficiebatur gaudio, cum Magdalena per veram, & seriam pœnitentiam ad eum reverteretur! ecce! laudavit eam piissimus. Salvator præsentem, nam conversus ad illam dixit Simoni: *Vides hanc mulierem, intravi in domum tuam, aquam pedibus mei non dedisti, hæc autem lacrimis rigavit pedes meos &c.* Luc. 7.

v. 44. Laudavit Magdalenam in persona adstantem, cum tamen nunquam Joannem Baptistam, quo tamen non surrexit major inter natos mulierum, præsentem & in facie illius dilaudasset, voluit per hoc, ait noster Sylveira, Dominus ostendere, quanti æstimer poenitentes, quamque benevolo erga illos afficiatur affectu. Siftite vos pio mentis affectu præsentem crucifixo Domino, ecce! acerbissimos morientis Christi dolores, ac tristitias lenit & mitigat vera latronis poenitentia, cui Christus maximo affectus gaudio æterni gaudii locum, paradysum nempe promisit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Luc. 23. v. 43. o felix poenitentia, quæ tantum Christo gaudium facit! lubet adhuc in dictæ veritatis confirmationem adducere expositionem, quam super evangelii textum: *Majus erit gaudium &c.* facit S. Gregorius, qui ita fatur: „sicut Dux in præ-  
 „lio plus illum militem diligit, qui post fugam  
 „reversus hostem fortiter premit, quam il-  
 „lum, qui nunquam terga præbuit, & nun-  
 „quam aliquid fortiter gessit, sic sæpe plus  
 „amat Christus illos, qui post peccatum fer-  
 „ventius illi serviunt, quam qui peccato non  
 „commissio in ejus servitio tepidi permanse-  
 „runt. „ O quam male sibi ergo consulunt  
 peccatores, qui cum impio Caino desperant,  
 & sua peccata dicunt esse majora, quam ut  
 veniam mereantur, non sic, non sic, o pec-  
 catores, revertimini per poenitentiam, Chri-  
 stus bonus pastor est, qui errantem oviculam  
 recipiet, Pater misericors est, filium prodi-

68 *Dominica III. post Pentecosten.*

gum cum gaudio suscipiet, verus samaritanus est, vestrarum animarum vulnera sanabit, Redemptor est, vobis, sicut olim Magdalenæ veniam, & sicut latroni, paradysum coelestem largietur.

PARS II.

*Et facere potest penitenti.*

**H**oc ipsissimum Christi gaudium *super uno peccatore penitentiam agente* est sui communicativum, & in ipsum quoque transit hominem penitentem, qui ex serâ poenitentia sua lætatur, & exultat in Domino; sicut enim aer nubibus densus, quamprimum eas per imbrem exoneraverit, ad pristinam redit serenitatem, ita animus peccatoris densis peccatorum tenebris obductus, ubi per salutiferum poenitentiae imbrem eas abiecit in aures confessarii, priorem tranquillitatem, ac gaudium spiritus recuperat: sicut quoque gaudet sedulus hortulanus, si hortus prius Zizaniis, & spinis refertus, eradicatis iis, pulcherrimos flores, ac fructus proferat, ita lætabitur poenitens, si e cordis sui horto noxia peccatorum Zizania, & vitiorum spinas per sacramentum poenitentiae eradicet, & flores virtutum, fructusque bonorum operum progerminent monente Christo: *Facite fructus dignos poenitentiae.* Luc. 3. v. 8. Ut porro argumenti, quod cepimus, materiam prosequamur, juvat hic adducere, quod de Seniore Tobia in sacris paginis traditum est: ob cœcitatem,  
qua



qua percussus fuerat, noluit ille consolari, aut levamen quodvis tristitiæ suæ admittere, inquit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video.* Tob. 5. v. 12. At ubi caligantes ejus oculi per filium suum jussu Angeli illinirentur felle exenterati piscis, sicque pristinum visum reciperent, ac lumen cœli rursus viderent, ingenti sane gaudio perfusus est: quod autem Tobiae corporaliter, hoc ipsum contingit spiritualiter peccatori recens converso, sedet & is in peccatorum tenebris cœcus, nec miser videt per fidem formatam cœli lumen, at quando sequitur consilium sui Angeli custodis eum ad poenitentiam hortantis, quando amaro poenitiæ felle usus fuerit, magnum spiritus gaudium recuperabit. O igitur poenitentia causa gaudii tam magnifici! si enim valde gavisus est Naaman infirmus, quando ejus lepra in salutifero Jordanis flumine, ad quem Eliseus eum miserat, mundata est, cur non novo exundet gaudio cor hominis peccatoris, qui in saluberrimo poenitiæ Jordane a turpissima peccatorum lepra lavatus integras animæ vires per sacramentalis gratiæ infusionem recuperat? Si magna exorta est exultatio Lazarum inter, & sorores, quando hic jam mortuus, imo quatrduanus jam fætens a Christo ad vitam hanc fuit resuscitatus, quantum gaudium erit peccatori, cujus viva mortuus Lazarus figura est, e suo peccatorum sepulcro, ac malæ consuetudinis factore ad exoptatam gratiæ vitam resurgit; gaudebit certe sum-

70 *Dominica III. post Pentecosten.*

mopere, si a Christo in sancto pœnitentiæ sacramento ex sua peccatorum morte foras venire jubetur, & ad plenam animæ sanitatem revocatur. Gaudete peccatores omnes, sed prius lugete; nam ait salvator vester: *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 5. v. 5. id est, ut vult S. Chrysostomus, Beati, qui lugent, non mortuum, non rerum temporalium jacturam, sed peccatum, felices ergo illi peccatores, qui Deo grati ita vociferantur: o quam misericors Deus est, qui me e cœno peccatorum levavit! o quantum gaudium mihi modo est, qui periculosum criminum labyrinthum, in quem me, dæmon, caro & mundus induxerant, adjuvante, & filium pœnitentiæ mihi porrigente Dei gratia, evaserim.

Christo igitur, qui pro peccatis nostris tristis fuit usque ad mortem, procuremus hoc gaudium, ut seriam pœnitentiam agamus, etiam nobis ipsis lætitiâ spiritualement excitemus, & per pœnitentiam ut ovis prius perditâ ad divinum Pastorem redeamus, sic certe *gaudium erit in cœlo*, imo hoc gaudium plenum fiet, quando Christus aliquando dicet, quod scriptum est Matth. 25. v. 21. *Euge serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Amen.



QUÆSTIO SACRA II.

*Quinam sint illi, qui cum muliere evangelica accendunt lucernam, & everrunt domum?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Illi cum muliere evangelica accendunt lucernam, & everrunt domum, qui faciunt examen conscientiae, 1. frequenter, 2. & diligenter.

T H E M A.

*Accendit lucernam, & everrit domum, Luc. 15. v. 8.*

**C**ommune fert axioma: labor improbus omnia vincit, & qui quærit, invenit: talem indefessum laborem, ac sedulam diligentiam deprehendo in muliere hodierni Evangelii, perdiderat hæc drachmam unam, sed multam operam adhibuit, ut deperditam inveniret drachmam, inquit, circumcurſitat, sollicita instat labori, domum lampade accensa lustrat, everrit eandem, *accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat.* O mulier fortis imitanda certe a christianis, qui non raro pretiosissimam gratiæ, & virtutum drachmam deperdiderunt, at quinam sunt illi, qui cum muliere evange-



lica accendunt lucernam, & evertunt domum? Certe non sunt alii, nisi qui sedulos mulieris hujus labores imitantur, qui lucernam quotidiani examinis accendunt, & conscientiæ suæ domum evertunt, seu qui faciunt examen conscientiæ, 1. frequenter, 2. & diligenter.

## P A R S I.

*Examen conscientiæ faciendum est frequenter.*

**S**i artifices ea opera, quæ manibus suis fecerunt, accurato examini subijciunt, ut latentes forsan defectus deprehendant, ut illis emendatis totum opus ad ulteriorem perfectionem perducant, cur non christiani, qui ad bona pietatis opera sedulo peragenda vocati sunt, accendant lucernam examinis, cur non frequenter evertant domum conscientiæ, ut latentes cognoscant sordes peccatorum, occultosque defectus deprehendant, sicque deperditam charitatis, aut diminuti ejusdem fervoris drachmam inveniant, & eorum opera optatum christianæ perfectionis apicem attingant. Si seduli mercatores quotidie rationes lucri, & damni examinant, & ad invicem conferunt, ut noscant, an in sua negotiatione augmentum divitiarum fecerint: cur non christiani, qui vocati sunt, ut negotientur, donec veniat Dominus, *negotiamini, dum venio.* Luc. 19. v. 13. Accendant lucernam quotidiani examinis, & multo labore indagent, quænam peccatorum damna incurserint, quæve lucra meritorum comparaverint; hoc

hoc enim Christiani hominis opus, hic labor est, frequenter suam examinare conscientiam, se ipsum judicare, & sic præoccupare faciem Judicis æterni in confessione peccatorum; nam *justus prior est accusator sui.* Prov. 18. v. 17. quapropter haud abs re Hugo Victorinus hortatur omnes ad frequens examinis conscientiae exercitium, dum ponit nobis ante oculos laboriosam illam mulierem nomine Ruth, de qua facer textus memorat: *Collegit in agro usque ad vesperam, & quæ collegerat, virga cædens, & excutiens invenit hordei tres modios.* Ruth. 2. v. 17. & deinum hanc nobis moralem doctrinam insinuat, ita effatus: „ qui „ sua vult in memoriam revocare delicta, de „ bet suam conscientiam frequenter a mane „ usque ad noctem discutere, cogitata, dic „ ta, & facta, moxque severæ reprehensio „ nis adhibita virga se ipsum castigare, accu „ sare, & dolere. „ Quare putatis, quod Isaac dignus fuerit inventus, ut speciosissimam Rebeccam in sponsam acciperet? omnium primo eam vidit, & salutavit ad puteum viventis, & videntis, *Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam, quæ ducit ad puteum.* Gen. 24. v. 62. Ecce! S. Scriptura specialiter notat tempus & actiones Isaaci: *Egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata jam die.* v. 63. Legunt septuaginta Interpretes: *Ad exercendum;* nam vespere se Isaac frequenter exercebat, ruminabat per examen conscientiae, quid boni vel mali illa die fecisset, hacque mentis discussione merebatur pulcherrimam Rebeccam



74 *Dominica III. post Pentecosten.*

in sponsam obtinere. Si moralem doctrinam colligere volumus, quid aliud denotat Rebecca, nisi æternam gloriam? hæc ergo per frequens conscientiæ examen pariter invenietur; Haud vulgari itaque laude digni erant illi monachi, de quibus testatur Climacus, quod libellum cingulo appensum habuerint, in quo omnes suas cogitationes annotabant, ut eas noctu facilius recognoscerent, & factò frequenter examine suo conscientiæ moderatori referrent: non minus sit nobis exemplo S. Franciscus Borgias, qui non tantum bis de die, sed ad exemplum S. Ignatii singulis horis diurnis in verba, cogitationes, & opera inquirebat, accendens examinis lucernam, & propriam animæ domum everrens. Imo si nos non movent Sanctorum exempla, confundant saltem bonæ Ethnicorum actiones: audiamus enim a Cicerone, quid ipse sentiat de arcana sui recognitione: Pythagoræorum more, ait ille, exercendæ memoriæ gratia, quid quocunque die dixerim, audiverim, egerim, commemoro vesperi. Si vir ethnicus memoriæ juvandæ studio tam sedulo conscientiam suam excussit, quid non agat Christianus animæ suæ puritatem conservandi desiderio? Erubescant ergo illi, qui etiam ad sacram exomologesin accedentes, ferme sine ulla solitudine carptim sua errata recolunt: unde evenit, quod sæpissime ejusmodi confessiones ob tam perniciosam socordiam potius culpam augeant, quam veniam operentur? dicent quidem, tam exactam nobiscum rationem iniri non posse:



posse: haud diffiteor, verum ideo sic incedere non possunt, quia usum non habent, cum quotidiana perscrutatione intimos animi sui recessus vesperi inquirere minime assueverint.

PARS II.

*Et diligenter.*

**D**iscite o christiani sedulo discutere conscientiam vestram, discite laboriosam hanc diligentiam a muliere evangelica, de qua scriptum est: *Querit diligenter.* v. 8. Operosa hæc foemina non exspectat, donec dies illucescat, statim, priusquam tenebræ dissipatæ essent, accendit lucernam, everrit domum, purgat diligenter quisquillas, & spurcitas, inter quas arbitrabatur drachmam esse reconditam; quapropter, quam perdiderat, invenit. O quoties drachma nostra, perfectio christiana per illam drachmam figurata, levium etiam nævorum sordibus, & imperfectionum quisquilliis obruitur! sine mora itaque lucerna internæ disquisitionis est accendenda, domus cordis nostri everrenda, explorandæ sunt quotidie conscientiae latebræ, inspiciendi sunt intimi animorum recessus, ut acri doloris morsu errata deplorentur, mens a criminum spuritiis mundetur, tandemque deperdita perfectionis drachma inveniatur. Haud absque mysterio Deus in prima rerum omnium productione, cuncta, quæ fecerat, vidisse, ac veluti examinasse legitur, an bona sint? *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.*

76 *Dominica III. post Pentecosten.*

*bona.* Gen. I. v. 31. Profecto hæc ad nostram dicta sunt institutionem, ut & nos cunctas cogitationes, sermones, & actiones nostras videamus, ac diligentissima perscrutatione probemus, an bona sint, & homine Christiano digna. objicio insuper vestris oculis eximia sanctorum exempla, ut imitemini ea: Occurrit primo loco Jobus, vir ille reclusus, & simplex, qui delicta sua recognoscens contrito, ac corde humiliato ad Deum suspirabat: *Quantas habeo iniquitates, & peccata, scelera mea & delicta ostende mihi.* Job. 13. v. 23. David omnino scopebat spiritum suum, *scopebam,* ait, *spiritum meum,* Ps. 76. v. 7. Sub noctis enim silentium lucernam examinis accendebat, spiritum suum, nempe conscientiam, diligenter everrebat, & scopebat excutiendo minimos etiam cogitationum suarum pulveres, & imperfectiones. Ezechias Rex mira quoque diligentia ac fervore frequentius conscientia suæ domum perlustrabat, an forte non laterent delicta juventutis, & culpabiles ignorantia, ut ea adhuc in tempore emendaret: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ,* Is. 38. v. 15. Si porro causam sciscitami, cur in Evangelio villicus iniquitatis utut ingenti esset ære alieno gravatus, nihilominus fuerit dilaudatus a Domino suo, plane alia non fuit, nisi quod diligens inierit secum ipso rationem, ac propriam discusserit conscientiam, *dissamatus est,* inquit sacer textus Luc. 16. v. 1. *apud illum,* a nullo alio certe, quam a proprio, ut Dionysius


nysius Carthusianus testatur, remorsu conscientia: *Ait autem villicus intra se.* Luc. 16. v. 3. Pungit cor suum, omnia perlustrat interna, ut a se poenitentiam extorqueat; hinc singulos monet Didacus stella his verbis: & tu diligenter scrutare conscientiam tuam intrate. Demum edicite mihi, quare in sacris literis Episcopus Laodicens vituperetur cœcus, cum tamen Publicanus laudetur, & iustificatus mittatur in domum suam? Percipite, cœcus erat Episcopus ille, quia interna cordis non videbat, nec scrutabatur mentem suam, lucernam examinis non accendens: at videntem cogitate Publicanum; quia ut ait S. Augustinus, se ipsum intuebatur, conscientiam suam puniebat, ipse sibi iudex erat, ut ille intercederet, ipse se puniebat, ut ille liberaret. O piæ animæ, notate vobis verba, quæ Angelus quondam S. Birgittæ de beatissima virgine revelaverat dicens: ab ea discant virgines suam conscientiam de omnibus examinare diligenter, non ergo scrupulosos dixerim eos, qui in suo conscientia: examine minimos etiam nævos disquirunt, de iis dolent, & sibi ipsis quamdam poenam extra sacramentum imponunt.

Cum muliere ergo evangelica accendamus frequenter lucernam examinis conscientia:, quæramus diligenter, everramus domum cordis nostri, emundemus eam a quotidianis peccatorum sordibus, ut deperditam charitatis, aut fervoris illius drachnam inveniamus,  
 hæc



78 *Dominica III. post Pentecosten.*

hæc si feceritis, dico vobis; super ultronea vestrum accusatione gaudium erit coram Angelis Dei in cœlis. Amen.



QUÆSTIO SACRA III.

*Quare proximos nostros judicare non  
debeamus?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Non debemus judicare proximos nostros,  
1. quia nostrum iudicium plerumque est  
fallibile, 2. & infallibili Christi iudicio in-  
juriosum.

T H E M A.

*Murmurabant Pharisei, & scribæ. Luc. 15.  
v. 2.*

Saluberrima certe doctrina est, quam Ma-  
gister cœlestis Christus Discipulis suis ali-  
quando dederat, ita eos alloquens: *Noli-  
te judicare, ut non iudicemini; in quo enim iudi-  
cio iudicaveritis, iudicamini.* Matth. 7. v. 1.  
Ea ex ratione in Evangelio hodierno repre-  
hendebat supremus Iudex Christus Phariseos,  
& Scribas, qui proprium iudicium secuti sanc-  
tissimam hanc Christi doctrinam repudiabant.  
Murmurabant illi, & iniquam de æquillimo  
Iudice Christo sententiam ferebant dicentes,  
quod peccator esset, qui peccatores recipit:

*Mur-*

*Murmurabant Pharisei, & Scribæ, dicentes: quia hic peccatores recipit.* Luc. 15. v. 2. Quorum tamen pessimum iudicium duplici parabola, de ove perditâ, ac drachma a muliere inventa refutaverat, iudicabant pharisæi proximum suum, quem tamen a proximo iudicari Christus prohibebat; hinc movetur quæstio: quare proximos nostros iudicare non debeamus? sit responsio: non debemus iudicare proximos nostros, 1. quia nostrum iudicium plerumque est fallibile, 2. & infallibili iudicio Christi injuriosum.

## P A R S I.

*Nostrum iudicium plerumque est fallibile.*

**F**alsum certe iudicium non tulero, si iudicium hominum plerumque fallibile esse dixerò, consulite desuper hodiernum Evangelium, & scrutemini Phariseorum iudicium, ecce! ostendebat se Christus amicum, & benignum erga peccatores, & publicanos, manducabat cum illis, eosque recipiebat, verum Pharisæi & Scribæ iudicantes, similem simili gaudere, & illum malum esse inferentes, qui se malis associaret, *murmurabant.* Sed decepti sunt in præcipiti suo iudicio, venit ille, non peccata fovere, sed peccatores salvare. Quis Benjamin fratrem Joseph non furem iudicasset? miserat Joseph Aegypti Prorex suum dispensatorem, ut fratres suos de ablato scypho argueret, & si forte furtum negarent, eorum saccos perlustraret; unde contigit, ut in sacco

facco Benjamin scyphus inveniretur, stupebant omnes, credentes scyphum a Benjaminno fuisse ablatum, sed o fallibile hominum iudicium! innocens erat Benjamin non fur injustus, sed piissimus justitiæ cultor, cujus sinceram mentis integritatem optime noverat Joseph, qui etiam illius innocentiae testis, vindexque exstitit. O quam fallibile fuit iudicium Michol Filiae Saulis, & uxoris David; viderat enim illa Davidem saltantem ante arcam, Michol interiora mentis non perspiciens sed unice ad exteriora actionum attendens, quod coram Deo bonum fuit, malum esse iudicavit, sprexitque in corde suo Davidem, qui tamen rectissimam habuit intentionem, ut se coram Deo humiliaret. Eandem fallibilitatis culpam habebat iudicium Heli, 1. Reg. 1. viderat ille aliquando Annam uxorem Elcanæ ob suam sterilitatem valde afflictam in templo orantem, & quia in ipsa gestus observasset, & actiones minus solitas, ebriam iudicavit, *dixitque ei, usquequo ebria eris, digere paulisper vinum, quo mades.* v. 14. re autem magis comperta eam minime ebriam, sed desolatam agnovit, eamque consolatus est. nonne fallibile fuit iudicium totius populi in testimoniis duorum senum fundati, quo crediderat Susannam esse adulteram, mortique adjudicavit, cujus tamen postea innocentiam Daniel, ut Iudex a Deo illuminatus, universo populo manifestavit. Dan. 13. Non minus errori obnoxium erat iudicium, quod tulit populus Judaicus, quando in die Pentecostes



Apostolos ebrios esse judicabat, *musto pleni sunt isti*: Act. 2. v. 13. Quod tamen iudicium fuisse falsissimum S. Petrus demonstrabat; *Non enim sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt*, v. 14. sed pleni Spiritu sancto. Eodem defectu laborabat iudicium Barbarorum, qui S. Paulum temere homicidam judicabant, quando appulit ad Insulam Maltham, & eum vipera mormordit in manu; Barbari enim hoc videntes statim judicabant Paulum a Deo per bestias tanquam virum sceleratum puniri, quapropter ad invicem dixerunt: *Utique homicida est homo hic*. v. 4. qui tamen postea morsum non fuisse nocivum videntes, Paulum non hominem, sed Deum putabant. Hanc in rem notatu dignum etiam venit, quod narrat S. Gregorius de Rege Totila, hic sanctum Episcopum Cassium in facie rubicundum videns, eundem potatorem vini judicabat, eumque despiciebat, quem tamen Deus mirum in modum defendebat, nam armiger Regis dæmone obsessus fuit, quem Cassius coram Rege crucis signo liberavit, quo factò Totila falsum iudicium suum execrans illum veneratus est ut virum sanctum. O homines certe fallibiles, qui nimis præcipites estis in iudicando proximo, cogitate, quæ dicit Thomas Kempensis L. 1. de imit. Christi c. 14. verba ejus sunt: *Ad te ipsum oculos reflecte, & aliorum facta caveas iudicare, in iudicando alios homo frustra laborat, sæpius errat, & leviter peccat, se ipsum vero iudicando & discutiendo semper fructuose laborat.*

## P A R S II.

*Et infallibili iudicio Christi injuriosum.*


**N**olite iudicare, homines fallibiles, solum iudicium Dei infallibile est, nolite iudicare, ne indefectibili Christi iudicio injuriam inferatis; Summa enim temeritas est, iudicare alterum, sic vos arguit S. Paulus: *Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.* Rom. 14. v. 4. Nolite iudicare, sed potius audite sententiam S. Jacobi c. 4. v. 12. *Unus est Legislatoꝝ, & Iudex, qui potest perdere, & liberare, tu autem quis es, qui iudicas proximum.* Nolite iudicare, sed supremo Iudici iudicium relinquit; quanta enim temeritas est, quanta injuria divino Iudici illata se ipsum constituere iudicem proximi sui, cujus tamen unus Iudex est, qui aliquando venturus est iudicare vivos, & mortuos! quanta audacia, quanta hæc insolentia, internos proximi actus velle iudicare, quorum tamen iudicium soli cordium Domino reservatum est, *homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16. v. 7. Haud abs re Deus severo admodum prohibuit præcepto, ne præceps de proximo iudicium feramus; legite enim parabolam Matth. 13., in qua dixit Dominus servis, ut Zizania non eradicent, *ne forte colligentes Zizania eradicent simul cum eis & triticum, finite utraque crescere usque ad messem.* v. 29. Neutiquam erravero, si homines malos appellavero Zizania,

nia, bonos autem triticum, quoniam vero Zizania ab herbis salubribus difficulter discerni queant absque periculo, ne evellatur & triticum, hinc prohibuit Christus judicari inter Zizania & triticum, sed expectari voluit tempus messis, nempe extremum iudicii diem, in quo ipsemet Zizanium a tritico publice discernet tanquam justus Iudex: quantum ergo injuriam facit supremo Judici ille, qui infallibile illius iudicium fallibili suo iudicio praevent. Eandem hanc, de qua hactenus diximus, veritatem ulterius juvat perspicere ex alia adhuc parabola. Matth. 22, v. 2. in qua dicitur: *Simile factum est regnum caelorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Cum autem invitati nollent venire, Rex dicebat servis: Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias.* v. 8. Servi ad obediendum prompti congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos & bonos. v. 10. Quid hoc? ergo Rex ille etiam malos suo vult interesse convivio? minime gentium; idcirco enim iussit sine veste nuptiali comparentem eijci in tenebras exteriores, cur ergo & mali invitantur? ecce! Dominus hic non vult, ut servi ferant iudicium inter bonos, & malos, sed sibi vult relinqui iudicium discernendi malos a bonis. Ut autem veritas haec altiores in corde vestro agat radices, percipite historiam, quam narrat S. Dorotheus de quodam Monacho, qui audiens quempiam ex fratribus peccatum adulterii commisisse, & morte postea extinctum esse, mox eum con-



demnabat, sed paulopost apparuit ei Angelus cum anima illius defuncti Fratris dicens: en! quem judicasti, vita functus est; quo me jubes igitur animam deferre ad superos, an ad inferos? fecisti te ipsum judicem, Christo Judici jus judicandi ademisti; judica ergo, si iudex es, hanc animam: ille errorem agnoscens in genua provolutus, veniam petiit inquiring: peccavi, ignosce mihi: cui Angelus quoque respondit: surge, ignoscit tibi Deus, sed vide, ne de cetero iudices quemquam, priusquam Deus iudicet eum. En! quomodo Angelus huic Monacho demonstraverit, quantam injuriam perverso suo iudicio divinissimo Judici Christo, qui nec falli, nec fallere potest, intulisset. Quid o homo aliquando respondebis summo Judici, qui tuum proximum tam male iudicas, qui in eo virtutem pro hypocrisi, & bonas ejusdem actiones pro malis habuisti! timeo, ne gravissime iudicaris ab eo, cujus iudicium solum infallibile est.

Procul sit igitur a nobis iudicare quemquam, cum plerumque iudicium nostrum sit fallibile, & infallibili Christi iudicio injuriosum, non iudicemus quemquam, ne nos secundum justitiæ rigorem iudicemur, relinquamus totum iudicium justissimo Judici Christo, qui nos, si neminem iudicaverimus, aliquando iudicabit in misericordia, & miserationibus. Amen.



## DOM. IV. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

*Quomodo nobis in hac vita est laborandum,  
ne frustra laboremus?*

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Ne frustra in hac vita laboremus, facienda est ad laborandum bona intentio, 1. sine qua nihil, 2. cum qua omnia Deo placent.

## T H E M A.

*In verbo autem tuo laxabo rete.* Luc. 5. v. 5.

**V**ita hominis desidiosa appellari potest, si non est laboriosa; homo enim natus est ad laborem, sicut avis ad volatum, hunc in finem summus omnium rerum Opifex Deus primum hominem *posuit in paradiso voluptatis, ut operaretur illum*, Gen. 2. v. 15. & *in laboribus comedes*. Gen. 3. v. 17. ita est, homo existit, ut laboret, qui teste Jobo c. 5. v. 7. *Nascitur ad laborem*, ideo David Rex voluit esse in laboribus: *Pauper ego sum, & in laboribus a juventute mea*. Ps. 87. v. 16. Hunc sanctissimum Regem oportet, ut imitentur omnes, donec tandem per mortem *requiescant a laboribus suis*. Apoc. 14. v. 13. *Accedite hodie*.

86 *Dominica IV. post Pentecosten.*

hodie mare Galilæum, & invenietis ibi Apostolos per totam noctem laborantes, sudant, labori instant, defatigantur, vigilant, capiendis piscibus insistent, sed frustra laborant, incassum omnia, etenim audio Petrum ita conquerentem: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Matth. 5. v. 5. Quid est hoc? cur Discipulorum labori optatus non correspondet fructus, quinam sunt illi, qui frustra laborant? quomodo ergo laborandum, ne frustra laboremus? Percipio Petrum, qui totum suum laborem jam alium in modum dirigit, videt inanem fuisse sudorem; hinc ad Christum conversus ait: *In verbo autem tuo laxabo rete, & cum hoc fecissent, concluscrunt piscium multitudinem copiosam.* v. 5. & 6. En! in verbo Christi, cum bona intentione rete est laxandum, & laborandum, 1. nam sine bona intentione nihil, 2. cum hac tamen omnia Deo placent.

P A R S I.

*Sine bona intentione nihil Deo placet.*

**S**ine bona intentione bonum non est opus hominis, non placet Deo labor noster, cui si opus pietatis non adjungitur; Deo enim sine bona intentione nihil placere potest. nonne corpus quodcunque animatum, si illud anima vitalis informare desinit, truncus est sine spiritu? quid aliud intentio bona est, nisi anima operis, hoc, si spiritu bonæ intentionis caruerit, nil nisi cadaver est. Edicite, ad quid



quid valet charta aliqua parvula, si nullius viri insignis nomine, & subscriptione est signata? ad nihilum certe; solum enim placet, si Regis, aut Principis subscriptione, & sigillo fuerit munita. Parem in modum loquendum est de operationibus nostris, sunt hæc adinstar folii, quod vento rapitur, atque ex se nihil valet, cum Deus bonorum nostrorum non indigeat, at quando signatur sigillo rectæ intentionis, & sit cum memoria Regis æterni, eidem placet, eamque ut meritoriam vitæ æternæ acceptat Deus. Quando supremus rerum omnium creator creaturas singulas e suo nihilo eduxerat, omnium primo creavit lumen, *fiat lux & facta est lux.* Gen. 1. v. 3. cur ita? lux ceteris operibus creatis tribuit complementum, lux monstrat colorum elegantiam, rerum pretium, & valorem, & ideo oportebat primo produci lucem creaturis reliquis ita utilem, & necessariam: hauriamus jam inde doctrinam moralem, quam nobis subministrat S. Laurentius Justinianus: „ quod lux diei, & ceteris creaturis prodest, „ hoc tribuit nostris operibus intentio bona, „ lux bonæ intentionis elegantiam, & valorem, „ rem dat nostris operibus, ut ea approben- „ tur a Deo. „ Quare existimatis Caini munera non placuisse Deo, cui tamen placuerunt munera Abel: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain vero, & ad munera illius non respexit?* Gen. 4. v. 4. & 5. Bona intentio erat lux illa clarissima, quæ Abellis oblationem faciebat omnino lucidam, &

quoniam vero Caini munera hoc bonæ intentionis lumine destituebantur, in tenebris relinquebantur, nec a Deo acceptabantur; Abel enim suo sacrificio, unice Dei honorem, Cain vero suam quærebat utilitatem. Legimus in Evangelio multa bona opera, quæ Pharisæus se fecisse deprædicabat: *Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Luc. 18. v. 12. Sed scimus etiam, cuncta hæc Pharisæi opera Deo neutiquam placuisse. at cur ei non erant accepta, cui tamen omnia bona placent? Pharisæi opera non illuminabantur bonæ intentionis luce, cuncta hæc opera operatus est, ut inde vanam sui gloriam, ac magnam hominum existimationem aucuparetur; ne igitur & nos Pharisæicum in modum operemur, hortatur Christus omnes: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Matth. 5. v. 26. Itaque non placet Deo externa hominis justitia, si interno bonæ intentionis spiritu non fuerit animata; cœlestis enim sponsus interiorem sponsæ suæ pulchritudinem concupiscit, quæ bona cordis intentio est: *Omnis gloria ejus filia Regis ab intus.* Ps. 44. v. 14. Quia ait S. Augustinus tractans illud Matth. 6. si lumen &c.: „ Quod non bona intentione facis, „ non tibi proderit, quia quomodo feceris, „ non quomodo illud evenerit, tibi imputabitur; „ O homo, quot opera bona exerceas, quæ tamen tibi non sunt meritoria, quia ea peragis sine intentione bona,

na. O quot jejunia ex præcepto Ecclesiæ facis, & nullum inde reportas meritum, quia eis non præfigis finem bonum, o quot opera charitatis Fratri tuo impendis, quæ tamen Deo non placent, quia ad ea facienda te allicit vana gloria, aut alius finis malus, opera quidem, quæ facis, in se bona sunt, sed intentio, qua opera fiunt, mala est, muta intentionem, & tibi cuncta erunt meritoria.

P A R S II.

*Cum bona intentione omnia Deo placent.*


In verbo itaque Christi cum S. Petro in bona intentione laxandum est rete, ut copiosa captura piscium, id est, meritorum sequatur, cuilibet bono operi necessum est, ut præfigatur bona intentio; hac enim ratione Deo placet, & *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom 8. v. 28. id est, facientibus cuncta propter Deum, & opera ex imperio charitatis cum recta mente elicientibus, cuncta eorum facta cooperabuntur in bonum salutis æternæ, ac immensas meritorum divitias colligent, & sicut de Rege Mida dicitur, quod omnia, quæcunque tetigit, suo tactu in aurum commutarit, ita quidquid operabuntur ex bona intentione, fiet aurum meriti Deo placens. Licet sponsa in canticis tota esset formosa, & macula in ea locum non inveni-  
ret, præprimis tamen sponso placuit pulchritude



tudo faciei ejus: *Facies tua decora.* Cant. 2. v. 14. Quid aliud decora sponsæ facies nisi intentio bona? ita loquitur S. Gregorius. Ingrediamini sapientissimam sponsi hujus celestis scholam, ut addiscatis sanctissimam ejus doctrinam, qua imbuit dilectissimas suas sponfas. Edic sponsa Christi S. Gertrudis, nonne in schola christiana didicisti a sponso tuo celesti tibi apparente, ut omnia tua opera minutatim Deo offerres usque ad minimos apices, quos vel perleges, vel scribes, omnes anhelitus, quos vigilans, vel dormiens trahes; sancta enim hæc virgo a Christo fuit edocta, quod ista omnia opera Deo summopere placeant, utpote habentia maximum valorem ex bona intentione. Ediffere nobis dilectissima Redemptoris sponsa S. Mechtildis, enarra nobis verba, quæ te Christus docuit, qui quondam hæc ad te effatus est: quando quis somnum capere vult, meditetur aliquid de me, aut mecum loquatur; ita enim, licet corpore dormiat, mente tamen vigilabit ad me, etiam dormiturus quisque desideret, ut singulas respirationes, quas nocte faciet, tanquam eximiam mei laudem suscipiam, & ego, qui sanctis votis piæ animæ deesse non possum, in veritate desiderium ejus implebo. Insuper docuit aliquando Magister celestis hanc beatam Virginem, ut quoties arteria micaret, amorem offerret, ego autem, addebat Christus, amorem illum in te habebō, atque suscipiam, non sicut in te est, sed sicut velles eum esse in te. In hac Christi schola  
tantos

tantos fecit scientiæ supernaturalis progressus  
plurissima scholaris S. Maria Magdalena de Paz-  
zis, ut dicere solet: si crederem, me uno  
solo verbo, dicto ob alium finem, quam ob  
amorem Dei, etiamsi non esset ejus offensa,  
posse evadere in Seraphinum, nunquam illud  
dicerem; quare continuo inculcabat suis mo-  
nialibus, ut omnes etiam minimas actiones  
purissime referrent ad Deum, cui omnia cum  
bona intentione placent, & ne hæc doctrina  
ex illarum memoria excideret, sæpius inopi-  
nato quærebat ex illis: cur hoc, illudve fa-  
cerent? quod si audiret, casu, aut ex con-  
suetudine factum aliquid sine intentione super-  
naturali, dicere solebat: non videtis, vos me-  
ritum perdere? Deus talibus operibus non  
pascitur. Optimus proin Christi Discipulus  
fuit S. Ignatius, qui in suis constitutionibus  
242. vicibus intentionem bonam bonis operi-  
bus præfigendam inculcabat dicens: *Omnia  
ad majorem Dei Gloriam*; dicamus igitur o  
Jesu, quoties mihi vena micabit, tu toties  
posthac sis benedictus amor. Ex his, quæ  
dicta sunt, jam erudimini, qua ratione Deo  
vestro placere possitis. Placet eidem vester  
labor, si sociam habuerit bonam intentionem.  
Placet vester somnus, si cor vestrum per bo-  
nam intentionem somno præmissam vigilet,  
placet cibus, ac potus, quos sumitis, si pa-  
nis vester quotidianus sit bona intentio, o fa-  
cilis modus Deo placendi!

Ne itaque frustra per totam vitæ noctem laboremus, dicamus cum Petro: *Præceptor in verbo tuo laxabo rete.* Luc. 5. v. 5. Id est, cum bona intentione laborabo: sic multitudinem copiosam meritorum colligemus; nam sine bona intentione nihil Deo placet, cum hac autem omnia eidem sunt accepta, Magne Deus; qui es nostra *merces magna nimis*, Gen. 15. v. 1. esto in omnibus nostris actionibus principium, & finis. Amen.



## QUÆSTIO SACRA II.

*Quinam sint illi, qui tota nocte laborant,  
& nihil capiunt?*

### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Tota nocte laborant, & nihil capiunt, qui bona opera in statu peccati mortalis faciunt,  
1. nam peccator omnia merita perdit,  
2. nec ullum meritum in statu peccati gravis pro vita æterna colligere potest.

### T H E M A.

*Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Luc. 5.  
v. 5.

**B**ona opera peragere, nondum laudabile est, sed bona opera bene facere laudem meretur: non tam quid fiat a nobis, sed quam bene fiat, attendit Deus. Multi parum,  
&



& breviter laborant, sed multum lucrantur, cum econtrario alii multum, & diu labori insistant, parum tamen; vel omnino nihil lucri faciunt, hoc evenit in hodierno Evangelio Discipulis Christi, qui per totam noctem laborabant, & nihil capiebant, *per totam noctem laborantes nihil cepimus.* O quam multi hodie dum per totam noctem laborant, & nullum ex labore suo meritum colligunt, sed quinam sunt illi? Dicendum reor, eos tota nocte laborare, & nihil capere, qui bona opera in statu peccati mortalis faciunt, 1. nam peccator omnia merita perdit, 2. nec ullum pro vita æterna meritum in statu peccati gravis colligere potest.

P A R S I.

*Peccator per peccatum mortale omnia merita perdit.*

Si ille proximo suo maximum, & irreparabile damnum infert, qui ei temerario ausu vitam corporalem adimit, multo gravius detrimentum homini facit unicum peccatum mortale, quod peccatori vitam animæ spirituales, quæ in Dei gratia, charitate, & meritis consistit, unico quasi ictu aufert. O jactura longe gravissima! o prædo crudelissime, noxa gravis, quæ homini omnia merita, & jus ad vitam sempiternam in cœlo adimis! recogitate, o peccatores terræ, quæ Deus justissimus Judex vestro Protoparenti, vobisque comminatus est, dixerat namque ad  
Adam:

Adam: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 2. v. 17. ecce! mors spiritualis statuta fuit a Deo peccatori, unde & statim Adam post transgressionem præcepti mortuus est, supernaturali gratiæ originalis vita privatus, cum morte naturali primum post plurimos annos recuperata animæ vita defunctus sit: proin haud absimilem censeo peccatorem homini descendenti a Jerusalem in Jericho, & incidenti in latrones, *qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt semivivo relicto.* Luc. 10. v. 30. Quippe homo, qui peccatum mortale committit, descendit a Jerusalem, id est, a statu gratiæ in Jericho, id est, statum peccati, incidit in latrones in gravissimas dæmonum tentationes, qui eum virtutibus & meritis spoliant, plagisque peccaminosi consensus inflictis ad merendum impotentem relinquunt; eapropter ait S. Vincentius Ferrerius, idipsum accidere impiis, quod accidit Filio prodigo, *qui dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.* Luc. 15. v. 13. & de quo ipse Pater ait: *Quia hic filius meus mortuus erat, & revixit;* v. 24. nam etiam peccator *vivendo luxuriose* tota meritorum substantia dissipata infelix moritur, & quidem morte peccati, nonnisi a Patre cœlesti ad supernaturalem gratiæ vitam resuscitandus. Optimo proin jure S. Basilius peccatorem comparat locupletissimo cuidam negotiatori, qui amplissimas merces secum efferens, ac secundo vento periculosa maria emensus in ipso litore fracta navi omnibus opibus privatur,

tur, ecce! amplissimas meritorum merces acquirat homo Sacramento baptismatis regeneratus, secundis ventis sæpe afflante Spiritus sancti gratia permeat hoc periculosum vitæ mare, sed aliquando in tentationum scillas incidens, vel Piratarum infernalium insidiis deceptus naufragium animæ patitur, omnesque meritorum merces simul amittit. O Jacturam sanguineis lacrimis deplorandam; cogita igitur peccator, & serio ruminare, quid noxa lethali perdas, qua ratione Spiritum sanctum, cujus templum prius eras, expellis, & donorum, quæ tibi cum gratia Spiritus sanctus largitus est, denuo naufragium facis; namque recedit sapientia per insipientiam ejecta, ut divina non amplius gustet homo, intellectus per vitiorum nebulas obscuratur, consilium per præcipitationem perit, fortitudo per pusillanimitatem, & impatientiam prosternitur, scientia per ignorantiam conculcatur, pietas ab impietate dejicitur, & timor per superbiam absorbetur. Et tamen, horresco referens, hanc jacturam peccator non deplorat, queritur de jactura bonorum temporalium, & jacturam summi boni non deflet, audi, peccator, qui per gravem noxam Jesum, ejusque gratiam perdis, quid dicat aureus libellus de imit: Christi L. 2. c. 8. *Qui perdit Jesum, perdit nimis multum, & plus, quam totum mundum.*



## P A R S II.

*Nec ullum pro vita æterna meritum in statu peccati mortalis colligere potest.*

**N**ec tamen hic malorum cumulus fistit; quippe in tam miserum peccator devolvitur statum, ut nec ullum vitæ æternæ meritum in statu peccati mortalis colligere possit, ita loquitur S. Paulus: *Charitatem autem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest*; 1 Cor. 13. v. 3. Sicut enim corpus mortuum non valet motum vitalem exercere, ita anima peccatoris per peccatum spiritualiter mortui nec ullum supernaturalis meriti motum elicere potest. hanc infaustam peccatoris sortem ulterius describit Psalmista his verbis: *In circuitu impii ambulat.* Ps. 11. v. 9. Ecce! qui in circuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed nihil proficit; qui enim in gyrum graditur, quanto magis a termino recedit ambulando, tanto magis ad eundem redeundo appropinquat; quantumcunque enim ambulat, semper ad terminum, unde incepit, revertitur; talis quoque est via impii; licet enim faciat bona opera, quamdiu tamen in peccato est, semper ad principium sui motus retrocedit, nec ullum supernaturalis meriti gressum faciet. Si terra hæc, quam oculis conspiciamus corporeis, prius erat inanis, & vacua. Gen. 1. v. 2. quia tenebræ erant super faciem abyssi. v. 2. cum sol sua luce necdum eam illuminasset, multo magis cor hominis peccantis terra vocari potest inanis & vacua, si eam plus-

plusquam Ægyptiacæ peccatorum tenebræ obnubilaverint, iuno quamdiu Sol sanctificantis gratiæ eam non illustraverit, nullos virtutum flores progerminabit, nec ullos supernaturalis meriti fructus producet. Talis terra inanis, & vacua erat Saul Rex Israel, de quo non sine admiratione quadam leges: *Duobus annis regnavit super Israel.* 1. Reg. 13. v. 1. Sed quomodo dicitur, duobus annis regnasse in Israel, de quo tamen invenitur, quod pluribus annis sceptrum tenuerit Israeliticum: attamen haud immerito duobus duntaxat annis regnasse dicitur, quia nonnisi biennio in statu gratiæ, atque amicus Dei regnabat, reliqui anni quasi nihilum reputantur, quia male regnavit in statu peccati mortalis, quia non amplius illuminabatur divinis gratiæ radiis, quia nullum meriti fructum parturiebat. Simile quid legetis in Isaia Propheta, in quo de peccatore scriptum est: *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Isa. 65. v. 20. si centum annorum, quomodo puer? At latet mysterium, puer est peccator per longius tempus in peccato perseverans, quia nullum meritorum augmentum capit; non enim currunt ad meritum dies, qui densis peccatorum nebulis sunt obnubilati. Placet proin similitudo Jeremiæ Prophetæ, qui peccatorem assimilat struthioni: *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Thren. 4. v. 3. sicut enim struthio ova parit, quæ tamen non fovet ad pullum producendum: sic homo in peccato gravi ope-

98 *Dominica IV. post Pentecosten.*

rans hinc inde quidem bonorum operum ova parturit, sed ea deficiente charitatis calore excludere non potest, ut fructificent, & maturescant ad meritum. Hinc melius peccatorem dixero mortuum, quam vivum, utpote qui se habet adinstar Lazari; nam & peccator morte peccati mortuus foetet in sepulcro peccaminosæ consuetudinis, jacetque sine omni supernaturalis meriti motu, donec a Christo sacramentorum virtute ad vitam gratiæ resuscitetur. O certe miserum peccati statum! quid mirum ergo, o peccator, quod in mortis articulo tam acerbis excruciaris angustiis, tamque modica, & pauca invenias merita, qui per plures annos in peccato mortali vixisti, in quo nec ullum meritum ad vitam æternam conducens collegisti.

O misera peccati nox, in qua nemo cum fructu operari potest! *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* O misera peccatoris conditio, qua peccator omnia merita perdit, nec ullum in statu peccati mortalis colligere potest. Magister optime Christe, ac Redemptor benignissime, qui non venisti *vocare justos, sed peccatores*, Matth. 9. v. 13. repelle peccatorum nostrorum tenebras, & fac, nobis gratiæ tuæ lucem exoriri, ut abjiciamus opera tenebrarum, & faciamus laborem meritorium, qui nobis conducat ad vitam æternam. Amen.





QUÆSTIO SACRA III.

*Quale documentum sumere debeamus ex  
Petri verbis: Exi a me, quia homo  
peccator sum, Domine?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Hæc S. Petri verba nobis sunt documento,  
ut culpas nostras fateamur, 1. humiliter,  
2. & candide.

T H E M A.

*Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.*  
Luc. 5. v. 8.

**Q**uid facis, o Petre? Christus a te ita di-  
lectus tibi desiderat esse præsens, a quo  
tamen tu vis esse absens, dicens: *Exi  
a me, quia homo peccator sum Domine.* Quid  
hoc? Christus ad te accedit, & tu ab eodem  
recedis, tu in navi dilectum tuum tibi habes  
assistentem, quem tamen tam libenter vis di-  
mittere: Ecce! non sic faciebat sponsa, quæ  
dilectum suum quærens per vicos, & plateas,  
cum invenisset, quem diligebat anima ejus,  
dicebat: *tenui eum, nec dimittam.* Cant. 3. v. 4.  
Ecce! non sic faciebant Discipuli euntes in  
Emmaus, qui Christum in habitu peregrini  
eis præsentem *coegerunt, dicentes, mane nobis-  
cum.* Luc. 24. v. 28. at intentio judicat actum,  
hæc Petri verba nonnisi humillimus ejus amor

eructat, hic affectus humilitatis, & propriæ cognitionis in Petro loquebatur. Quæstio igitur ventilari posset, quale documentum sumere debeamus ex Petri verbis: *Exi a me, quia homo peccator sum Domine.* Non incongrua erit responsio, si dicatur: per hæc Petri verba nobis suggeri documentum, ut culpas nostras fateamur, 1. humiliter, 2. & candide.

## P A R S I.

*Culpas nostras fateri oportet humiliter.*

**I**nter alia salutis monita S. Mater Ecclesia suorum fidelium salutem semper intenta hoc salutiferum omnibus suggerit, ut quos non pudit coram aliis peccata committere, etiam eadem humiliter fateri non erubescant; hanc enim humilem peccatorum confessionem faciendam in suis quotidianis precibus præcipit, dum dicere jubet: *Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa.* Siftite vobis, o peccatores omnes, ante oculos vestros Davidem Regem, ut imitemini humillimam culparum ejus confessionem, qui pœnitentia ductus ita loquebatur ad Nathan Prophetam: *Peccavi Domino.* 2. Reg. 12. v. 13. ingrediamini domum Pharisæi, ut videatis Magdalenam ad pedes Jesu provolutam, quæ cum se peccatricem fassa esset, a Christo Redemptore optimo audire meruit: *Remittuntur tibi peccata, vade in pace.* Luc. 7. v. 49. & 50. descendite in templum Jerosolymitanum, & ibi intuemini publicanum, quomodo percutiat pectus suam, seque publi-

publice peccatorem profiteatur: *Deus propitius esto mihi peccatori*, Luc. 18. v. 13. & ecce! descendit hic justificatus in domum suam. v. 14. inferte pedem cum filio prodigo in domum ejus paternam, ut addiscatis ab eo peccata vestra humiliter declarare: provolvitur hic filius peccator ante genua Patris sui, culpas suas humili corde confitetur in submissa hæc verba prorumpens: *Pater peccavi in cælum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* Luc. 15. v. 21. si nos quoque dissipavimus bona gratiæ, & in terram alienam abeuntes declinavimus a via mandatorum Dei, non nisi humilis peccatorum confessio errantes reducet, ut stola gratiæ rursus induamur, & a Christo recipiamur velut amantissimo Patre, qui tali ratione ad misericordiam flecti potest, & solet. Quare enim putatis, quod dixerit ad mulierem Samaritanam, Joann. 4. v. 16. *vade, voca virum tuum, & veni huc?* Sciebat utique omniscius Redemptor, quod non haberet virum, sed dixit hoc, ut illam provocaret ad humilem peccatorum suorum confessionem, quod & fecit humilis hæc mulier dicens: *Non habeo virum*, v. 17. denique accedite adhuc piis animi affectibus Calvariæ montem, aspiciate ibi in cruce pendentem latronem, sed diserte ab eo, ut humiliter culpas vestras edicatis: Ecce! latro hic morti proximus confidenter supplicat Christo: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. v. 42. quid rogas o Latro? Utique neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt.



1. Cor. 6. v. 10. quid audes, o Disma? Non auderem, dicit, nisi prius humili corde coram eo culpam meam dixissem: *Nos quidem iuste, nam digna factis recipimus.* Luc. 23. v. 42. percipite, quid desuper dicat S. Augustinus: „Non est ausus dicere: *Memento mei*, nisi prius „per confessionem iniquitatis præteritæ, far- „cinam peccatorum deponeret., & ideo Christus ait: *Hodie mecum eris in paradiso.* v. 43. dico & ego igitur cum S. Gregorio L. 22. moral: „Mirentur in bono Jobo, qui volunt, ca- „stitatis continentiam, mirentur integrita- „tem iustitiæ, mirentur viscera pietatis, ego „in eo non minus admirer confessionem hu- „millimam peccatorum, quam tot sublimia „virtutum.,. Concludite jam vobis necessarium esse ad consequendam salutem, ut in humilitate cordis vestri consiteamini peccata vestra; nam *ore confessio fit ad salutem.* Rom. 10. v. 10. Quare ergo o peccator, peccata tua in iudicio sacro pœnitentiæ pro venia impetranda confiteri erubescis, aut differs, qui quandoque non erubescis coram aliis jactare tuam dexteritatem in peccando? Manifesta quoque Judici sacro Dei vices gerenti tuam cordis malitiam.

## P A R S II.

*Et Candide.*

**A**ttamen humilis peccatorum confessio comitem exigit sinceritatem, & pium animi candorem, & non abs re; in omni enim lege  
jam

jam præceperat summus Legislatur Deus, candide errata fateri: Noveritis utique, quod jam in lege naturæ dixerit Deus ad Adam: *Adam ubi es?* Gen. 3. v. 10. & ad Evam: *Quare hoc fecisti?* v. 13. Hæcque locutus est Deus, ut primos parentes nostros hortaretur ad sinceram peccati confessionem. Porro in lege scripta quid scriptum legitis? Nonne Deus hoc dedit præceptum: *Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.* Num. 5. v. 6. & 7. Considerate jam legem gratiæ, nunquid in ea instituit Christus salutiferum poenitentiae Sacramentum, in quo sincera peccatorum confessio præcipitur, ut agnus Dei tolleat peccata mundi? legite quid dicat Jacobus Apostolus: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Jac. 5. v. 16. quid igitur mirum, quod Paulo prædicante multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes adus suos. Act. 19. v. 18. Erant insuper filii Israël gravi oppressi afflictione, immittebantur serpentes igniti, qui eos mordebant, sed quomodo putatis, eos ab hoc malo fuisse liberatos? Ecce! agnoscebant reatum suum, ac candide confitentes venerunt ad Moisen, atque dixerunt: *Peccavimus, quia locuti sumus contra Deum, & te, ora, ut tollat a nobis serpentes.* Num. 21. v. 7. Qua demum ex causa existimatis Isaiam Prophetam dignum habitum fuisse, ut Angelus Seraphim advocans ejus labia mundaret, cum cerneret in

Solio excelso Majestatem Dei: volavit enim unus de Seraphim, qui thronum Dei stipabant, ad eum, & calculo, quem forcipe tulerat de altari, labia illius mundavit, & ait: *Ecce! tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Isa. 6. v. 7. Nempe Isaias suam culpam, & immunditiam palam & candide confessus est: *Vae mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.* v. 5. Cur autem ex adverso, homo, qui non habebat vestem nuptialem, a nuptiis exclusus, & in tenebras exteriores eiectus fuisse legitur? Evangelium rationem assignat his Matth. 22. v. 12. verbis; *Ille obmutuit*, id est, non est confessus culpam suam. Si quæritis, quare Christus Judam cum Satellitibus ad se venientem appellaverit proprio nomine Juda: *Juda osculo filium hominis tradis?* Luc. 22. v. 49. Respondet vobis Cyrillus Jerosolymitanus: „Ferme hoc ad ipsum dicit, admonens „eum per nominis appellationem, (Judas „enim vocatur confessio) intellige, accepisti „argentum, confitere cito, & candide, *Ju- „da osculo filium hominis tradis.*„ Perinde ac si diceret, o Juda nominis tui significationem attende, fatere candide peccatum, accusa te, & ego te recipiam in gratiam. Cur ergo o peccator, non sincere, non integre confiteris peccata tua, cur hanc, cur illam circumstantiam studiose occultas, cur ita te excusas, qui te accusare deberes? Absque candida, & integra confessione non erit tibi salus. Revela Judici Sacramentali animi tui vulnera,

ut



ut tibi salutiferum absolutionis emplastrum imponat, & reddita animæ fanitate rursus jus ad hæreditatem cœlestem tibi vendicet,

Fateamur igitur culpas nostras humiliter, simulque candide, aperiemus eas in arcano iudicio, antequam toti mundo aperiantur in magno illo iudicii die, in quo veniet *Dominus*, qui *Et illuminabit abscondita tenebrarum, Et manifestabit consilia cordium*, 1. Cor. 4. v. 5. Clamemus nunc per humilem, & candidam culpæ confessionem ad Deum: te rogamus audi nos, ut nobis parcas. Amen.



DOM. V. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quomodo iustitia nostra plus, quam Phariseorum abundare debeat?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Ut iustitia nostra plus, quam Phariseorum abundet, 1. non est quærenda in oculis hominum, 2. sed Dei.

## T H E M A.

*Nisi abundaverit justitia vestra plus, quam scribarum, & Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum. Matth. 5. v. 20.*

**T**otum justitiæ Christianæ compendium, atque æternæ salutis consequendæ medium paucis hisce verbis nobis S. Petrus subministrabat: *Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos, declinet a malo, & faciat bonum.* 1. Petr. 3. v. 11. qui enim hæc fecerit, & his justitiæ operibus insudaverit, hunc justum deducet Dominus per vias rectas, & ostendet illi regnum Dei. Equidem hanc justitiæ viam ingressi videbantur Scribæ, & Pharisei in hodierno evangelio, hi tamen non perveniebant ad regnum cœli, ideo Christus aliam a nobis justitiam exigit, quam pharisaicam, dicens: *Nisi abundaverit justitia vestra plus, quam Scribarum, & Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum;* Phariseorum enim justitia, vera injustitia, & ficta solum justitia erat; oritur ergo quæstio: quomodo justitia nostra plus, quam Phariseorum abundare debeat? Cui sequens consonat responsio: ut justitia nostra plus, quam Phariseorum abundet, 1. non est quærenda in oculis hominum, 2. sed Dei.

## P A R S I.

*Non est quærenda justitia in oculis hominum.*

**R**equirit a nobis justissimus Deus justitiam christianam, non pharisaicam, seu in oculis hominum quæsitam, qualem habebant Pha-

Pharisæi, exterius ovinam pietatis pellem mentientes, cum tamen intus ob occultam morum malitiam essent lupi rapaces, hanc ergo Pharisæorum justitiam duntaxat ad oculos hominum compositam procul a nobis abesse vult Christus, dum dixit: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* Matth. 6. v. 1. Eapropter Christo Domino non placebat justitia Pharisæi illius, qui Publicanum contemnens jactabat opera sua; *Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Luc. 18. v. 12. Sed repudiabat Christus hanc Pharisæi justitiam, quæ solum erat in oculis hominum, ut videatur ab hominibus: ab hac quoque justitia, quam melius justitiam vocaveris, efficacibus monitis retrahebat Christus discipulos suos dicens: *Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Luc. 12. v. 1. Qualem ergo justitiam justus Dominus a nobis exigit? non aliam sanè, nisi oculis hominum occultandam; ait enim: *Cum facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus, Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Matth. 6. v. 2. Non sufficit apparere sanctum, & justum, sed requiritur esse sanctum, & justum. O hypocritæ qui justitiam vestram quæritis in hominum, applausu, notate, quam vivis coloribus Christus vestram mentis indolem depingat his verbis vos increpans: *væ vobis Scribæ, & Pharisæi*



*risæi hypocritæ, quia similis estis sepulcris deal-*  
*batis, quæ a foris parent hominibus speciosa, in-*  
*tus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni*  
*spurcitia. Matth. 23. v. 27. Ecce! sepulcra*  
*dealbata estis, exhibetis coram hominibus*  
*candorem falsæ pietatis, sed intus continetis*  
*omnem spurcitiã veræ impietatis. Tale se-*  
*pulcrum dealbatum jam in ipsis mundi incu-*  
*nabulis erat Cainus, qui externe, & coram*  
*hominibus simulabat se cultorem justitiæ, Deo*  
*munera offerendo, sed intus injustum occul-*  
*tabat occiforem; unde abominationi erat Deo*  
*hæc ficta justitia; ait enim S. Chrysostomus;*  
*„ Bonus Dominus consuevit attendere non*  
*„ ad ea, quæ a nobis fiunt, sed ad internam*  
*„ mentem, a qua, ut hæc faciamus, impelli-*  
*„ mur. „ Merito etiam dealbatum ejusmodi*  
*sepulcrum vocari valet Putipharis uxor, quæ*  
*totam suam justitiam in oculis hominum repo-*  
*nebat, de qua sacer codex ait: Gen. 39.*  
*v. 16. &c. In argumentum fidei retentum pal-*  
*lium ostendit marito revertenti domum, & ait:*  
*ingressus est ad me servus hebræus, quem adduxi-*  
*sti, ut illuderet mihi, cumque audisset me clama-*  
*re, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit fo-*  
*ras. Sed latebat in hoc fædissimo sepulcro*  
*venereæ malitiæ, & omnis iniquitatis obscæ-*  
*nitas, propter quam a Deo tanquam injustif-*  
*sima mulier, & impiissima Josephi innocentif-*  
*simi accusatoria repudiabatur. Imitemur er-*  
*go S. Paulum, qui justitiam suam non quæ-*  
*sivit in oculis hominum ita loquens: Si adhuc*  
*hominibus ptacerem, Christi servus non essem.*  
*Gal,*

Gal. i. v. 10. Verum enim vero hodiedum reperire est homines, qui totam suam justitiam operantur coram hominibus, ut ab eis videantur, qui omnino contenti vivunt, si de eis dicatur, quod sint viri honesti, elemosynarii, & justî, de cetero autem animam habent peccatorum maculis fordidam, suntque sepulcrâ dealbata, in quæis omnis malitiæ scœditas latet; ah hæc justitia solum Pharisæica, non christiana est.

## P A R S II.

*Sed Dei.*

**J**usti simus, sed in oculis Dei justitia nostra appareat, sit justitia hominis ad instar auri, & argenti, quod in intimis terræ visceribus absconditur, non autem projiciamus aurum charitatis nostræ ante oculos hominum, ut inanem emittat splendorem, sed servemus illud in intimo cordis recessu absconditum, ut splendor ejus soli Deo, qui cor intuetur, patefiat, sit justitia nostra ad instar gemmarum, quæ ne auferantur, in cistis absconditæ servantur, exornent animam nostram pretiosæ virtutum gemmæ, sed ne videantur ab hominibus, abscondat eas sancta humilitas, qua soli Deo spectabiles reddentur, secus horum bonorum jactura sequetur; ait enim S. Gregorius: „Incauti homines in eo, quod „bona sua patefaciunt, ostendunt malignis „spiritibus, quasi insidiantibus hostibus, quæ „prædentur. „ Potius hac in re sequamur „exem-

„ exemplum Abrahami qui Gen. 22. heroicum illud facinus, quo proprium filium immolare a Deo jubebatur, omnimodis occultans exiit in oculis Dei sub obscuræ noctis silentio de domo inscia etiam propria uxore, non assumens secum nisi filium, & duos famulos, imo nec permittebat, ut hi tam excellens conspicerent virtutis exemplum, quod solius Dei oculis pervium esse voluit; nam cum videret montem a Deo sibi monstratum, ut in eo obedientiæ sacrificium perficeret, agebat: *Exspectate hic cum Asino, ego, & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Gen. 22. v. 5. Simile nobis occultandæ justitiæ exemplum reliquit justus Moises, descendebat hic de monte, in quo eum Deo locutus est, Cumque facies ejus instar solis luceret. *Posuit velamen super faciem suam.* Exod. 34. v. 33. Ne justitia ejus populo appareret, aut sui existimationem sibi conciliaffe videretur a populo, qui illum cum Domino Deo collocutum fuisse, cognoscere posset. Perlegite sanctum Jesu Christi Evangelium, ut ex eo addiscatis, qualis sit justitia vestra: proponitur ibi speculum quoddam justitiæ S. Joannes Baptista, quo non surrexit major inter natos mulierum, sed justitiam ejus in oculis Dei splendescere animadvertite, dicitur enim de eo: *Magnus coram Domino,* Luc. 1. v. 15. Sit & justitia vestra magna non coram hominibus, sed Deo in oculis Dei. Hanc Evangelii doctrinam ad amussim implevit S. Hilarion, qui totam justitiam suam oc-



cultans coram hominibus, in oculis solius Dei justus esse voluit; nam cum cerneret se ab hominibus ob vitam sancte transactam deprædicari, maxime doluit, flens & timens, ne Deus illa hominum æstimatione rependeret bona opera, quæ faciebat. Bene igitur & non ad insipientiam operantur illi, qui omnes pias actiones suas occultant hominibus, ut hæ soli Deo patefiant, qui quidem dextera elargiuntur eleemosynam, ut tamen id sinistra nesciat, qui plurima colligunt merita, sed ea humilitatis velo contegunt, hi certe, cum non sint de genere illorum, de quibus scriptum est: *Receperunt mercedem suam.* Matth. 6. v. 16. Quia opera sua fecerunt, ut viderentur ab hominibus, præmium suum consequentur in coelis a Patre cœlesti, propter quem solum sunt operati.

Justitiam itaque nostram non exerceamus in oculis hominum, secus tota nostra merces foret laus humana, sed quia soli Deo peccavimus, etiam in oculis solius Dei justitiam nostram operemur, sic abundabit justitia nostra plusquam Scribarum, ac Pharisæorum, & recipiemus copiosam in coelis mercedem Filiorum Dei. Amen.



---

 QUÆSTIO SACRA II.

*Cur Christus pronuntiet illum, qui fratri suo dixerit: fatue, reum esse gehennæ?*

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus hæc dicens voluit ostendere, 1. quod contumelia proximo illata sit malum grave, 2. & gravissima pœna dignum.

## T H E M A.

*Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.*  
Matth. 5. v. 22.

**Q**uod olim dixerat David, id bene dictum esse in hodierno Evangelio confirmavit filius David Christus Dominus: loquebatur aliquando Israeliticus Rex de male loquentibus hunc in modum: *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, judica illos Deus.* Ps. 5. v. 11. Hos male loquentes judicat pariter, imo condemnat Christus dicens: *Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Exsurgit jam quæstio, cur Christus declaret illum, qui fratri suo dixerit: *Fatue, reum esse gehennæ?* respondendum autumo: Christum voluisse ostendere, 1. quod contumelia proximo illata sit malum grave, 2. gravissima pœna dignum.

PARS

P A R S I.

*Contumelia proximo illata, est malum grave.*

**N**on abs re contumelias proximo illatas appellavero crudelia jacula, quæ eo sunt ferociora, & pejora, quo periculosius non deforis in corpore, sed intus in animo hominis infiguntur, ac graviori longe vulnere conficiunt; ait enim S. Athanasius: „ Contumeliam gravius ferire, quam lapides; nam „ faxa corpus quidem lædere possunt, at contumelia reputationem percutit, animamque „ ferit. „ Hoc jaculum immanissimum vehementer affligebat Saram, duro aliorum majorum pondere non opprimendam: erat hæc fortis scemina filia Raguelis, & uxor junioris Tobiaë, septem viros infelix mulier in maritos habuit, quos omnes dæmoniacus spiritus crudelissime interfecit, illa tamen permanet animo infracta, non queritur, non lacrimatur, sed o malum grave contumeliæ, quæ invictum alias Saræ animum fregit; accidit enim quodam die, ut Sara audiret improperium ab una ex ancillis Patris sui, Tob. 3. v. 7. cum Sara eandem hanc ancillam ob suam culpam increparet, obtrusit hæc subito: *Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram interfecitrix virorum tuorum.* Quasi diceret: tune infelix mulier audes contra me os apponere, an putas me ignorare, quod scelestissima jam septem maritos jugulaveris? ast quid ad hanc gravem contumeliam Sara reponit? hæc injuriosa ancillæ exprobra-



114 *Dominica V. post Pentecosten.*

tio immotum alias Saræ cor tantopere de-  
 cit, ejusque animam usque ad mortem dolo-  
 ris gladio transfixit, ut clamaret ad Dominum:  
*Peto, ut de vinculo improperii hujus absolvas me,*  
*aut certe desuper terram eripias me. v. 15.* tam  
 grave malum est contumelia. Hæc ipsa fuit,  
 quæ omni gladio, & sagitta penetrabilior  
 olim dirissimo vulnere sauciavit animum pa-  
 tientissimi Job, erat is quidem fortissimus;  
 omnium malorum vallabatur exercitu, audie-  
 bat greges suos inique abactos, pignora sua  
 a corruente dōmo oppressa, totum corpus fu-  
 um erat ulcus foetidum, & hæc omnia patien-  
 tissime tolerabat Job, sed dum contumeliis  
 amicorum suorum appetitur, iisdem atteri-  
 tur, & conqueritur: *Usque quo affligitis ani-*  
*mam meam, & atteritis me sermonibus, en! de-*  
*cies confunditis me, & non erubescitis opprimen-*  
*tes me. Job. 19. v. 1. & 2.* Job fortissimus tot  
 casibus non vincitur, & unico calumniantium  
 sermone dirissime affligitur, & ad mortem  
 usque prostratur. O grave malum contume-  
 liæ, quæ fortissimos etiam viros dirissimo men-  
 tis vulnere lanciat, & quis contumeliam non  
 appellet crudelissimam sagittam, quæ etiam  
 ipsi Christo vulnus supra vulnus addidit, ita  
 crucifixus Dominus conqueritur in medio do-  
 lorum de crucifixoribus suis: *Super dolorem*  
*vulnerum meorum addiderunt. Ps. 68. v. 27.* O  
 quanta est sævitia eorum, qui cruciatus cru-  
 ciatibus augent, a planta pedis non erat sa-  
 nitas in Christo usque ad verticem, totus fau-  
 cius, & sanguine madens pendet in cruce,  
 imo

imo jam non habet locum nova plaga, quem ergo novum dolorem addere potuerunt? an ergo major dabatur dolor coronatione, flagellatione, & crucifixione? quis iste dolor, qui Christo morienti has exprimebat querelas? respondent S. Scripturae interpretes: addiderunt tela linguarum contumeliosarum dicentes: *Vah qui destruis templum Dei, & in tri-duo illud reaedificas, salva te ipsum, si Filius Dei es, descende de cruce.* Matth. 27. v. 40. hæc contumelia Christo illata tam grave erat malum, ut querulose dicat Christus, *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Hinc notat S. Chrysostomus, quod Christus in monte Calvariae benignos oculos suos non deslexerit in illos, qui illum contumeliis affecerant, licet se erga alios, qui illum torquebant, & crucifigebant, misericordem exhibuerit; si ergo contumelia tam grave malum est, qua ratione fieri potest, ut hisce temporibus sine rubore & freno tot verba contumeliosa passim audiantur, aspiciate tantum mulierem quamdam ab alia etiam leviter læsam, nonne integrum contumeliarum imbrem ex impio ore suo vindictæ cupida evomit? o quam grave subibunt judicium, qui contumeliosis verbis in proximum invehuntur.

## P A R S II.

*Gravissima pœna dignum.*

**C**ur contumeliam non appellem malum grave, quod gravissimam homini accelerat pœnam, & quidem pœnam rogi infernalis


infigendam? licet enim plura dentur scelera inferno digna, prima tamen omnium vice, qua justitia divina gehennæ meminit in amplo S. scripturæ volumine, eam ipsam, non idololatrias, maleficis, adulteris, sed iis, qui proximum suum contumeliis afficiunt, minatur: *Qui dixerit: fatue, reus erit gehennæ ignis.* Annon contumeliæ sunt illa Zizania, quæ spargit inimicus hominis scilicet dæmon? quid ergo mirum est, quod jussu cœlestis Agricolæ in ignem conjiciantur æternum? in medium proferamus exempla, ut cognoscamus, quam gravi pœna Deus justissimus scelerum vindex semper mulctarit contumelias proximo illatas: nonne Phenenna, quæ multos habebat filios, graves dedit pœnas, ut omnibus suis filiis privaretur, quia contumeliosis verbis exprobrabat Annæ sterilitatem, quod Dominus conclusisset vulvam ejus. O quam graves pœnas subire coacta est Michol, quæ maledictionem incurrebat, ut non pareret filium, *Michol filia Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ.* 2. Reg. 6. v. 23. Et hoc ea ex ratione: quia verbis contumeliosis derisit Davidem, qui ex mentis devotione in conspectu totius populi coram arca saltaverat, inquires: *Nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris.* v. 20. O quam graviter divina Nemesis castigabat infelicem Nabalem, qui subito nulla præcedente infirmitate extinctus est morte: *Percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* 1. Reg. 25. v. 38. Sed quare? observate, quam contumeliosis verbis Davidem exceperit?



rit? Quis est David? & quis est filius Isai? hodie increverunt servi, qui fugiunt Dominos suos. v. 10. Hæc injuria Davidi illata gravissima poena digna fuit. sed quænam poena contumeliosi hominis capiti imminet? Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Pl. 119. v. 3. respondet Psaltes regius: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.* v. 4. Ubi Genebrardus per sagittas temporalia, per carbones vero intelligit æterna supplicia; nonne hanc gravissimam poenam experti sunt contumeliosi Dathan, & Abiron, qui cum Moisen contumeliis onerarent, subito inferno se sub eorum pedibus aperiente vivi ad inferos descenderunt? nec minus graves legimus poenas contumeliosis statutas in libro Ecclesiastici 10. v. 8. *Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias.* Et ecce! easdem Christus poenas statuebat, cum eum Judæi hac contumelia affecissent, ut dicerent: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Luc. 11. v. 15. Respondebat enim Christus: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* v. 17. Volens iis verbis Judæos eradire, & suam astruere innocentiam, nec non hac occasione ostendere, quod contumeliæ proximo illatæ a Deo gravissimis plectantur poenis. Haud immerito proin S. Joannes Damascenus cuidam, qui proximum suum non ex odio, sed ex joco convitiis offendisse prætendebat, respondit: qui per jocum alium convitiatus es, etiam per

jocum ibis ad infernum. Timete proin vos omnes, qui maledictiones, calumnias, contumelias, injurias & subsannationes, in proximum quotidie effunditis, timete, infernus jam aperit hiatus suum, ut vos infelices cum Dathan, & Abiron absorbeat, & tamen, o tempora! o mores! ubique audiuntur contumeliosi sermones, plerumque quotidiana conversatio est continua obtrectatio, & convitiatorum nundinatio.

Potius igitur adimpleamus præceptum Christi mandantis: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Matth. 22. v. 39. Recedat ab ore nostro omnis contumelia, ne gravi hac lue inficiamur, & propterea gravissima poena afficiamur, diligamus proximum nostrum, sicut nosmetipsos, ita certe non erimus rei gehennæ ignis, sed digni cælo. Amen.



### QUÆSTIO SACRA III.

*Quid faciendum est nobis pro reconciliatione cum fratre, quam Christus in Evangelio ita commendat?*

#### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Ut reconciliemur cum fratre, 1. offendentes offensis humiliter deprecemur, 2. & offensi offendentibus libenter ignoscamus.

T H E M A.

*Vade prius reconciliari fratri tuo. Matth. 5.  
v. 24.*

**D**eus, qui *charitas est*, 1. Joann. 4. v. 8. Qui totus bonus est, de quo ait Apostolus 1. Cor. 14. v. 33. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis*, omnem odit dissensionem, mutuum autem amat consensum in vinculo pacis; hinc ait: *Esto consentiens adversario tuo cito. Matth. 5. v. 25.* Et hic idem Princeps pacis in hodierno Evangelio præceptum unionis, & reconciliationis fraternæ rursus inculcat: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris; quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5. v. 23. & 24.* At oritur quæstio: quid faciendum sit nobis pro reconciliatione cum fratre, quam Christus in Evangelio ita commendat? dicendum assero: ut reconciliemur cum fratre, 1. offendentes offensis humiliter deprecemur, 2. & offensi offendentibus libenter ignoscamus.

P A R S I.

*Offendentes offensis humiliter deprecemur.*

**O**ptimum sane medium, quo offensam proximo illatam diluere possumus, nullum est aliud, nisi, ut quis offensam humiliter de-



precetur, hoc ipsum pro reconciliando fratre remedium suggerit nobis sacra utriusque testamenti pagina, incipiamus proin perlegere Geneseos librum, ut capiamus exempla, quæ nos pariter instigent ad similem cum proximo reconciliationem statuendam. Offenderant Fratres Josephi Josephum fratrem suum, mittentes eum in cisternam, illumque Ismaelitis vendentes, brevi tamen optimum fratrem offendentes agnoverunt peccatum suum: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, dum deprecaretur nos, & non audivimus.* Gen. 42. v. 21. Ecce! offenso Josepho deprecati humiliter, veniam, & gratiam consecuti sunt. Rursus idem Geneseos liber meminit reconciliationis Jacobi cum Esau, huic cum ob paternam benedictionem jam præcepta essent jura primogenituræ, ille offenso suo fratri reconciliari omnimodis cupiebat, quem in finem misit ei *capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, & arietes viginti, camelos factas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas viginti, & pullos earum decem,* Gen. 22. v. 14. probe gnarus, muneribus placari posse hominesque, Deosque: nec his contentus, se ipsam sistebat, & prosternebat se septies coram eo, ac humiliter offensum Esavum deprecatus agebat: *Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei, esto mihi propitius.* Gen. 33. v. 10. Sed de veteri transeamus ad novum testamentum, ut ex hoc quoque perspiciamus exempla, & inde pertrahamur, quatenus nos quoque, si quos offen-

offendimus, eos humiliter deprecemur. Offenderat servus Dominum, cui decem millia talenta debebat, sed iram irati Domini mitigavit, dum in genua provolutus humiliter eum orabat dicens: *Patientiam habe in me, Et omnia reddam tibi.* Matth. 18. v. 26. Hæc autem humilis deprecatio ita placuit Domino, ut misericordia motus servo suo totum dimiserit debitum. Quid filium prodigum reconciliavit Patri? Reconciliavit humilis ejusdem deprecatio: offenderat ille Patrem, totam suam substantiam luxuriose vivendo perdens, at errati poenitens agebat: *Surgam, Et ibo ad Patrem meum.* Luc. 15. v. 18. Non mittit mediatorem, quia ipsemet offenderat Patrem, ipsemet petit veniam, ipsemet offensum Patrem deprecatus est humiliter: *Pater peccavi in cælum, Et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* v. 19. Ad hanc, quam hactenus tractavimus materiam, illud quoque conducit, quod de S. Gualberto memoriæ præditum est, ecce! unicus Joannis frater Ugo nomine occidebatur a consanguineo, quem cum solum, & inermem ipso sancto Parasceves die Joannes graviter læsus armis, ac militibus stipatus obvium haberet, ubi neuter alterum poterat declinare, nihilominus ob sanctæ Crucis reverentiam, quam homicida supplex mortem jam jam subiturus, brachiis signabat, vitam ei clementer indulgebat. Hæc autem humilis deprecatio a Joanne acceptata ita placuit Deo, ut Joannes proximum templum ingressus, adoratam crucifixi

imaginem caput sibi inclinare conspiceret. O quoties offendunt liberi parentes suos, quos tamen humiliter deprecari nolunt, o quoties famula heram, servus Dominum, Frater Fratrem, Soror Sororem, amicus amicum, maritus uxorem graviter offendunt, & raro, raro inquam humilis deprecatio fit, recogitent tales adducta exempla, ut addiscant ab offensis humiliter veniam precari.

## P A R S II.

*Et offensi offendentibus libenter ignoscamus.*

**P**ræceptum Domini est, ut offensi offendentibus libenter ignoscant, *benefacite*, ait Christus Matth. 5. v. 44. *His, qui oderunt vos.* Præceptum Domini est, quod etiam ipse Christus Dominus implere dignabatur, cum in cruce pendens, & injuriolis Judæorum contumeliis gravissime offensus diceret ad Patrem suum coelestem: *Pater dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.* Luc. 23. v. 34. *Christe crucifixe!* cur offensus ipsemet petis veniam, quam tamen Judæi honorem tuum lædentes debuissent rogare? S. Ambrosius L. 10. in Luc. respondet: „In cruce positus postulat pro inimicis, ut plenitudinem legis, quam docuerat, demonstraret.„ Docuit Magister veritatis in Evangelio: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia Frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Matth. 5. v. 23. &c. Hanc legem



legem Christus docuit, & ideo etiam, quia venit non solvere, sed adimplere charitatis legem, prior illam implere voluit, hinc Centurio audiens Christum clamantem in cruce: *Pater ignosce illis*, clamavit: *Vere Filius Dei erat iste*. Matth. 27. v. 54. O quantum placet Deo, si offensus offendentibus libenter ignoscit. Legimus, quod Elias Propheta crescente fame ad torrentem Carith secesserit, ubi a corvo pastus est, alia vice hic vir sanctus rursus abiit in eremum, & tunc Angelus quidam de coelo ei attulit alimenta. Jam si in hujusce diversitatis rationem inquiram, cur una vice corvi ministerio, altera vero ipsiusmet Angeli servitio pastus fuerit, sane Bethlemiticus Doctor S. Hieronymus respondet, quia Elias ab impia Jezabele acriter offensus omnes injurias interea remisit, dignus reddebatur, ut ab ipsomet Angelo pasceretur. Aliud exemplum, quo quisque trahi potest ad condonandum inimicis, habemus in Davide, hic utut saepius offenderetur a Rege Saul, eidem tamen semper novit condescendere, ut ipsemet Saul Davidis clementia moveretur, ac in haec erumperet verba: *Nunc scio, quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua Regnum Israel*. 1. Reg. 24. v. 21. Unde autem Sauli haec notitia? Nisi quia David offensus offendenti Sauli injuriam remisit; Saul enim hastam vibrabat in Davidem, sicarios constituebat, milite cinctus obviam ibat, incassum licet, quinimo fors Davidi Saulem inimicum bis in manus dedit, & quidem prima vice, quan-

quando in eandem speluncam venit, ubi erat David, hic tamen vindictæ oblitus libenter offendenti Sauli ignovit, nullamque sumpsit vindictam, sed solum de clamide quiequam abscidit, tantam moderationem ipsemet Saul admiratus dixit: *Nunc scio, quod certissime regnaturus sis.* Alia vice David clam in castra Saulis irreperat, ad ipsius Saulis tentorium perveniens, 1. Reg. 26. hunc, licet dormientem inveniret, & insuper a fidei suo Comite Abisai ad sumendam de inimico vindictam urgeretur, prompto nihilominus animo eidem rursus pepercit, solo duntaxat scipho, quem secum asportavit, contentus, hac autem indulgentia & moderatione Davidis iterato captus Rex Saul non potuit non sibi temperare, quin palam fateretur: *Benedictus tu fili David.* 1. Reg. 26. v. 25. Perscrutemini denique historias, ut inde ad veniam proximo offendenti dandam permoveamini. Referunt Annales Ecclesiastici de Leone III. summo Pontifice, quod Adriani Papæ Nepotes Leonis electionem indignati, recens huic electo Pontifici non modo oculos eruerint, sed linguam etiam ei absciderint: Ast Deus innocentium Defensor meritis S. Petri, cui se Leo commendaverat, sequenti nocte Pontifici linguam, & integram sanitatem restituit. Unde vero tantum promeruit miraculum? Nisi ob propensum hostibus suis ignoscendi animum; quippe cum Carolus Magnus hos sacrilegos capitali poena plectere statuisset, Leo offendentibus lubenti animo ignoscens, ac promeritæ



ritæ huic severitati sese pro viribus opponens id effecit, ut in exilium duntaxat ablegarentur. Egregium pariter S. Elisabeth Hungariæ Regis filia mansuetudinis exemplar se exhibuit: Hæc enim aliquando Deum orabat, ut singulos, qui eam injuria affecissent, singulari aliquo beneficio remuneraretur, cui respondit Deus, quod nunquam sibi amore suo adeo placuerit, quam hac actione, unde pro ea oratione universam peccatorum remissionem illi concessit. Imo si vos non moveant hæc Christianorum exempla, moveant saltem Ethnicorum verba, ex quibus Aristoteles solo naturæ lumine adjutus dixit 9. Ethic: „Viri „magnanimi est injurias condonare.„ Et tu o homo Christiane, renuis ignoscere proximo tuo, cum tibi tamen Deus toties jam veniam delictorum indulserit, excoquis in corde tuo vindictam, & tempus tibi opportunum expectas, quo ultionem exeras, quæ tamen soli Deo competit, dicis sæpius, quod quidem ignoscas, sed offensæ per totam vitam velis reminisci, ah sincere proximo dimitte, ut dimittatur tibi.

Accedamus igitur ad altare Dei, & offeramus ibi munus reconciliationis cum fratribus nostris, si sumus offendentes, offensos humiliter deprecemur, si sumus offensi, offendentibus libenter ignoscamus, hoc si fecerimus, etiam nobis dimittet debita nostra Pater æternus, qui est in cœlis. Amen.







DOM. VI. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quare Christus multiplicatis miraculose panibus saturaverit fameſcentem turbam?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Saturavit Christus multiplicatis miraculose panibus fameſcentem turbam, ut oſtenderet ſuam miſericordiam, quam exhibet, 1. bonis, 2. & malis.

T H E M A.

*Mifereor ſuper turbam. Marc. 8. v. 2.*

**I**pſe Deus, qui infinita bonitas eſt, immenſum ſuum amorem erga populum Iſraeliticum teſtatum reliquit per os Oſeæ Prophe-  
tæ dicens: *Ego quaſi nutritius Ephraim, in funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis.* Of. II. v. 3. & 4. Hinc ille ipſe Deus, qui in domo panis in Bethlehem tanquam panis vitæ natus eſt, quique jam pridem in deſerto dederat Judaico populo panem, nempe Manna dulciſſimum, in hodierno iterum evangelio fameſcentem turbam multiplicatis miraculose panibus ſaturavit, ſed quare hoc? Cer-  
te

te non alio ex fine nisi quem nobis ipsemet mundi Salvator significat in hodierno Evangelio, inquit: *Misereor super turbam*, saturavit ergo Christus multiplicatis miraculose panibus famelicum gregem, ut ostenderet suam misericordiam, quam exhibet, 1. bonis, 2. & malis.

P A R S I.

*Misericordiam Christus exhibet bonis.*

**C**ur Deus bonis non sit bonus, qui totus bonitas est? Concupierat hujus divinissimi Sponsi, qui omnino amabilis, & desiderabilis est, bonitatem Sponsa in canticis, dum ejus amplexibus frui optabat dicens: *Læva ejus sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.* Cant. 2. v. 6. Intendebat Sponsa dicere: dextra tua me amplectere, & lævam occulta sub capite meo, cur autem petit Sponsa extendi Sponsi dextram, & lævam ejus occultari? Quia sciebat lævam esse, qua punit, dextram vero, qua misericordiæ opera facit, quamque semper extendit ad gratiosam benedictionem bonis, & electis suis imperiendam, hinc dextram super se extendi sponsa petit, ut misericordia, & benedictionibus ab eodem impleatur; confidite ergo electæ Christi oves, boni omnes, ad hanc enim suam dextram divinus Pastor misericordissimus vos collocabit in die judicii: *Statuet oves a dextris suis*, Matth. 25. v. 33. ut misericordia sua in æternum fruamini; hinc bonus Zacharias

rias exclamat: *Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Luc. i. v. 78. O Zacharia, quam bene magnam Dei misericordiam in te effusam deprædicas, cujus viscera plena sunt bonitate, ac misericordia in omnes homines; quapropter ut eam magis palam faceret, ipsemet haud immerito eandem flumini comparavit: *Effundam super vos aquam mundam.* Ezech. 36. v. 25. Sicut enim flumen benigno alveo copiosas suas identidem subministrat aquas, sic effundit misericors Deus in bonos copiosissimas gratiarum undas, quæ eos ad proferendos virtutum fructus jugiter irrigat. In hujusce rei testimonium S. Gertrudem in testem advoco, edic nobis pientissima Virgo, quid tibi de sua in bonos misericordia revelaverit Christus? Ecce! hæc Christi Sponsa a suo Sponso edocta est, quod homo aspiciens imaginem Crucifixi sibi imaginetur Christum hoc blande loquentem: „En! vides, quomodo tui amore penderim in cruce, & adhuc cor meum ita erga te afficiatur, ut si saluti tuæ expedierit, & aliter felicitatem tuam consequi non posses, vellem pro te solo tolerare omnia, quæ toleravi pro toto mundo.„ Tu quoque testare nobis S. Mechtildis, quanta sit in bonos Dei misericordia, nonne tibi de quadam pia Persona Dominus dixit? Quando ex humana fragilitate culpam admisit, si per poenitentiam mox redierit ad me, confidens in mea misericordia, paratus sum ad unicum ejus gemitum ei omnem culpam remittere.

Agnosce



Agnosce ergo o, homo, misericordiam Dei, o quot benedictionibus abundas, ecce! conservat te Clementissimus Deus sanum, incolunem, bonis animæ, & corporis repletum, esto bonus in Deum per bona opera, ut in te bonus maneat Deus per suam gratiam & misericordiam.

P A R S II.

*Et malis.*

O infinita Dei bonitas, quæ etiam super malos solem misericordiæ suæ oriri facit! O magna miserentis Dei clementia, qui jam in principio exorientis mundi per viscera misericordiæ suæ, hominem lapsum erexit de luto fœcis peccati, ut universo mundo ostenderet immensam suam benignitatem; hinc dicitur Thren. 3. v. 22. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus.* Enimvero non defecit miseratio Dei, cum nequidem Adam a præcepto Domini sui turpiter prævaricatus, sit consumptus; licet enim ad diei meridiem peccasset, ex bono malus factus, nihilominus misericors Deus, ne illum in æternum male perderet, morabatur adhuc, & ipso die prævaricationis deambulabat in paradiso post auram ad meridiem. Gen. 3. quatenus errantem revocare posset, *Adam ubi es?* v. 9. absentem quærebat, qui nondum invenerat poenitentem, atque ad obtinendam peccati veniam dispositum. Proin jure meritissimo Isaias misericor-

130 *Dominica VI. post Pentecosten.*

dias Domini considerans exclamare potuit: *Spiritus Domini super me, . . . ut prædicarem*  
*annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo*  
*nostro.* Isai. 61. v. 1. & 2. proponit nobis mise-  
 ricordiam Dei diu perdurantem; longus enim  
 est annus, at brevis est dies unica, en! anno  
 integro, scilicet tempore longissimo durat Dei  
 clementia, sed die unica, brevissimo spatio  
 subsistit iustissima Dei ira, id est, unico die ira-  
 scitur Deus, & toto anno miseretur. Edic  
 Latro e cruce pendens, edic, quanta sit Dei  
 misericordia; tu enim ultima vitæ horula in  
 unicum *memento* te Jesu Redemptori recom-  
 mendans, & in momento ad gratiam recep-  
 tus, integrum Christi regnum unico suspirio  
 emis ab agonizante Jesu: *Hodie mecum eris in*  
*paradiso.* Luc. 23. v. 43. edic S. Paule Aposto-  
 le, quis te ex malo fecit bonum? Nonne in-  
 finita Dei misericordia, de qua inquis *Pater*  
*misereticordiarum?* 2. Cor. 1. v. 3. Hic S. Ansel-  
 mus observat, quod Paulus non dixerit: Deus,  
 vel Dominus misericordiarum, sed *Pater*; quia  
 sicut unusquisque Pater ex inclinatione suæ  
 naturæ intime afficitur suis prolibus, easque  
 licet immorigeras in miserationibus continuo  
 fovet, ita Deus quoque ex sua natura  
 promptissimus est ad miserendum homini-  
 nus non duntaxat bonis, sed & pravis, do-  
 nec convertantur. Consolamini itaque per-  
 versi omnes, ac peccatores! consolamini ex  
 illis verbis dulcissimis, quibus Deus S. Ger-  
 trudi olim suam revelavit misericordiam; cum  
 hæc enim quondam audivisset in concione,  
 nemi-


neminem posse salutem consequi, nisi saltem tantillum charitatis habeat, ut eum ex amore Dei poeniteat, & abstineat a peccato, quoniam vero ipsa secum cogitaret, hoc ratione multos damnatum iri, utpote, qui magis timore gehennæ, quam amore Dei se peccasse dolent in fine vitæ, Dominus his eam verbis solabatur: quando video peccatores agonizantes, qui mei nunquam dulciter recordati fuerint, vel aliquod meritorium opus fecerint, in ipso mortis articulo me eis tam pium, & misericordem exhibeo, ut ipsi ex intimis cordis medullis detestentur, quod unquam me offenderint, ac per talem poenitentiam aptifiant ad salutem consequendam. Percipite adhuc, o peccatores, ad vestrum solatium verba, quæ Deus locutus est ad sponsam suam Mechtildem: nullus est adeo magnus peccator, quin, si vere eum poenituerit, mox illi omnia sua peccata plene dimittam, & cor meum tanta clementia supra ipsum reclinem, ac si nunquam peccasset. Bene itaque faciunt peccatores illi, qui sæpius ad Deum clamant: O Deus! miserere mei, vel: Deus esto mihi Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, peccavi, sed propitius esto mihi peccatori; hi enim misericordiam consequentur.

*Confitemini, ergo Domino, quoniam bonus; quoniam in sæculum misericordia ejus, Ps. 135. v. 1. ipse Dominus est Deus, cui proprium semper est misereri, & parcere, fores benignitatis ejus tam bonis patent, quam malis;*



132 *Dominica VI. post Pentecosten.*

accedamus itaque ad thronum misericordiæ  
ejus, dicamusque cum regio Psalmista Ps. 88.  
v. 1. *Misericordias Domini in æternum cantabo.*  
Amen.



## QUÆSTIO SACRA II.

*Quomodo & nos egentibus succurrere  
debeamus?*

### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Egentibus succurrendum est per eleemosy-  
nam, 1. quæ misero danda est, 2. etsi  
pro Eleemosyna non supplicet.

### T H E M A.

*Dabat.* Marc. 8. v. 6.

**I**llum David dixit beatum, qui intelligit su-  
per egenum & pauperem: *Beatus, qui in-  
telligit super egenum & pauperem.* Ps. 40. v. 2.  
ipse Christus, qui pertransiit benefaciendo, Act.  
10. v. 38. etiam in hodierno Evangelio suc-  
currere voluit egentibus, dum quatuor homi-  
num millia septem panibus, paucisque pisci-  
culis satiavit: *Dabat,* Marc. 8. v. 6. ut nos  
quoque instrueremur egentibus benefacere,  
prout etiam Apostolus hortatur omnes: *Fra-  
tres nolite descere benefacientes.* 2. Theff. 3. v. 13.  
Quæstio autem se offert: quomodo & nos  
egentibus succurrere debeamus? Cui quæ-  
stio-

ffioni respondendum reor, egentibus succurrendum esse per eleemosynam, 1. quæ misero est danda, 2. etsi pro eleemosyna quandoque non supplicet.

P A R S I.

*Eleemosyna misero est danda.*

Ille ipsissimus divitiarum Dominus, de quo hodiernum dicit Evangelium: *Dabat, dandi præceptum omnibus imposuit: Date, & dabitur vobis.* Luc. 6. v. 38. quænam vero oporteat dari, declarat S. Lucas: c. II. v. 41. *Veneruntamen quod superest, date eleemosynam, & ecce! omnia munda sunt vobis;* hinc olim S. Augustinus homil. 9. inter 50. scribit: „Sacrificium christianorum est eleemosyna in pauperes.„ Nec præceptum eleemosynæ novum est in lege nova, sed illud jam in veteri imposuit supremus Legislator Deus Israelitis: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, ut aperiās manum tuam Fratri tuo egeno, & pauperi, qui versatur tecum in terra.* Deut. 15. v. 11. Hoc Dei mandatum secutus Job manum suam extendit ad pauperem, & totus in misericordiæ opera effundebatur, prout de se ipsemet testatur: *Ab infantia crevit mecum miseratio.* Job. 31. v. 18. quæ porro utilitas sequatur eos, qui dictum præceptum rite custodierint, testari potest mulier illa Sareptana, quæ omni, quo poterat modo, studebat S. Eliam tempore famis pascere, & sustentare; nam *ex illa die hydria farinæ*

134 *Dominica VI. post Pentecosten.*

*farinæ non defecit, & lecythus olei non est immi-  
nutus juxta verbum Domini, quod locutus fue-  
rat in manu Eliæ. 3. Reg. 17. v. 16. Verum  
utilitas ista temporalis, quæ ex porrectis elee-  
mosynis scaturire solet, modica foret, nisi ac-  
cederet etiam spiritualis, ac æterna; Deus  
siquidem omnium honorum retributor largif-  
simus recompensat hujuscemodi eleemosyna-  
riis in mensura supereffluente, quas dederunt  
eleemosynas, eleemosynis spiritualibus, præ-  
sertim remissione peccatorum. hanc verita-  
tem probe perspexit Propheta Daniel, dum  
Regem Nabuchodonosorem paterne hortaba-  
tur, ut sua peccata eleemosynis redimeret:  
*Quam ob rem Rex consilium meum placeat tibi, &  
peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas  
misericordiis pauperum, forsitan ignoscet delictis  
tuis. Dan. 4. v. 24.* Hanc eandem saluberri-  
mam doctrinam inculcabat morturiens Tobias  
Tobiæ juniiori filio suo, dum inquit: *Eleemo-  
syna ab omni peccato, & morte liberat, & non  
patietur animam ire in tenebras. Tob. 4. v. 11.*  
Quid Cornelium eduxit e suæ infidelitatis te-  
nebris, ita ut Deus Angelum mitteret ad eum,  
qui perduceret illum ad Petrum pro pleniore  
fidei instructione capienda? Eduxit eleemosy-  
na; de eo enim S. Scriptura dicit: *Cornelius  
Religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua  
faciens eleemosynas multas plebi. Act. 10. v. 2.*  
Quapropter Angelus Cornelio revelabat di-  
cens: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascen-  
derunt in memoriam in conspectu Dei. v. 4.* Quid  
in domum Zachæi Christum, & cum eo omnia pari-*



pariter bona adduxit, ita, ut diceret ad eum Salvator: *Hodie in domo tua oportet me manere?* Luc. 19. v. 5. Perduxit prompta Zachæi voluntas succurrendi miseris, *Ecce! dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus.* v. 8. quid adeo Christo acceptabilem fecit illam viduam, de qua Luc. 21. fit mentio? Acceptabilem fecit prompta eleemosynas elargiendi voluntas; hæc enim, ubi duo minuta misit in Gazophylacium, mox ab ipsomet Christo dilaudatur: *Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus, quam omnes misit.* Luc. 21. v. 3. amplectenda proin est salubris S. Augustini doctrina in Ps. 103. „ si potes dare, da, si non „ potes, affabilem te fac, coronat Deus in „ tus bonitatem, ubi non invenit facultatem. „ Notate hæc verba, signate mysteria, o avari temporalium bonorum cupidi, vobis præcipue incumbit aliorum miserias, & paupertatem sublevare: vobis Deus concredidit divitias, non ut illas magis & magis corradatis, sed in proximi necessitates debite impendatis; hæc enim est voluntas Dei, & obligatio vestra, quomodo tam ferreum cor habere potestis, ut indigentis pauperum non moveamini ad misericordiam, si autem hæc pauperum miseria, quam videtis, vos non commovet, moveat ipse Christus, qui in suis pauperibus a vobis eleemosynam efflagitat.

## P A R S II.

*Licet pro eleemosyna non supplicet.*

**U**t porro elargitio eleemosynæ magis placeat Deo, eam dari oportet iis quoque, qui pro ea non supplicaverint, sic docuit nos in hodierno Evangelio Christus, qui esurientem & egentem populum pascebat, licet ab eo non esset rogatus, ut alimenta procuraret. Addiscendum proin nobis, ne expectemus, donec pauper & inops eleemosynam petat, sed proximi necessitatem, ubi fuerit cognita, illico sublevemus. Hujusce rei Symbolum habemus in balsamo, quod sponte sua, etsi non prematur, effluit, & odorem suum circumstantibus communicat, cum tamen alia aromata exprimi, vel igne coqui debeant, ut odorem effundant. Nonne balsamum veræ misericordiæ signum est? Adinstar balsami sit, nostra charitas in proximum, non sinamus nos premi importunis pauperum precibus, sed statim effluamus spontaneum liberalitatis odorem; cur enim homo homini non succurrat, licet non exoretur, cum Deus etiam non rogatus homini sua exhibeat beneficia; „Ecce! „ait S. Augustinus, veniet tibi pluvia, antequam roges, descendet ubertas nocte, dum stertis, dum adhuc in lecto es, ex præcepto „vigilat dies, excubant elementa, fructus te „nesciente effunduntur, sic accipimus, & tantas opes comedimus, antequam rogemus. „Et hoc, quod ipse Deus facit, fieri vult ab homine; præceperat quippe Deus Moyse, ut  
oleum



oleum aromaticum divino cultui dicatum conficeretur ex myrrha prima: *Sume tibi aromata primæ myrrhæ.* Exod. 30. v. 23. at cur primæ? Lyranus hunc in locum respondet: „ Myrrha est „ nomen arboris aromaticæ, & inde procedit „ duplex gutta, una per modum sudationis, „ & illa est prima, alia per incisionem corticis, „ & hæc vocatur myrrha secunda, myrrham „ primam vult Deus, vult eleemosynam, quæ „ sponte, non sollicitata datur, melior est myrr- „ ha eleemosynæ, quam sponte sudamus, „ quam quæ vi pauperum rogantium e corde „ nostro educitur. „ talem spontanæ libera- litatis myrrham desudabat Abraham; cum enim quondam ante portam tabernaculi sedisset, & tres vidisset viros peregrinos, statim eis obviam ibat, prostratusque ad pedes eorum rogabat, ut in ejus domo hospitio excipi paterentur: Abraham vero laute exceptos lotis eorum pedibus benigna manu cibabat, potabatque non exspectans, donec ad ipsum venirent, hospitii gratiam exoraturi, sed ipsorum preces præveniebat, nobis relinquens exemplum, ut eleemosynis etiam non rogati subveniamus pauperi, & egeno. Quid dicam de perfectissima Mariæ charitate in Cana Galilææ, certe ibi eximiam proximo exhibebat misericordiam rogans filium, ut de vino provideret: *Vinum non habent.* Joann. 2. v. 3. Quærunť hic S. Paginæ interpretes, an Maria a sponso, vel sponsa fuerit interpellata, ut filio suo defectum vini significaret, eumque ad operandum hoc miraculum permoveret?



respondet noster Sylveira: „Virgo non roga-  
 „ta loquitur pro convivantibus; „ nam ait  
 Lyranus: „Beatissima Virgo adeo fuit miseri-  
 „cors, ut non potuerit necessitatem videre,  
 „ & non succurrere. „ Quid loquar de insig-  
 ni S. Richardi Episcopi clementia! hic non  
 raro stipem elargitus est, etiam antequam ro-  
 garetur, & cum interrogaretur, cur pecu-  
 niam daret non petentibus? respondisse fer-  
 tur: caro fatis emitur, quod precibus obti-  
 netur. Gaudebunt ergo in iudicii die illi om-  
 nes, quibus nulla dies currebat sine linea mi-  
 sericordiæ, qui non rogati Gazophylacia,  
 templa, Xenodochia, ac domos pauperum  
 dotabant eleemosynis; his enim, qui ita li-  
 beraliter dant, dabitur vicissim æternæ glo-  
 riæ stipendium.

Sublevemus ergo miseriam proximi nostri  
 egentis, demus misero eleemosynam, ut &  
 nobis miseris Deus det suam benedictionem,  
 bonitate præveniamus proximum, licet elee-  
 mosynam non roget, adimpleamus Christi præ-  
 ceptum: *Estote ergo misericordes, sicut & Pa-  
 ter vester misericors est.* Luc. 6. v. 36. Qui  
 suam misericordiam nobis impendit, antequam  
 nati essemus. Si ergo hac ratione misERICOR-  
 des fuerimus, misericordiam consequemur in  
 die retributionis. Amen.



QUÆSTIO SACRA III.

Cur Christus expectaverit usque in tertium diem pro populo reficiendo?

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Expectavit Christus usque in tertium diem pro populo reficiendo, ut doceret, 1. verbum Dei, & alia divina mysteria esse percipienda a sobriis, & temperantibus, 2. non autem a temulentis, & intemperantibus.

T H E M A.

*Jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent.* Marc. 8. v. 2.

**M**agna sanæ erat aviditas audiendi verbum divinum in populo Israelitico, sequebatur hic Christum in desertum, per triduum versabatur cum eo: *Jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent.* Audiebat salutifera illius verba, hocque spirituali animæ cibo nempe verbo Dei refectus, omnis corporei cibi obliviscebatur: perbene quidem noverat Christus, populum hunc jam per triduum nullo alimento fuisse pastum: *Non habent, quod manducent.* Nonnisi tamen post triduanum jejunium hanc famelicam turbam reficere voluit septem panibus, & pisciculis paucis, quia ipse est, qui dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego refi-*

*reficiam vos.* Matth. II. v. 23. At pulsat animum quæstio, cur Christus expectaverit usque in tertium diem pro populo reficiendo? non incongruam responsionem puto, quod nonnisi evoluta triduo populum sibi fidelem refecerit, ut doceret, 1. verbum Dei, & alia divina Mysteria esse percipienda a sobriis, & temperantibus, 2. Non autem percipi a temulentis, & intemperantibus.

## P A R S I.

*Verbum Dei, aliaque divina mysteria sunt percipienda a sobriis, & temperantibus.*

*Sobrie, & juste, & pie vivamus in hoc sæculo,* Tit. 2. v. 12. ut sanctum Dei verbum, aliaque divina mysteria percipiamus; quemadmodum enim leviores naves mare velociori cursu trajiciunt, sic sobrietas & temperantia mentem reddit leviolem, aptioremque, ut hujus vitæ pelagus cursu magis expedito transmittat, atque uberiores divinorum mysteriorum divitias negotietur; quapropter probe notanda veniunt verba S. Thomæ, jejunium assumitur, ait Angelicus Doctor de jejunio, & abstinentia 2. 2. q. 147. ar. 1. in corp. *ad hoc, quod mens liberius elevantur ad sublimia contemplanda.* Nonne eximiis Dei amicis Moisi & Eliæ, qui quadraginta diebus jejunabant, temperantiæ studium maxima patefecit Dei mysteria? Equidem David plura perscrutabatur Dei arcana, ad quæ tamen se disponebat jejunio: *Jejunavit David jejunio.* 2. Reg.



12. v. 16. Quis replevit Danielelem omni sapientia cœlesti, de quo sacer textus ait: *Dedit Deus Danieli intelligentiam omnium visionum, & somniorum.* Dan. 1. v. 17. Ipsemet dicit: *Posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare, & deprecari in jejuniis.* Dan. 9. v. 3. Quis tam clara sapientiæ luce illustrabat pueros Babylonicos, de quibus dicitur: *Pueris his dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia?* Dan. 1. v. 17. Purpuratus Hugo id attribuit eorum abstinentiæ: nam omnia regalis mensæ fercula repudiabant. Quid Annam Prophetissam dignam reddidit, ut Christum videret? dignam effecit temperantia; de ea enim dicitur: *Jejuniis, & obsecrationibus serviens nocte, ac die.* Luc. 2. v. 37. Quis Joannem Baptistam fecit consortem mysteriorum divinorum, ut Spiritu sancto repleretur? fecit consortem temperantia illius; de eo enim legitur. Luc. 1. v. 13. *Vinum & siceram non bibit, & Spiritu sancto replebitur adhuc in utero Matris suæ.* Quid dicam de abstinentia, & sobrietate Apostolorum, in quos, ut opinatur S. Bernardinus, Spiritus sanctus in die Pentecostes se se effundebat, quando in jejunio, & abstinentia simul erant congregati. Nonne S. Petrus jejunio prius macerabat carnem suam, dum animo internum Dei verbum omni plenitudine susceperat: Scriptum est enim de eo: *Cum esuriret - - cecidit super eum mentis excessus, & vidit cælum apertum.* Act. 10. v. 10. & 11. Miramur equidem raras mentis illustrationes, qui-

quibus abundabat S. Macarius, sed miremur simul admirabilem ejus temperantiam; nam cum aliquando desideraret vesci uvis recentibus, illæque ipsi opportune submitterentur, gulam tamen vincens, easdem ad alium fratrem infirmum misit, hic ad alium, ipse iterum ad alterum, sic ad multos, donec tandem eædem uvæ ad Macarium redirent, qui ab iis rursus abstinuit. O Filii Dei, abstinentiam colite, si Dei mysteria, & scientias cœlestes capere desideratis, non sinite vos superari a filiis hujus sæculi, qui ut vanas duntaxat scientias addiscant, seque profanis studiis aptos reddant, a superfluis cibis abstinent, estote potius sobrii, ut ea, quæ Dei sunt, capiatis.

## P A R S II.

*Non autem percipiuntur a temulentis, & intemperantibus.*

**S**ed o infelices temulentos, & intemperantes! insipientes estis, vobis sapientia cœlestis, & divina mysteria non communicantur; quemadmodum enim avis pinquis nequit in altum pennas suas tollere, sic homo cibo, & potu nimis indulgens, & iisdem gravatus non elevabitur ad cognitionem mysteriorum Dei: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* 1. Cor. 2. v. 14. Hinc ait S. Chrysostomus serm. 34. de resurrect.: „nemo, „ qui vino inebriatur, divinorum esse cupidus „ eloquiorum potest. „ In eandem sententiam abit S. Hieronymus dist. 44. cap. fin.: „pru- „den-



„ dentiam prostrernit gula; fumositates enim  
 „ ciborum, & potuum ascendunt ad caput,  
 „ & obtenebrant intellectum, ut male discer-  
 „ nere possit verum. „ Hanc in rem confide-  
 rate, quantum obscuratus fuerit intellectus  
 Esavi, qui amplissimum primogenituræ jus  
 vendidit, quin hujus jacturæ damna cognos-  
 ceret, unde autem tanta intellectus obscuritas,  
 mentisque cœcitas? non ex alia radice pul-  
 lulabat, nisi ea intemperantia; ait enim de  
 illo sacer textus: *Comedit, & bibit, & abiit  
 parvi pendens, quod primogenita vendidisset,*  
 Gen. 25. v. 34. Meministis, ut arbitror,  
 quod Moises confregerit tabulas legis? Exod.  
 32. v. 19. Percipite etiam tantæ indigna-  
 tionis rationem: nimirum Moises quadragin-  
 ta diebus jejunos cum Domino loquebatur,  
 ast de monte descendens cernebat populum  
 manducantem, & bibentem, conspiciebat  
 idola a temulentis fabricata, aurumque con-  
 flatum in vitulum, atque ideo tabulas, in  
 quibus lex digito Dei scripta erat, confringe-  
 bat bene gnarus, sermonem Dei, ac divina  
 mysteria non posse percipi ab ebriis, gulæ-  
 que deditis hominibus. Hujus rei testis esse  
 potest Baltassar Rex, hic enim, utut appare-  
 ret ei manus ad parietem abscondita scribens  
 verba, & Daniel spiritu repletus interpreta-  
 tionem faceret, nullatenus tamen potuit ejus  
 vim, & occultum mysterium cognoscere;  
 quoniam in splendissimo, quod parabat, con-  
 vivio ex immoderata vini potatione incales-  
 cens sibimetipsi vix non omne intellectus sui  
 lumen



lumen extinguebat. Quid denique obfuscabat intellectum divitis evangelici, ne veritates Evangelii cognosceret? obfuscabat intemperantia: dixerat infelix ille: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comedere, bibe, epulare.* Luc. 12. v. 10. Proinde in consideratione horum haud amplius miror, quod mysterium crucis non capiant temulentis, utpote *quorum teste S. Paulo, finis interitus, quorum Deus venter est.* Philipp. 3. v. 19. O vos vini potatores, bestiales homines, qui ventrem escis immodice repletis, qui vestrum intellectum potu nimio hebetatis, & obscuratis, credite, non veniet ad vos sapientia coelestis, nec replebit Spiritus sanctus, quos jam replevit spiritus vini ac Bacchi.

Præceptum ergo apostolicum prompto audiamus animo, *Sobrii estote.* 1. Pet. 5. v. 8. Temperantiam sectemur, ut verbum Dei, aliaque divina mysteria, quæ a sobriis tantum percipiuntur, & nos percipiamus, intemperantiam vitemus, quia arcana secretorum Dei non capiuntur a temulentis, sobrii simus, ut & nos Christus reficiat temporali in terris, coelesti autem satietate in coelis. Amen.



## DOM. VII. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

*Quinam sint illi, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces?*

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, amici ficti,  
 1. nam fugiendi sunt ficti amici, 2. & quidem plus, quam manifesti inimici.

## T H E M A.

*Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth. 7. v. 15.*

**C**hristus, a quo omne donum venit, illud sane dedit optimum, dum suis Discipulis medullitus veram precabatur pacem, inquit: *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Joann. 14. v. 27. Hanc pacem accipite, o Discipuli, a pacis auctore; nam non dat vobis pacem, sicut mundus dat, cujus pax fallax est, & ficta; venit enim Salvator noster, ut tolleret impiam mundi pacem, & propterea dixit: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Matth. 10. v. 34. Id est, ut exponit S. Bonaventura, non veni dare

pacem terrenam, sed potius mundi pacem e mundo tollere volo, ideo Christus in hodierno evangelio inquit: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* At quinam sunt, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces? puto ego eos esse fictos amicos, 1. nam fugiendi sunt ficti amici, 2. & quidem plus, quam manifesti inimici.

## P A R S I.

*Fugiendi sunt ficti amici.*

**Q**uis fictos non declinet amicos, cum hi veniant ad nos ovem exterius mentientes, & intus lupum rapacem præferentes, osculantur sub simulato amicitiae affectu proximi dexteram, quam tamen non raro amputatam videre mallent, de quibus ait Jeremias Propheta: *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est, in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occulte ponit ei insidias.* Jerem. 9. v. 8. mel gerunt in ore, fel in corde, verba sunt lactis, fraus in factis. De his fictis amicis jam diu dixit David: *In corde, & corde locuti sunt.* Ps. 11. v. 3. quid est corde, & corde loqui? duplicata vox duplicitatem cordis significat, atque adeo corde, & corde loqui, est aliud corde sentire, & aliud lingua proferre, loquuntur hi verbis pacificis, sed in dolo; unde ab his sibi maxime cavebat David dicens: *Salvum me fac Domine,* Ps. 11. v. 2.  
hac



hac in re, si Patris exemplum secutus fuisset Filius Adonias, sibi que a falsis cavisset amicis, nunquam in tantam miseriarum abyssum devenisset, elevabatur in ultimis Davidis diebus Adonias dicens: *ego regnabo.* 3. Reg. 1. v. 5. proclamatus est Rex Israel, fecitque grande convivium fratribus, & amicis suis, qui egregie bibebant, & omnem spondebant fidelitatem Adoniae, attamen falsi erant amici; vix enim ex Davidis imperio Rex ungebatur filius Salomon, ac in regio Patris sui solio constituebatur, mox *surrexerunt omnes, & ivit unusquisque in viam suam.* v. 49. sicque Adonias a suis relictus, Rex esse desiit, horumque ficta amicitia manifestata est. Levemus oculos nostros in Christum, ut ab eo ad discamus fugere fictos amicos; quare enim putatis, quod Christus, qui ad tot injurias sibi illatas mutus erat, quereretur duntaxat contra osculum a Juda sibi datum? *Juda osculo filium hominis tradis.* Luc. 22. v. 48. certe non alia ex ratione, nisi quia ficta Judae amicitia amicum Christi cor vulnerabat immanissime, hinc in Judam his invehitur verbis S. Ambrosius: „Amoris pignore vulnus infligis, charitatis officio sanguinem fundis, „pacis instrumento mortem irrogas. „ Eandem ob rationem Christus, cum duceretur ad Annam, & Caipham, humillima voce ad quaestiones eorum respondit, Herodem tamen Regem nec verbo dignabatur, eoquod Herodes Christi hostis se simularet ejus amicum, ovemque mentiebatur, cum tamen intus esiet

lupus rapax; sapienter proin Sapiens dixit de his fictis amicis: *In labiis suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam.* Ecclesiastici 12. v. 15. imo ipse S. Paulus graviora inter pericula præcipue recenset fictos amicos, inquiens: *periculis in falsis fratribus.* 2. Cor. 11. v. 26. proin ficti amici vitandi sunt non aliter, ac scorpio, qui ore blanditur, & cauda interficit: „ Scorpion-  
 „ nes sunt, ait S. Gregorius in c. 2. Ezech.  
 „ qui blandi, & innoxii in facie videntur, sed  
 „ post dorsum portant, unde venenum fun-  
 „ dant. „ O quot hodiedum dantur amici  
 ficti, quot Judæ, quot Herodes, quot Pharisæi, qui lingua blandiuntur, corde tamen nocere meditantur, qui proximo suo omne auxilium spondent, quod tamen in die tribulationis non exhibent, promittunt cum Petro ad mortem usque ire, imo & pro nobis mori, sed in tempore tentationis a nobis recedunt, de quibus vere intelligitur illud Poætæ: donec eris felix, multos numerabis amicos, tempora si fuerint nubila, solus eris.

## P A R S II.

*Et quidem magis, quam manifesti inimici.*

**N**on solum fugiendi sunt ficti amici, sed & magis fugiendi sunt, quam manifesti inimici; quis enim non fugit a rapaci ore luporum, de quibus ait Aristoteles L. de natura animalium, quod lupi Africani sibilos pastorum fingant, ut oves ad se trahant, & ita



ita diripiant: & ecce! tales lupi rapaces sunt falsi amici, de quibus testatur ipsemet Christus in hodierno Evangelio, quod *interius sint lupi rapaces*, qui se pastores quidem simulant, sed se ipsos pascunt, & proximum ut lupi crudelem in modum devorant, & hi ficti amici utique magis fugiendi, quam manifesti inimici, qui faciliori negotio declinari possunt, ne noceant. Ejusmodi rapacem lupum considerate in Caino, qui se fratris Abelis amicum fingens occultus inimicus fuit, dum eum occidit crudeli manu, magis ei simulata sua crudelitate nocens, quam manifesta invidia obfuisse. Talem lupum immanem se exhibuit Joab, qui se osculum pacis Amasæ impertiri velle simulans eodem tempore in ejus viscera pugionem adegit, eumque necavit. 2. Reg. 20. v. 9. &c. *Salve mi frater, & tenuit manu dextra mentum Amasæ, quasi osculans eum, percussit eum in latere, & effudit intestina ejus in terram.* Vere amicus externus magis nocens, quam manifestus inimicus. O Sifara, quis te lupo occidit? nonne simulata fratris amicitia pejor, quam aperta hostis inimicitia; Sifara enim a facie triumphantis Barac fugiens in Jahelis tentorium receptus est, dixerat Jahel ad eum: *Intra ad me Domine mi, intra, ne timeas.* Jud. 4. v. 18. sed fuit hæc ementita Jahelis amicitia, quæ crudelem in modum dormientem Sifaram occidebat. etiam ferocem lupam spectate in blandiente Dalila, quæ amicitiam fingens Samsonem oculis, ac robore privavit, plusque ei nocuit, quam



150 *Dominica VII. post Pentecosten.*

omnes Philistæi manifesti Samsonis inimici. O quam rapax erat lupo sub ovina amicitiae pelle Judas perfidus Christi Discipulus, prædixerat Christus in coena Discipulis suis: *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde cæperunt singuli dicere, nunquid ego sum Domine?* Matth. 26. v. 21. &c. At Judas solus aliter dicit: *Nunquid ego sum Rabbi?* v. 26. Attendite diversam loquendi rationem, alii Discipuli Christum vocant Dominum, solus Judas non Dominum, sed Rabbi seu Magistrum appellat, & sic sub blanda Magistri voce venenum proditoris occultare voluit, quod postea in Christum effudit, majoremque Christo dolorem intulit, quam omnes ejusdem manifesti inimici. Quoties autem non pauci, qui fraudum ignari hostes suos filiorum loco habent, fratresque se invicem appellitant, pari fato cum Cæsare vulnerato exclamare coguntur: & tu Brute, fili mi, tu tyrannica manu me trucidas, tu quem optimum existimabam amicum, pessimus mei es inimicus, tu o christiane homo, qui toties in opipara mensa mea te amicum ad mortem usque fidelem spondidisti, *qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Ps. 54. v. 15. nocivum in corde latens infidelitatis venenum nunc evomis. Optime proin Antigonus licet ethnicus Diis sacrificans precabatur ab eis, ut illum a simulatis præservarent amicis, interrogantibus autem illum, cur hoc peteret? respondit: quia hostes, cum cognosco, caveo. O homo, vide, cui fidas; multos enim habebis ini-

inimicos, quos tu amicos reputas, iterum dico, vide cui fidas, solus tuus optimus amicus Christus est, verus amicus tuus angelus custos est, Maria optima tua amica est, omnesque Sancti fideles sunt amici tui, de cetero fuge mundi asseclas, ne te sub ementita amicitiae larva male perdant.

Attendamus ergo a falsis amicis, eosque fugiamus, & quidem magis, quam manifestos inimicos; nam hi veniunt ad nos in, ovini sictæ amicitiae vestimentis, sed interius furentium luporum animum fovent: igitur *in omnibus exhibeamus nosmetipsos . . . in charitate non ficta.* 2. Cor. 6. v. 4. & 7. *deponentes simulationes.* 1. Pet. 2. v. 1. *simus sicut modo geniti infantes.* v. 2. sic erit Christus amicus noster, & nos amici erimus Dei. Amen.

---

QUÆSTIO SACRA II.

*Quinam frustra dicunt Deo: Domine, Domine?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Frustra dicunt Deo: *Domine, Domine,* 1. qui voce confitentur Christum, factis negant. 2. qui bona desideria, & proposita non implent. 3. qui omnem suam devotionem habent in externis operibus.

## T H E M A.

*Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Matth. 7. v. 21.*

**D**urus est hic sermo Christi in hodierno Evangelio dicentis: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Utique idem Christus alio in loco dicebat: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Matth. 10. v. 32.* Quis ergo est hic sermo? & quod hic latet mysterium? utique haud frustra vociferabantur Apostoli in naufragio positi? *Domine, salva nos, perimus. Matth. 8. v. 25.* utique non sine sanitatis fructu clamabat leprosus? *Domine, si vis, potes me munda- re. Matth. 8. v. 2.* non minus quoque utiliter dicebat Centurio: *Domine! puer meus jacet in domo paralyticus. Matth. 8. v. 6.* pie etiam Thomas Apostolus Christum vocabat *Domini- num* inquires: *Domine meus, & Deus meus. Joann. 20. v. 28.* quinam ergo sunt illi, qui frustra dicunt Deo: *Domine, Domine?* opinor eos esse, 1. qui voce consistuntur Christum, factis autem negant, 2. qui bona desideria, & proposita non implent, 3. qui omnem suam devotionem collocant in externis operibus.

## P A R S I.

*Frustra dicunt Deo: Domine, Domine, qui voce consistuntur Christum, factis autem negant.*

**C**hristus potens in opere, & sermone. *Luc. 24. v. 19.* non solum verba, sed & christianæ pietatis facta requirit dicens: *Non omnis, qui dicit*



dicit mihi: *Domine, Domine, intrabit in regnum  
cælorum.* Hujus dicti rationem dabit Luc. 6.  
v. 46. *quid autem uocatis me: Domine, Domine,  
& non facitis, quæ dico?* Ita est, non verba  
tantum sed & opera bona exigit a nobis Chri-  
stus, cujus voce ficus in Evangelio, quæ non-  
nisi folia habuit, & fructum non attulit, exaruit:  
*Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, &  
aresacta est continuo ficulnea.* Matth. 21. v. 19.  
Nec desunt hodie, qui haud absimiles sunt  
fici huic, dum verbis spondent bonorum  
operum folia, atque oretenus Christum con-  
fitentur: *Domine, Domine,* sed fructum exer-  
citæ pietatis non producant, quid proin-  
mirum, si frustra dicant: *Domine, Domine?* &  
demum in tenebras ejiciantur exteriores, sicut  
ille sine veste nuptiali Matth. 22. in convivio  
comparsens, de quo ait S. Gregorius: „non  
„habens vestem nuptialem significat fideni  
„non habentem opera charitatis; „ seu quod  
idem est, voce confitentes Christum, factis  
autem negantes. Profecto tales timere pos-  
sunt, ne eis contingat aliquando, quod acci-  
dit fatuis Virginibus, hæ quidem clamabant  
ad sponsum: *Domine, Domine, aperi nobis.*  
Matth. 25. v. 12. sed frustra, janua jam erat  
clausa, nec ad cœlestes admittebantur nup-  
tias, quia in eis oleum boni operis defecerat;  
nil enim iuvat se christianum ore profiteri,  
nisi accedant etiam opera christiano digna,  
quæ Christus requirit. Interrogate desuper,  
si placet, magnum illum Bethlehemiticum  
Doctorem S. Hieronymum, hic, cum Jeroso-

lymis militaret Deo in jejuniis, vigiliis, & orationibus, interim tamen valde zidiceretur lectione librorum profanorum, Ciceronis, Platonis, raptus aliquando est in spiritu ad tribunal Christi, ubi interrogatus, quis esset? respondit, se esse Christianum, sed ille, qui præsidebat, aiebat: mentiris, Ciceronianus es, non Christianus; ubi enim thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum, ad quæ verba illico obmutuit Hieronymus, & diris flagellis est exceptus, adstantium tamen precibus obtinuit veniam adolescentiæ, & errori locum poenitentiae. Audite vos, qui plures horas orationi vocali impenditis, oratis ad Christum, sed Christiana opera non facitis, clamatis quidem: *Domine, Domine*, in vestra oratione (si vera oratio est, quæ millenis scatet distractio- nibus) sed per bona opera Deo placere non studetis, sic certe frustra dicitis: *Domine, Domine.*

## P A R S II.

*Qui bona desideria, & proposita non implent.*

**V**æ vobis, qui solum bona desideria fovetis, dicentes: *Domine, Domine*, ea autem ad effectum non deducitis, etiam vos ex numero illorum estis, qui frustra dicunt: *Domine, Domine*; ait enim Christus in hodierno Evangelio: *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. 7. v. 19. *væ vobis, spondetis quidem fructus honorum operum, sed eos non profertis, excidemini e terra viventium, & in ignem in-*  
fer-

fernalem mittemini. Sponsus coelestis non contentus est, ut floreat in sponsa desideriorum, & propositorum flores, vult insuper, ut maturescant bonorum operum fructus, ait namque: *videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* Cant. 7. v. 12. e classe illorum, qui optima fovebant desideria, & proposita, sed ea non adimplebant, erat Antiochus Rex, hic in angustiis positus pollicetur, *templum etiam sanctum, quod prius exspoliaverat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis praestaturum, super haec & Judaeum se futurum.* 2. Mach. 9. v. 16. sed solum erant proposita inania, quibus fructus seriae emendationis non respondebat, erat arbor autumnalis sine fructu bis mortua, & ideo a divina Nemese exscindebatur, & per miseram mortem mittebatur in ignem infernalem: merito proin dixit Mediolanensis Antistes S. Ambrosius: „ non omnes sunt, sicut Maria, „ ut dum de Spiritu sancto concipiunt, verbum pariant. „ nam multi concipiunt bona desideria, & proposita, dicentes: *Domine, Domine*, sed non pariunt bonorum operum foetus; quid ergo juvat semper proponere morum emendationem, & nunquam eam exequi? quid juvat futuros annos Deo promittere ducendos in sanctitate, & pietate, at praesentes transigere in bonis diebus, ac vanitatibus? timeo valde, ne tales verborum sponsores piarum actionum vacui in puncto ad infernum descendant.



## P A R S III.

*Qui omnem suam devotionem collocant in externis operibus.*

**D**emum etiam frustra dicentibus: *Domine, Domine*, accensendi veniunt, qui omnem suam devotionem reponunt in externis operibus, videntur mihi ejusmodi esse, quemadmodum calix nonnisi externe deauratus, intus plenus spurcitia; splendent enim tales auro existimatæ sanctitatis, intus autem foveat Babylonicum nequitiae venenum, & horum devotio nequiquam placet Deo, sicut ei Levit. 11. cygnus non placebat inter sacrificia sibi offerenda, ac proin inter alia immunda animalia erat reprobatus; quia candorem gerit in plumis, subtus, pellem, & carnem habet nigram, ac duram; Hi enim, qui omnem suam pietatem constituunt in externis operibus, simillimi sunt cygno, gerunt externum devotionis candorem in plumis externorum operum, at interius carnales sunt, non sapiunt, quæ sunt spiritus, nigredinem malitiæ habent. Ejusmodi cygnos jure meritissimo appellavero Pharisæos, qui totam suam sanctitatem in externis operibus venditabant, dicebant quidem *Domine, jejuno bis in sabba- to, decimas do omnium, quæ possideo.* Luc. 18. v. 12. at hypocritæ erant, totam devotionem exhibebant in externis operibus, intus autem erant lupi rapaces: *veniunt multi in vestimentis ovium,* Matth. 7. v. 15. habent ovina externæ devotionis vestimenta, simulant se oves per

per fictam virtutum speciem, ast oves revera non sunt, sed interius lupi rapaces, a quibus Christus cavendum monet: *attendite a falsis prophetis.* Matth. 7. v. 15. talem se quoque cygnum exhibebat Angelus Ecclesiæ Sardis, mentiebatur externum pietatis candorem, intus autem fuscum impietatis colorem retinebat, nullatenus sollicitus de interna sanctitate, quid proin mirum, quod Deus eidem per Joannem apocalypticum nuntiari mandaverit hæc horribilia verba: *scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* Apoc. 3. v. 1. utinam adhuc hodie non reperirentur multi huic Episcopo Sardis, & Pharisæis simillimi, qui omnem suam sanctitatem in externæ devotionis operibus reponunt, & de veramorum emendatione nullatenus curant, currunt quidem ad templa, ad publica devotionis exercitia, sed redeunt domum cum inveteratis nævis, prosequuntur eandem in proximum iram ac impatientiam, clamant quidem: *Domine, Domine,* sed opera, quæ vult Dominus, prorsus negligunt. His proin merito timendum, num in limine æternitatis constitutis cœlorum portæ sint aperiendæ.

Corde igitur contrito, & humillato dicamus Deo: *Domine, Domine,* confiteamur voce Domino, quoniam bonus, confiteamur autem & factis, quia frustra confitentur Domino, qui voce confitentur, factis autem negant: faciamus fructus dignos pœnitentiæ; frustra enim dicunt: *Domine, Domine,* qui  
bona

bona desideria non implent. Sit devotio nostra interna, & externa simul, adeoque plus abundet justitia nostra, quam Phariseorum; cum illis enim frustra clamant: *Domine*, qui omnem suam devotionem in solis externis operibus perperam collocant: impleamus potius opere voluntatem Patris, qui in caelis est, ut ejus Regnum nobis tandem adveniat in fine vitæ. Amen.



### QUÆSTIO SACRA III.

*Cur Deus a nobis requirat bona opera?*

#### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Requirit Deus a nobis bona opera, 1. ad gratiam Dei per ea conservandam, 2. & ad gloriam æternam per illa obtinendam.

#### T H E M A.

*Omnis arbor bona fructus bonos facit. Matth. 7. v. 17.*

**Q**uemadmodum exigit Paterfamilias census annum a Villico, sic & Dominus Dominantium Deus requirit a nobis census bonorum operum; constituit enim Deus omnipotens quemlibet hominem ut villicum domus suæ, scilicet animæ, dedit illi quinque talenta quinque sensuum, aliaque commisit bona administranda, exigit rationem villicationis nostræ, & licet bonorum nostrorum

non



non indigeat, bona tamen opera nostra tanquam censum in agnitionem supremi domini expetit: unde per similitudinem dixit: *omnis arbor bona fructus bonos facit.* Ast Deus optime & ditissime Domine, cur a paupere homine requiris bona opera? cur fructus ab arbore petis, qui fructibus non indiges? ad hoc respondendum censeo, quod Deus requirat a nobis bona opera, 1. ad gratiam Dei per ea conservandam, 2. & ad gloriam æternam per illa obtinendam.

P A R S I.

*Requiri Deus bona opera ad gratiam Dei per ea nobis conservandam.*

Sicut hortus, etsi in sua plantatione pulcherrimis floribus, & herbis sit consitus, vigili tamen labore, ac continua hortulani industria excolendus est, ne inutiles herbas, & zizania proferendo pristinum suum decorem deperdat: sic pariter loquendum censeo de spiritali hominis cultura, siquidem anima ejus hortus est? *sponsa hortus conclusus.* Cant. 4. v. 12. in quo pulcherrimi virtutum flores, & amœnissimæ gratiarum plantæ per Sacramentum baptismi excrevere; ut igitur hic gratiæ decor, mentisque pulchritudo conservetur, hortulanus, hominem intelligo, omnem laborem impendat necesse est, ut eradicet quotidianorum defectuum zizania, ac identidem bona implantet opera. Hæc ipsa veritas ad instructionem nostram aliis adhuc illustrari potest

potest similitudinibus: nonne ignis per ligna sæpius apposita conservandus est, queis deficientibus, & ignis deficiet? ecce! Dei charitas ignis consumens est, de quo Levit. 6. v. 12. *ignis in altari semper ardebit*, sed ne deficiat, percipite, quomodo sit conservandus, textus sacer sic loquitur: *quem nutriet Sacerdos subjiciendo ligna mane per singulos dies*; addenda igitur sunt bona opera velut totidem ligna, ut ignis gratiæ, & charitatis in altari cordis nostri jugiter ardeat; hinc probe observat Josephus, quod Judæi instituerint festivitatem Xylophoriam, id est, lignorum comportationem pro igne sacro perpetuo fovendo, in signum, quod Deus exigit a nobis comportare bonorum operum ligna ad conservationem ignis charitatis, & gratiæ. Nonne lumen in lampade extinguitur, si oleum deficit? quid aliud gratia est, nisi lumen a supremo Deo accensum in cordis humani lampade? quid aliud sunt bona opera nostra, nisi oleum, si ergo oleum bonorum operum subtrahatur, hoc supernaturale gratiæ lumen extinguetur, nec diu conservabitur. Sane Sponsa in canticis, ut hoc spirituale gratiæ lumen semper foveret, oleum bonorum operum jugiter affundebat, exclamans: *fulcite me floribus, stipate me malis*. Cant. 2. v. 5. quid aliud flores denotant, si S. Bernardum consulo, nisi fidem? quid aliud poma, nisi bona opera? sollicita proin erat sponsa, ut continuo florent flores fidei, nec his contenta, insuper expetebat poma bonorum operum, ut gratiam

tiam conservaret; fides enim sine operibus mortua est, hinc etiam Eunuchus ille, de quo in actis Apostolorum, non solum credebatur in Christum, sed & Christi mandata observare voluit, dicebat quidem: *Credo Filium Dei esse Jesum Christum.* Act. 8. v. 37. sed simul ibat *per viam suam gaudens.* v. 39. Id est, ut vult noster Sylveira, non modo credebatur, sed & operabatur, probe gnarus, quod fides, & gratia Dei, per bona opera essent conservandæ; quid igitur mirum, quod multi hodie gratiam in Sacramento poenitentiae recipiant, cras autem receptam denuo amittant; tales enim bona opera, quæ in sacro tribunali sancte promiserunt, exercere rursus negligunt, ac proin se dignos reddunt, ut gratiae habitualis thesauro iterum priventur, in priora, quæ detestati sunt, peccata gravia relabentes.

P A R S II.

*Et ad Gloriam æternam per illa nobis  
obtinendam.*

**E**apropter o Christiane, si vis beatus esse, instanter operare bona opera, quæ tibi oppido sunt necessaria ad promerendam beatitudinem æternam; hanc enim Deo justissimo placuit non sub alio, nisi coronæ titulo promittere, Apostolo dicente: *non coronatur, nisi legitime certaverit.* 2. Tim. 2. v. 5. Quis autem ignorat, ad coronam obtinendam certamina, & labores requiri, „delectat mentem,  
*P. Friderici a Jesu P. Dom. Tom. II. L „tem,*



„ tem, ait Gregorius homil. 37. in Evang:  
 „ magnitudo præmiorum, sed non deterreat  
 „ certamen laborum.,, Scito, o Christiane  
 homo, gloriam æternam esse coronam justi-  
 tiæ, ut loquitur S. Paulus: *Reposita est mihi  
 corona justitiæ.* 2. Tim. 4. v. 8. Quis autem  
 dubitet, quin justitia, quam Deus æterna  
 beatitudine remuneratur, includat pia opera?  
 non enim dat cœlestis Paterfamilias denarium  
 sempiternæ gloriæ, nisi illi, qui per totum  
 vitæ cursum tulit pondus diei & æstus, & in  
 vinea strenue labori institit. hanc veritatem,  
 ut magis capias, paulisper perpende, quan-  
 tos sudores, & labores debuerint sustinere  
 Israelitæ, populus a Deo electus, ut terram  
 promissionis, seu promissam a Deo mercedem  
 assequerentur: inde vero concludas velim,  
 quid te facere oporteat. Nam tendimus qui-  
 dem omnes ad terram promissionis cœlestis  
 gloriæ, sed quis felicem hanc patriam ingre-  
 di speret sine labore bonorum operum? labor  
 gloriam præcedat necesse est; quapropter apud  
 Hebræos, ut celebraretur sabbatum, præce-  
 dere debebat parasceve, id est, præparatio  
 ciborum pro sequenti sabbato: quid aliud est  
 æterna gloria, nisi sabbatum, dies requietio-  
 nis, requies sempiterna? ut ergo hoc sabbatum  
 cœleste consequamur, in hac vita præcedat pa-  
 rasceve, id est, præparatio bonorum operum.  
 Nonne Benjamin, id est, filius dextræ, prius  
 erat Bennoni, id est, filius doloris? nonne  
 Jerusalem prius Jebbus, id est, conculcatio,  
 quam salem seu pax? Igitur, qui vult esse in  
 coelis

coelis Benjamin filius dextræ, sedens ad dextram Dei Patris omnipotentis; sit in hac vita filius Bennoni, filius doloris, per multam patientiam bona opera colligat ad gloriam obtinendam, qui vult ingredi coelestem Jerusalem, inque ea perpetua pace frui, non detrectet in hac vita conculcari, toleret omnes adversitates, ut merita, & gloriam per bona opera augeat; omnibus enim coelum desiderantibus dicitur, quod Christus dixit Joanni, & Jacobo: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Matth. 20. v. 22. Multa bona opera requirit Deus, ut sessio ad dextram Patris coelestis in gloria obtineatur. Quanta ergo insania illorum, qui cupiunt salutem consequi, sed media salutis, quæ sunt bona opera, amplecti renuunt, qui bene operari de die in diem differunt, & sic negligunt dies salutis, tempus acceptabile, de quibus merito dubitari potest, an erit eis tempus amplius.

Itaque, *dum tempus habemus, operemur bonum*, Gal. 6. v. 10. Faciamus bona opera, ut per ea gratiam Dei conservemus, & gloriam æternam obtineamus, simus arbor bona, optimas bonorum operum fructus progerminans, ut Deus nos tandem transplantet in paradysum coelestis gloriæ. Amen.





DOM. VIII. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quid velit nos Christus edocere per Evangelici villici parabolam?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Per Evangelici villici parabolam vult nos Christus edocere extremi iudicii severitatem, quia dies extremi iudicii erit 1. dies tremenda, 2. dies iræ, calamitatis, & miseriæ.

T H E M A.

*Homo erat dives, qui habebat villicum.* Luc. 16. v. 1.

**Æ**terna veritas, quæ nec falli, nec fallere potest, infallibiles fidei veritates nobis per parabolas proposuit, *sine parabola autem non loquebatur eis.* Marc. 4. v. 34. idque in eum finem, ut sic suaviori modo veritas corda nostra penetraret: rursus in hodierno Evangelio Christus Dominus hanc proponit parabolam: *homo quidam erat dives, qui habebat villicum.* Neutiquam me a trito veritatis tramite aberrasse opinor, si per hominem illum divitem intellexero Christum pro nobis hominem factum, qui *dives in omnes, qui invocant illum,* Rom. 10. v. 12. Villici nomine denotandus



duſ venit homo, cui plura talenta bene ad-  
ministranda commiſit Dominus: inde vero in-  
ferri poteſt, quod Chriſtus dives ille Domi-  
nus hominem per hanc parabolam edoceat  
veritatem Chriſtianam, ſed quam illam? ſe-  
veritatem extremi judicii, quia dies extremi  
judicii erit 1. dies tremenda, 2. dies iræ,  
calamitatis, & miſeriæ.

P A R S I.

*Dies extremi judicii erit dies tremenda.*

Quantus tremor eſt futurus, quando Jdex  
divinus eſt venturus! exclamat Prophe-  
ta Amos c. 3. v. 8. *Leo rugiet, quis non ti-  
mebit?* quis non pavebit in die illa tremenda,  
quando veniet Leo de tribu Juda Chriſtus Ju-  
dex in extremo judicio judicare vivos, &  
mortuos? ſi reus dum coram iudice profano  
comparere debet, tremore totus quantus  
concutitur, quam longe major autem erit ter-  
ror, ſi venerit dies amara valde, in qua exe-  
cutioni mandabitur ſententia feralis, & ulti-  
ma. quid dicam de tremore horribili, quo  
quaffabitur peccator, quando comparere co-  
getur ante ſeveriſſimum æterni Judicis tribu-  
nal, rationem villicationis ſuæ redditurus? &  
quis non pavebit, cum & ipſi ſancti ſola ex-  
tremi judicii recordatione vehementiſſime per-  
terrefacti ſint? nonne David erat vir ſanctus,  
& ſecundum cor Dei, & tamen timore plenus  
ait: *a judiciis tuis timui.* Pf. 118. v. 120. &  
*non intres in iudicium cum ſervo tuo.* Pf. 142. v. 2.

quis sanctior Paulo Apostolo, qui vas electionis vocabatur? sed timebat diem tremendum iudicii inquiring: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui autem iudicat me, Dominus est.* 1. Cor. 4. v. 4. & Heb. 10. v. 31. *horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Quis innocentior Joanne Evangelista, qui ob suam mentis puritatem puer vocatus est: ecce puer meus electus, noli timere? & tamen postquam in spiritu duntaxat Judicem divinum, & ancipitem gladium de ore ejus egredientem conspexisset, dixit: *Cecidi ad pedes ejus, tanquam mortuus.* Apoc. 1. v. 17. nonne sanctitas S. Chrysostomi ubique percrebuit? & tamen considerans extremi iudicii diem toto corpore contremuit, & ait: cum mihi dies iudicii in mentem venit, horror invadit terribilis, & amarissime flens ex profundo cordis ingemisco. Percipite, quid dixerit S. Gregorius Magnus, qui iudicii diem recogitans ita se allocutus est: o Gregori, in illa die apparebit Petrus cum Judæis, quos convertit, Paulus cum gentibus, Andreas cum Achaia, Thomas cum India, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum vacui redimus? ut autem veritas hæc firmiter mentibus vestris inhæreat, historias ad animum revocate; nam Palladius narrat de Abbate Elia, quod 70. annis in horrida specu habitaverit, vix pane, & olivis pastus, sæpius per hebdomadam jejunos, & attigerit 110. annos, hic ab aliis visitatus solebat eis dicere: tria sunt, quæ timeo, primum est animæ e corpore disces-

discessio, secundum inevitabilis necessitas comparendi coram Deo, tertium sententia Judicis, o si Sancti timent hanc judicii diem, cui non sit tremenda dies? quid de sancto nostro Hilarione, qui extremi judicii terrore territus se ipsum erigere studebat: *egredere, quid times, egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta prope annis servisti Christo, & mortem times?* quid de S. Hieronymo, de quo S. M. N. Theresia c. 9. mans. 6. ait., qui esto, tam sanctus, esset, nunquam diem hanc de memoria deponit? Quid loquar de S. Huberto Antistite Leodiensi, qui magnæ perfectionis vir sæpius dicebat: heu angor, jam in via est Judex, jam vociferantem audio; redde rationem villicationis tuæ. Quid memorabo de S. Ceada Angliæ Episcopo, qui licet sancte vixisset, ita timuit tempestates, & fulmina, ut etiam vento vehementiori orto, & prodromo tonitruum in terram se prosternens fugerit in Ecclesiam, prostratus coram sanctissimo manserit, donec tempestas cessasset, interrogatus autem, cur ita timeret? respondit: ex his velut præludiis ideam capio illius diei, in qua sol & luna commovebuntur, mundus comburetur, & fulmina erunt feralis sententiæ prænuntia. o certe tremenda judicii dies! o peccator, qui sine timore peccas, qui ad excusandas excusationes in peccatis audacter dicis: homo fragilis sum, Deus misericors est, sed recordare, idem simul erit justus Judex, qui strictissimam exiget rationem villicationis tuæ.



## P A R S II.

*Dies iræ, calamitatis, & miseræ.*

**Q**uis extremam Judicii diem non vocitet tremendam, cum sit dies iræ, calamitatis, & miseræ? dicit de ea S. Matthæus: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* Matth. 24. v. 21. Equidem tempore diluvii magna fuit tribulatio hominum, calamitas, & miseria, major autem erit, & maxima in die judicii, qualis non fuit ab initio mundi usque modo; quis igitur non paveat, & omnibus artibus totus contremiscat, si recogitet hunc extremi judicii diem, quem Propheta Ezechiel vocat diem Domini, diem furoris: *Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini.* Ezech. 7. v. 19. Dies furoris, in quo Deus impios castigabit virga ferrea: *Reges eos in virga ferrea.* Ps. 2. v. 9. Ferrea, inquit facer textus, & non lignea, hæc enim facile flectitur, si in apice quid grave appendas, & tales quandoque sunt virgæ Judicum humanorum, quæ facile se flectunt, si in apice marsupium auro grave affigatur, sed non ita erit virga divini Judicis in die judicii, erit dies calamitatis, furoris, erit virga ferrea, quæ non flectetur, sed extremo supplicio reprobos percutiet; o igitur diem miseræ, diem furoris Domini, diem, in quo abscondita tenebrarum, & omnis hominum malitia detegentur. Ecce! dum mare tranquillum est, re-  
creat

creat aspectum intuentium, & quasi speculum, ac instar cristallini coeli apparet, licet in ejus fundo putridæ sordes, & cadavera detineantur sepulta: ast furentibus ventis, & insurgente turbine fluctus mutuo furore inter se collisi aquas totius pelagi commovent, atque ad litus in terram ejiciunt, quidquid in fundo antea detinebatur; similem in modum, quamdiu in mundo sumus, mare nobis tranquillum videtur, cadavera peccatorum nostrorum abscondita in profundo cordis nostri multo tempore antea delitescunt, ab omnibus tanquam justî reputamur, sed insurget tempestas magna, adveniet judicii dies, dies iræ, calamitatis, & miseriæ, in quo abscondita cordium nostrorum manifestabuntur, & patebit, quidquid in conscientiæ fundo, ac intimo recessu prius latebat, & quorsum te tunc vertes o miser, quid justissimo Judici tunc es dicturus, quem Patronum rogaturus, cum vix justus sit securus? videte, quantum ipsi etiam dæmones horreant diem hanc calamitatis, & miseriæ; cum enim eos Christus e corporibus hominum ejiceret, clamabant: *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Matth. 8. v. 29. Quæerunt interpretes, quare maligni hi dicant: *ante tempus*, an forte antea non torquebantur? omnino graviter cruciabantur, sed omnia inferni tormenta videbantur illis veluti refrigerium, si comparentur cum illa pœna, quam sustinere cogentur in die judicii, quando coram universo orbe æternæ suæ damnationis sententia promulgabitur: id optime agnovit Jobus,

qui licet esset sanctissimus, in consideratione tamen eorum, quæ extremi iudicii diem comitabuntur, elegit potius esse in inferno, quam comparere coram Iudice severo: *Quis mihi in-  
quiebat ille, hoc tribuat, ut in inferno protegas  
me, & abscondas me, donec pertransseat furor  
tuus?* Job. 14. v. 13. „Tunc siquidem teste S. An-  
„selmo, a dextris peccata nostra erunt accu-  
„santia, a sinistris infinita dæmonia, subtus  
„horrendum chaos inferni, desuper iudex  
„iratus, foris mundus ardens, intus conscien-  
tia urens. „ O homo, qui omnibus artibus  
totus contremiscis, si apparitor te reum sistit  
coram Iudice homine, qui falli potest, quo-  
modo trepidabis, si siseris coram Iudice Deo,  
qui falli nequit? prius itaque iudicium pœni-  
tentiaæ sponte subi, ut absolvaris, ne in iudi-  
cio extremo iudiceris, & condemneris ad pœ-  
nam æternam.

Tu vero iustissime Iudex, libera nos de morte æterna in die illa temenda, libera nos; dies enim illa, dies iræ, calamitatis, & miseriae, dies magna, & amara valde, nobis siquidem nunc fixum ratumque est, quod exinceps futuri simus fideles villici non iniquitatis, sed pietatis, in tempore opportuno & accepto præveniemus virgam tuam ferream per bona opera, ac meritoria, ut secure tibi aliquando possimus dare rationem villicationis nostræ, & digni efficiamur illud percipere, quod Matth. 25. v. 3. promisisti: *Euge serve bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui. Amen.*



---

 QUÆSTIO SACRA II.

*Quidnam colligere possimus ex hac parabola, in qua Dominus villicum compulit ad reddendam rationem villicationis suæ?*

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Ex hac parabola colligere possumus, in die iudicii rationem reddendam esse, 1. divino Judici justo, ac severo, 2. ab homine reo,

## T H E M A.

*Redde rationem villicationis tuæ. Luc, 16, v. 2.*

**F**eralem scenam aperit nobis hodiernum Evangelium, erigitur instituendi iudicii Thronus, advenit Judex, sistitur Judici villicus iniquitatis, accusatur miser hic homo, *difamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.* Luc, 16, v. 2, exigitur ratio a reo reddenda: *Redde rationem villicationis tuæ.* Singula hic notate verba, sed Evangelicæ veritatis pariter signate mysteria, quæ vobis sequenti quæstione pandentur: Igitur quæri potest, quidnam colligere possimus ex hac parabola, in qua Dominus villicum compulit ad reddendam rationem villicationis suæ? veritatem attigisse spero dicens: quod ex hac parabola colligere possimus in die iudicii rationem reddendam esse.

esse, 1. divino iudici justo, ac severo, 2. ab homine reo.

## P A R S I.

*In die iudicii reddenda est ratio divino Iudici justo, ac severo.*

Quia jacula prævisa minus ferire solent, Deus severitatem, ac iustitiam divini sui iudicii certo futuri per os Ezechiae prædicere voluit, inquit: *Ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam.* Ezech. 21. v. 17. Quibus verbis id sane nobis innuitur, quod Deus tunc in die iudicii utraque manu punire intendat, ut severus, ac justus iudex: equidem talis sæpe fuit, terribilia peccatoribus infligens supplicia, neutiquam tamen secundum omnem rigorem iustitiæ processit, sed ad puniendum aliquos duntaxat digitos adhibere videbatur. Grave erat excidium Babylonis, & Regis Baltassaris, verumtamen tantum *apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis.* Dan. 5. v. 5. graves & horribiles poenas sustinere habuit Rex Pharaon ob duritiem cordis sui, sed modica adhuc erant ista, digito Dei solum punitus est Pharaon: *Digitus Dei est hic.* Exod. 8. v. 19. ast in die iudicii rugiet furor Domini, & utraque manu puniet justus ac severus Iudex: *Ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam.* O formidabilem divini iudicii severitatem! ubi misericordiae locus non erit amplius, sicut erat in terra viventibus; propterea  
rea

rea enim dicitur. Matth. 9. v. 6. *Filius hominis habet potestatem in terra*, non autem in iudicio extremo, *dimittendi peccata*. Audiamus super hunc textum S. Thomam, qualiter se in sua catena aurea explicat, dicit Angelicus Doctor: „ Vide quod in terra dimittit peccata, dum enim sumus in terra, peccata nostra delere possumus, postquam vero a terra tollimur, non valebimus confiteri; clauditur enim janua, hinc dicit Christus, in terra se remittere peccata, non quod in coelo non habeat potestatem dimittendi peccata, sed solum, quod extra terram non exerceat. „ Hinc usque ad diem iudicii non est horrendum incidere in manus Domini, quia iudicat ut Pater misericordiarum, sed in die iudicii horrendum est, incidere in manus Dei, quando sicut Deus ultionum etiam iustitias iudicabit; siquidem tam severa, & exacta ibidem exigetur ratio a divino Iudice, tunc certe in hoc iudicii die unus assumetur, alter relinquetur; quis ergo non paveat reddere rationem villicationis Iudici tam iusto tamque severo? quis non timeat? si S. Arsenius metuit iustum, ac severum Iudicem, qui tamen annorum centum & viginti post vitam in omni pietate transactam morti proximus flere cepit, atque interrogatus, nunc & ipse Iudicem timeret, respondit: in veritate timeo, & iste timor, qui num mecum est, semper in me fuit, ex quo factus sum Monachus. Huc etiam facit, quod narratur de duobus fratribus religiosi, hi sobrie, iuste, ac pie ven-



174 *Dominica VIII. post Pentecosten.*

ventes in hoc sæculo multum se mutuo dilexerant, tandem ex eis unus moritur, & alteri apparuit in oratione procumbenti, quem vivus videns in vili habitu, & vultu mæsto, quæsit, cur sic appareret? respondit defunctus alta voce tribus vicibus: nemo credit, nemo credit, nemo credit: quæsit vivus, quid esset, quod nemo credit? respondit: quam stricte judicet Deus, & quam severe puniat: sic disparuit, & reliquit vivum in timore Judicis justī, ac severi. Si homines sæpius in mentem revocarent justitiam Judicis severi Dei, non ita libere peccarent; unde enim tanta peccandi audacia, nisi quia peccatores Deum Judicem non cogitant peccata puniturum, vel de bonitate Dei nimis præsumunt. ah David ait: *Time Domini omnes sancti ejus.* Ps. 33. v. 10. Timeamus cum S. Arsenio venturum Judicem, ut in eo misericordem inveniamus Patrem.

PARS II.

*Ab homine reo.*

**O** quantus tremor est futurus, quando Judex est venturus, cuncta stricte discussurus, & strictissimam exacturus rationem villicationis ab homine reo, & peccatore! sane hujus judicii extremi timorem; jam in ipsa mundi creatione creator omnium homini incutere volebat, nam quando in principio creavit Deus caelum, & terram, terra erat inanis, & vacua, Gen. 1. v. 1. & 2. quia tenebræ erant  
super

*super faciem abyssi*, v. 2. ut ergo universus illuminaretur orbis, creavit Deus lucem, & statim *divisit lucem a tenebris*. Gen. 1. v. 4. per quam divisionem intelligit S. Augustinus cum aliis sanctis Patribus divisionem factam inter angelos, bonos ad patriam cœlestem, & malos ad gehennam. At magne Deus! cur in primo mundi die, in quo gloriam virtutis tuæ demonstrabas, lugubre iudicium inter angelos instituisti? respondet S. Rupertus, ut jam tunc repræsentaretur illud strictum examen in iudicio extremo faciendum, quod subeundum est tunc ab homine reo; hoc enim medium erat, rebellem alias hominem in virtutis bono continendi, & a peccati malo avertendi. Aliam adhuc proferamus hujus veritatis figuram: Naaman lepra infectus venit supplex ad Elisæum, ut eum a lepra curaret, cui Propheta hoc præscribebat remedium: *vade, & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis*. 4. Reg. 5. v. 10. hoc etiam remedio usus Naaman sanatus est. Cur præscribit vir sanctus aquas Jordanis? cur septies? *Jordanis*, ut volunt sancti Patres, idem sonat, ac fluvius iudicii, *septies* hic numerus septem dies in septimana significat, *lepra* peccatum denotat; ut quis ergo a peccati lepra mundetur, se septies, id est, in qualibet hebdomadæ die, lavare debet in Jordane, seu recogitet diem iudicii, in quo severissima ratio villicationis erit reddenda ab homine reo. Hoc idem salubre medium adhibuit Isaias, ut populum ad probitatem induceret: præcipiebat

176 *Dominica VIII. post Pentecosten.*

piebat ei Deus: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Isa. 58. v. 1. Cur in tuba? tuba nos admonet extremi iudicii; nam Deus *mittet angelos suos cum tuba.* Matth. 24. v. 31. & *omnes resurgemus . . . in novissima tuba.* I. Cor. 15. v. 52. tuba hæc, id est, extremi iudicii memoria jugiter insonet auribus nostris, & serio cogitemus, quod sit vocatura ad rationem villicationis in die iudicii reddendam ab homine reo, & peccatore. Elucidemus magis rem historiis: S. Vincentius Ferrerius narrat de Juvene quodam, qui, quantum pulcher aspectu, tantum moribus erat turpis, nocte quadam vocatus fuit ad tribunal Dei ad reddendam rationem villicationis suæ: in somniis sistitur Judici divino, & reus inventus ita contremuit, ut mane omnes ejus capilli cani apparerent: si hic juvenis ob repræsentationem iudicii in somno duntaxat factam præterrore incanuit, quid erit peccatori reo, cum advenerit vera illa iudicii dies? ad confirmationem omnium percipite historiam, quæ contigit anno reparatæ salutis 985. vixerat Magdeburgi in Saxonia Udo Archiepiscopus, luxuriæ cœno totus immerfus, & scelerum turpitudine ubique famosus, hic utut sæpius ad seriam pœnitentiam admoneretur, in dies nihilominus magis magisque criminibus infordescere non erubuit, tandem Canonicus quidam Magdeburgensis Fridericus nomine, in Ecclesia S. Mauritii orabat, ut Deus in universalis, maxime tamen suæ Ecclesiæ Metropolitanæ emolumentum publica Udonis scanda




dala e medio tolleret, ipsumque Episcopum ad saniora reduceret. Cum sic nocte oraret, hanc habuit visionem: postquam ventus validus omnes Ecclesiæ lampades simul extinxisset, vidit venire duos Juvenes, qui duos cereos gestabant, & ad altare procedentes hinc inde ad cornua altaris adstabant postea, ingressi sunt alii duo, quorum unus tapetes ante summam aram decenter sternebat, alter vero duo aurea sedilia desuper collocabat, demum veniebat quidam vir, solus & unus, qui evaginatam tenens gladium, & stans in medio ecclesiæ valide clamabat: omnes Sancti, quorum hic habentur reliquiæ, surgite, & venite ad iudicium Dei: his dictis comparuit maxima, & fulgens multitudo utriusque sexus, alii ornati erant militari habitu, alii pontificalibus infulis, hi omnes ingrediebantur chorum, & secundum ordinem meritorum se collocabant. Tunc secuti sunt duodecim Apostoli, in quorum medio Jesus: postremo apparuit Mauritius Udonem de variis accusans criminibus: Judex asportari iussit Udonem, præsentemque condemnavit, ut reus capite plecteretur, quem ille, qui vocavit ad hoc iudicium mortuos, decollabat, & sic tota congregatio disparuit. Fridericus hæc videns, lumen in crypta invenit, & omnes ecclesiæ lampades reaccendit, ac reassumpta pia audacia ad locum iudicii accedit, ibique invenit caput Udonis a corpore abscissum, & longius projectum, ac pavimentum sanguine madefactum. Mane Clericos convocabat, Udonis truncum omnibus

*P. Friderici a Jesu P. Dom. Tom. II.*      M    osten-

178 Dominica VIII. post Pentecosten.

ostendens narrabat omnia, simulque docebat, quam strictus sit divinus Judex in hominem reum peccatorem. O quantum in die iudicii trepidabis, peccator, quando omnes tui doli, technæ, imo peccata omnia, etiam occulta, & incognita universo mundo manifestabuntur, cessa jam a ludo, ne experiaris, quod expertus est Udo.

Cum itaque in die iudicii tam districta reddenda sit ratio Judici divino, justo, ac severo ab homine reo, accedamus nunc ad eundem, qui modo Pater misericordiarum est, reddamus ei rationem villicationis nostræ in sacramento pœnitentiæ, detestemur defectus nostros, contrito corde dicentes: *dimitte nobis debita nostra.* Matth. 6. v. 12. & dimittet nobis misericors, & miserator Dominus. Amen.



QUÆSTIO SACRA III.

*Quare filii hujus sæculi prudentiores sunt  
Filiis lucis?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Filii hujus sæculi prudentiores sunt filii lucis in generatione sua; 1. quia filii hujus sæculi magis cutant terrestria, 2. quam filii lucis coelestia.

## T H E M A.

*Filii hujus saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Luc. 16. v. 8.

**S**i librum vitae S. Scripturam accuratiori lectione perlustrarem, & ea, quae in illo de prudentia scripta sunt, magis attente investigem, duplicem ibidem prudentiam invenio: una vocatur prudentia carnis, quae carnalia quaerit, altera prudentia spiritus, quae quaerit, quae sursum sunt, non quae super terram. de prima dicit Apostolus Rom. 8. v. 6. *prudentia carnis mors est*, & I. Cor. 1. v. 19. *prudentiam prudentium reprobabo.* De altera ita loquitur S. Paulus: *prudentia autem spiritus vita, & pax.* Rom. 8. v. 6. & de ea scriptum est Prov. 4. v. 1. *Attendite, ut sciatis prudentiam:* prudentiam carnis quaerunt imprudentes filii hujus saeculi, prudentiam spiritus ambiunt prudentes filii lucis, seu Dei, de filiis hujus saeculi hodiernum dicit Evangelium *Filii hujus saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Hocce igitur Evangelii effatum admirans juste inquirō, cur filii hujus saeculi prudentiores sunt filiis lucis? totum Evangelii contextum legenti tollitur omnino dubium, dum additas invenio has voces: *in generatione sua*, id est, Filii hujus saeculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua, 1. quia filii hujus saeculi magis curant terrestria, 2. quam filii lucis coelestia.



## P A R S I.

*Filii hujus sæculi magis curant terrestria.*

**P**roh infelicem generationem, per quam filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis. Optimo sane jure illos assimilavero noctuis, quæ quidem oculatiores sunt homine, sed nonnisi in nocte: sunt certe & filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis, sed in nocte, in suis terrenis, & carnalibus negotiis, quæ utpote terrestria magis curant, quam isti cœlestia. Hinc non injustus rerum arbiter fuero, si filios hujus sæculi etiam appellavero feles, qui quidem acutius vident homine, sed solum ad capiendos mures, certe magis acuta oculorum acie vident filii hujus sæculi, sed ad instar felium, duntaxat capiunt exiguos voluptatum carnalium, & cupediarum mures. Quid enim? ipsimet spectate avarum, quantam in opibus congerendis, & divitiis colligendis operam impendat, nonne die, noctuque apertis oculis vigilat, idque in eum finem, ut studiosius, & securius bona terrena aut augere, aut custodire queat, hic certe iisdem plus inhæret, quam filii lucis ipsi Deo, cui tamen adhærere bonum est, nonne avarus magis meditatur sua lucra cessantia, & damna emergentia, quam filius lucis meditatur in lege Domini, ad cujus tamen meditationem die, ac nocte faciendam vocatus est. Considerate insuper Mathematicos, Philosophos, aliosque scientiarum amatores, quomodo integras noctes ducant insomnes, ut majorem profanæ scien-

scientiæ notitiam acquirant. Quis filius lucis tantum temporis impendit ad addiscendam Dei sapientiam! nonne uxores Regis Assueri prius integro anno sese pretiosissimis unquentis, ac pulcherrimis vestibus adornabant, ut semel in conspectu Regis comparerent, quis ita prudens est ex filiis lucis, ut animam suam virtutibus tam sedulo exornet, ac cœlestia ita curet, sicut filii hujus sæculi terrestria? Aspici- te Judam, quanta cum solertia vigilet, ut Judæis Christum Magistrum suum traderet. nonne magis vigilabat pro turpissimo tempo- rali lucro, quam omnes alii Discipuli vigila- bant in oratione, vel defensione sui Magistri? ecce! quantum curet Judas filius hujus sæculi terrestria, cum tamen de Discipulis suis Chri- stus in agonia positus queratur, præsertim de Petro: *Non potuisti una hora vigilare?* Marc. 14. v. 37. Placet proin æterna memoria dignum eloquium Thomæ Mori, qui dicere solebat: quam plurimi in hac vita eo labore infernum mercantur, cujus vel dimidio cœlum lucrati fuissent, placet, quod piissimus hic Angliæ Cancellarius, ac gloriosissimus pro religione Martyr dixerat ad mulierem vanissime com- ptam: nisi Deus tibi pro hoc tanto labore tuo infernum reddat, magnam tibi profecto inju- riam faciet. Considerate jam, quantum se ornet impudica mulier, ut Amasio placeat, considerate, quos iste meditetur dolos, ut suum proximum pessumdet, quantum hic vi- gilet, ne perdat temporalia bona. Verum hæc prudentia est prudentia carnis, quæ apud

Deum reputatur stultitia, & imprudentia. O infelix prudentia, quæ dum mundi bona quærit, summum bonum amittit.

## P A R S II.

*Quam filii lucis cœlestia,*

**E**rubescite, filii Dei, quod vestram in servitio divino curam longe superet sedula filiorum hujus sæculi solertia, intueamini, quantum adhibent diligentiam mercatores, quot computus faciant, quomodo lucri æque ac damni rationem singulis diebus ineant, quomodo integras noctes ob temporale lucrum ducant insomnes: an tanto studio cœlestia appetis? nonne tædet vel unicum horæ quadrantem impendere, in quo tuæ vitæ rationem a temetipso repeteres: quin potius omnino incurius es de damno tibi per peccata venialia quotidie illato, ac inter minima reputas lucrum cessans meritorum, si piget te partem noctis orationibus consecrare, audi exclamantem S. Ignatium Loyolam: nolite hoc pati, ut hujus sæculi homines plus laborum, & molestiarum suscipiant in conquirendis studiose voluptatibus, ac rebus caducis, quam nos in cœlestibus acquirendis, pudeat, illos majori opera eniti ad aucupandam gratiam Principis mortalis, quam vos laboretis ad amicitiam cum Rege æterno habendam. Tales enimvero, ut quidam dixit, in rebus temporalibus sunt Solones, in spiritualibus Moliones, in terrenis lynces, in cœlestibus talpæ. Verum-



rumtamen hi legant, & audiant, quas contra eos querelas faciat Dominus apud Venerabilem Thomam Kempensem, cujus verba hic recito: *promittit mundus temporalia, & parva, & servitur ei aviditate magna, ego promitto summa, & æterna, & torpescunt mortalium corda: quis tanta cura mihi in omnibus servit, & obedit sicut mundo, & Dominis ejus servitur? erubescere Sidon, ait mare, & si causam quæris, audi, quare, pro modica præbenda longa via curritur, pro æterna vita a multis vix pes semel a terra levatur; erubescere ergo serve piger, quod illi paratiores inveniuntur ad perditionem, quam tu ad vitam, gaudent illi amplius ad vanitatem, quam tu ad veritatem.* L. 3. de imit. Christ. c. 3. Hæc major filiorum hujus sæculi cura pro rebus terrenis movit S. Augustinum, ut piis querelis ad Christum suspiraret: „ o Amator „ hominum benignissime, & æquissime „ dex, an hoc rectum, & justum est, ut filii „ hujus sæculi, noctis, & tenebrarum præstantiori desiderio, atque studio diligant, „ & quærant perituras delicias, & fugitivos „ honores, quam nos servi tui diligamus te „ Deum nostrum, per quem facti, & redempti sumus? „ Hæc filiorum sæculi diligentia in acclomerandis bonis terrenis ita confunde-  
bat etiam S. Bernardum, ut flens exclamaret: magna confusio, magna valde, quod ardentius illi pernitiōsa desiderant, quam nos utilia, citius illi ad mortem properant, quam nos ad vitam. O cæcos filios Dei in cura cælestium! hanc cæcitatem deflebat S. Nonnus Episcopus,

cum videret Margaritam meretricem summo studio, & luxu corpus ornantem; libere enim fatebatur, se animæ suæ cultui tantam curam nunquam impendisse, quantam illa impendebat corpori, & hæc pia Nonni cogitatio occasio erat, ut omnem navaret operam pro conversione Margaritæ, quam & per rectam ferriæ poenitentiae viam perduxit ad Christum, ejusque postea nomen mutatis moribus mutabat illam appellans Pelagiam. Ecce, quomodo filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis, sed *in generatione sua*. O quam pigri sunt nonnunquam filii lucis in Dei obsequio, orant quidem, sed cum quantis distractionibus! accedunt etiam ad sacramenta, sed cum quanto tepore, adimplent quidem præcepta Dei, sed non omnino integre, jejunant, sed libentius non jejunaturi. O tepidum Dei servitium!

Procul ergo a nobis abeat prudentia carnis, accedat prudentia spiritus, non sinamus nos superari a filiis hujus sæculi, qui prudentiores sunt filiis lucis, id est, magis curant terrestria, quam nos coelestia, adimpleamus Christi præceptum Matth. 10. v. 16. *Estote prudentes, sicut serpentes, exuamus veterem peccatorum pellem, ut sic a peccatis expediti possimus intrare per angustum foramen coelestis gloriæ. Amen.*



## DOM. IX. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

*Quid doceant nos Christi lacrimæ?*

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christi lacrimæ docent nos deplorare peccata nostra, quæ ut deleantur, sunt deflenda,  
1. pie, 2. & quotidie.

## T H E M A.

*Flevit super illam. Luc. 19. v. 41.*

**C**um Davidi Regi infausta mors filii sui Absalon innotesceret, jugibus eam lacrimis deflebat, verum non tam corporalis, quam spiritualis mors Absalonis Regi tam copiosas extorquebat lacrimas, quia in peccato mortuum esse merito timebat; hinc pro Absalone mori optabat: *Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuit, ut ego moriar pro te.* 2. Reg. 18. v. 33. Similem in modum Christus hodie videns civitatem Jerusalem flevit super illam, & petit mori pro Jerosolyma, sicut revera postea mortuus est. Flevit super illam, quia incolæ urbis Jerusalem spirituali animæ morte maxima ex parte mortui erant, & hæc infelix mors Jerosolymæ ex Christi oculis extorquebat lacrimas, & qui jam



vagiit infans inter arcta conditus præsepia, deslebat spiritualem mortem Judæorum. Quæstio jam movetur: quid doceant nos Christi lacrimæ? deduco ego ex Christi lacrimis, deploranda esse peccata nostra, quæ ut deleantur, sunt deflenda, 1. pie, 2. & quotidie.

## P A R S I.

*Peccata ut deleantur, sunt deflenda pie.*

**L**acrimatur hodie Christus, qui tamen non egebat lacrimis, quia peccator non erat, lacrimatur, ut cives Jerosolymitani pie deflerent peccata sua, & ad hunc devotum fletum hortabatur rursus Christus filias Jerusalem, dicens: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* Luc. 23. v. 28. Quis autem non fleat peccata propria, cum Christus defleat aliena? quis non fleat, cum flens Dominus consolationem promittat in coelis? *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 5. v. 5. quis non fleat cum Apostolis, ut etiam cum iisdem gaudeat in coelis? *plorabitis, & flebitis vos, . . . sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Joann. 16. v. 20. nam non Angeli, sed ipse Angelorum Dominus Deus *absterget omnem lacrimam ab oculis eorum.* Apoc. 21. v. 4. Deflenda proin sunt peccata nostra pie ex motivo supernaturali. Mirum cuique videbitur, quod Job postulet se lavari in aquis ex nive expressis, non vero in aquis communibus: *si lotus fuero, quasi aquis nivis.* Job. 9. v. 30. Cur aquis nivis lavari cupit? ecce!

ecce! aquæ, quæ derivantur a puteis, & fontibus, a terra sumunt suam originem, aquæ vero nivium immediate e cœlo descendunt, ac in aere congelantur. Et hæ aquæ congelatæ sunt symbolum illarum lacrimarum, quæ a desiderio plusquam humano bonorum cœlestium, ac pio dolore de peccatis scaturiunt; aquis itaque nivis petiit Job peccata sua lavari, demonstraturus, quod motivum supernaturale eliciat nostras lacrimas, quibus super nivem dealbemur. Hæ piæ lacrimæ ex fine superiori manantes sunt veluti spongia saluberrima, quæ mundabat Ezechiam Regem, ut mortem evaderet, & sanitatem pristinam recuperaret; *Flevit Ezechias fletu magno.* 4. Reg. 20. v. 3. Et ecce! piis lacrimis emolliabatur cor Dei, ut mortis sententiam revocaret; *vidi lacrimas tuas, & ecce! sanavi te.* v. 5. o piæ lacrimæ fluite ex oculis hominum in hac lacrimarum valle, in hoc sæculo, in quo solo haberi possunt cum utilitate & fructu; ait enim S. Vincentius Ferrerius! „ si anima „ unius damnati posset habere unam guttam „ lacrimarum veræ contritionis, Deus illam „ salvaret, sed non potest, quia tales piæ lacrimæ solum in hac lacrimarum valle haberi possunt.„ O magna vis, ac virtus piarum lacrimarum! hanc virtutem optime noverat S. Catharina Senensis, atque ideo cum Raimundus Capuanus ejus Confessarius ab illa peteret, ut bullam plenariæ indulgentiæ a Deo impetraret, se hoc facturam spondit, & etiam ipso opere præstitit; nam cum sequenti

quenti die Raimundus cum ea colloquium de ingratitude instituisse, tantam vim lacrimarum profudit, ut periculum fuerit, ne cor ejus rumperetur, & tunc Catharina dixit ad illum: hæc est bulla indulgentiæ, quam tibi Dominus misit; hanc igitur gratiam grato animo recale. Quomodo autem, o peccator, defles peccata tua? suntne lacrimæ tuæ piæ? nonne sæpius defles peccatum, quia id te infamem fecit, quia te temporalibus bonis privavit, & severis pœnis hominum subjecit? hæ non sunt piæ lacrimæ, aliter peccata sunt deflenda, ne ibi defleri debeant, ubi sine omni fructu est fletus, & stridor dentium.

## P A R S II.

*Et quotidie.*

**N**on piæ tantum, sed & quotidianas pro peccatis nostris lacrimas exigit Deus, eademque petit a nobis Ecclesia mater, quæ, ut Judici divino pro peccatis satisficiamus, ita nos quotidie admonet in principio officii divini: *venite, adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.* hac in re sit nobis exemplo Rex David, qui quotidie deflebat peccata sua: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo.* Ps. 6. v. 7. Quid loquar de lacrimis, quas fuderant pœnitentes Apostoli Petrus, & Paulus? nonne de Petro legitur, quod tanta assiduitate defleverit suam negationem, ut a quotidianis lacrimis fulci in ejus vultu



vultu apparent. Percipite Paulum, quidnam de se dicat Act. 20. v. 31. *Per Triennium nocte, & die non cessavi cum lacrimis monens unumquemque vestrum.* Intueamur quoque speculum pœnitentiæ, quod nobis ante oculos ponit S. Hieronymus, de S. Paula Matrona Romana, quæ quotidie sua peccata deflebat, ita scribens: „ in ea fontes crede-  
 „ res lacrimarum, ita levia peccata plangebat,  
 „ ut eam crederes gravissimorum ream, cum-  
 „ que a nobis crebrius moneretur, ut parce-  
 „ ret oculis, respondebat: turpanda est fa-  
 „ cies, quam contra Dei præceptum purpu-  
 „ rissa, & cerussa, & stibio sæpe depinxi,  
 „ affligendum corpus, quod multum vacavit  
 „ delitiis. „ Perpendamus, quanti æstima-  
 „ verit quotidianas lacrimas S. Franciscus, de  
 „ quo D. Bonaventura scribit, quod cum Me-  
 „ dicus illi assiduos hosce fletus prohibuisset,  
 „ ne per frequentes, & vix non quotidianas  
 „ lacrimas visum hebetaret, respondit ille, quod  
 „ mallet corporalis visus lumen amittere, quam  
 „ extincta spiritus devotione juges impedire la-  
 „ crimas, quibus oculus mundatur interior,  
 „ ut Deum videre valeat. Haud absimile legi-  
 „ mus de B. Aloysio Bertrando, qui, cur conti-  
 „ nuo lacrimaretur, interrogatus respondit, cur  
 „ non fleam amarissime, cum non certo sciam,  
 „ an salvus fiam? concludendum proin cum S.  
 „ Chrysostomo dicente: „ si faciem corporis tui  
 „ „ quotidie abluis, ne qua forte macula faciei  
 „ „ inhærens fœde appareat, quanto magis  
 „ „ animæ cura habenda est, ut quotidie lacri-  
 „ „ mis

„ mis abluatur. „ Et tu o peccator, quotidie peccas, & vix unquam peccata tua deploras, quotidie voluptatibus indulges, & tamen cor tuum non conteritur, ac vix unquam peccata tua lacrimis eluis, vivis sine omni animæ cura in lætitia, qui tamen es in magna peccati miseria. Desle tua peccata cum fructu in sæculo præsentem, ne cogaris ea deflere sine fructu in futuro.

Fluite itaque piæ lacrimæ ex oculis nostris, fluite quotidie, ut abluantur peccata nostra; Deus enim delinquentium gemitus esurit, sitit lacrimas peccatorum, imo teste S. Hieronymo super Isa: „ oratio Deum lenit, sed lacrima „ cogit, hæc ungit, illa pungit. „ Simus tristes per piæ lacrimas de peccatis nostris, & tristitia hæc saluberrima vertetur in gaudium sempiternum. Amen.



## QUÆSTIO SACRA II.

*Quare Christus a ruina non eximat  
Jerusalem?*

### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Non eximit Christus a ruina civitatem Jerusalem, quia non utebatur auxiliis Dei sufficientibus, nam 1. Deus est Pater dando auxilia sufficientia, 2. erit autem Judex, si eis homo non bene utitur.

THE-

## T H E M A.

*Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.*  
Luc. 19. v. 44.

**S**alutifera fuit visitatio Christi, qua dignatus est visitare in salutari suo Zachæum; salus enim domui ejus facta est, & ab ipso salvatore nostro reputabatur, tanquam filius Abrahæ. idem benignissimus Dominus visitabat hodie civitatem Jerusalem flens super eam. Equidem erat par utriusque visitatio, sed dispar visitationis effectus, Zachæo omnia pariter bona advenere cum Christo visitante, Jerusalem autem omnia sibi bona fore auferenda percipit, *eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Zachæus salutem ex Christi visitatione habuit, Jerusalem salutem non invenit, visitata quidem fuit a Christo, sed a ruina futura non est liberata; eapropter si causam inquiris, cur Christus a ruina non eximit civitatem Jerusalem, eam assignare videtur sacram, quod hodie legitur, Evangelium his verbis: *eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Ex quo fluit responsio: quod Christus non exemerit a ruina civitatem Jerusalem, quia hæc non utebatur auxiliis Dei sufficientibus, ac proin, quem nolebat recipere velut Patrem, sustinere habuit, ut severum Judicem, 1. Deus siquidem est Pater dando auxilia sufficientia, 2. erit autem Judex, si eis homo non bene utitur.



## P A R S I.

*Deus est Pater dando auxilia sufficientia.*

**N**unc tempus acceptabile, nunc dies salutis sunt, in quibus visitat nos Deus oriens ex alto ut Pater benignissimus dando auxilia sufficientia, nunc misericordiarum Pater est, & Deus totius consolationis, qui suum auxiliorum solem oriri facit super bonos, & malos. Nunc millenis nos cumulat beneficiis, ut clementissimus Pater, ita ut dicat apud prophetam suum Isaiam c. 5. v. 4. *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Imo plus ultra, plus quam pater, aut mater in nos esse desiderat, inquiring per os Isaiæ c. 49. v. 15. *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* An non misericors Pater est, qui tantam habuit curam paternam, ut cuilibet homini custodes dederit Angelos, qui eum ab omni malo defenderent, & ad bonum virtutis incitarent: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Ps. 90. v. 11. An non Pater misericordiarum est, qui immensas bonitatis suæ divitias in homines abundanter fatis effudit, ut simul vellet esse Pastor bonus: *Ego sum Pastor bonus:* Joann. 10. v. 11. qui posuit animam suam pro ovibus suis, quibus optimum septem sacramentorum, aliorumque auxiliorum salutarium pabulum concessit, atque eas diris infernalis lupi dentibus eripuit. Edic S. Petre Apostole, qui sicut filius prodigus

digus a Christo per peccatum tuum recessisti, an non tanquam Pater paternis misericordiæ suæ oculis te respicere dignatus est? *Conversus Dominus respexit Petrum.* Luc. 22. v. 61. Ex hoc benignissimo ejus aspectu cor tuum protinus immutabatur, ut cum filio prodigo rediens ad Patrem optimum rursus adoptionem filiorum reciperes, atque intimo cordis dolore deplorares, quod Christum Dei filium abnegando a Patre tuo amantissimo recesseris: *Petrus flevit amare.* v. 62. Edic & tu S. Paule Apostole, vas electionis, quæ vox te e somno peccati excitabat? nonne erat vox dulcissima divinissimi Patris? ita sane ipsemet Paulus fatetur: *misericordiam consecutus a Domino* I. Cor. 7. v. 25. & rursus: *ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam.* I. Tim. I. v. 16. Nolite ergo mirari, quod hunc misericordiarum Patrem veneretur filiali affectu S. Augustinus L. de dilig. Deo. c. 10. ita fatus: „ sic „ certe mihi videtur, dum ejus miserationes „ circa me attendo, quod si fas est dicere, „ nihil aliud agit Deus, nisi ut meæ saluti „ provideat, & ita totum ad meam custodiam „ occupatum video, quasi omnium oblitus sit, „ & mihi soli vacare velit. „ Idem filialis amoris argumentum exhibuit S. Bernardus, cum cœlestis Patris beneficia sibi præstita in memoriam revocaret, ita loquens super illud: quid retribuam Domino & „ quando ignorabam, me instruxit, quando errabam, me „ reduxit, quando peccabam, me correxit, „ quan-

„ quando steti, me tenuit, quando cecidi,  
 „ me erexit, quando ivi, me duxit, quando  
 „ veni ad ipsum, me suscepit, nec pro his  
 „ omnibus, quid rependam, habeo, nisi tan-  
 „ tum, ut diligam., Ecce! o homo, quo-  
 modo Deus erga te Pater sit tot tibi paternæ  
 curæ indicia præbens, vide, quomodo tu  
 filius sis? ille pergit esse Pater bonus, & tu  
 non desinis esse filius malus, ille te reficit pa-  
 ne quotidiano, & tu quotidianis eum offensis  
 afficis, ille te nutrit suavissimo sacramentorum  
 pabulo, & tu mundani hujus Ægypti cepas  
 concupiscis, ille te visitat sexcentis beneficiis,  
 & tu eum offendis millenis maleficiis, rever-  
 tere fili prodige ad Patrem tuum amantissi-  
 mum; nam sufficit tibi gratia ejus.

## P A R S II.

*Erit autem Judex, si homo eis non bene utitur.*

**A**ttamen spretæ Dei misericordiæ succedet  
 justitia, & Deus erit Judex severissimus,  
 si homo auxiliis ejus sufficientibus non bene  
 utatur; quemadmodum enim Pater, qui om-  
 nia adhibet media, ut rebellem filium ad ob-  
 sequium revocet, tandem illum a paterna hæ-  
 reditate excludit: ita Pater cœlestis, si homo  
 auxiliis salutiferis non bene utatur, severus  
 Judex erit, qui rebellem filium privabit hæ-  
 reditate æterna: quemadmodum Dominus ser-  
 vum, quem paterno prosecutus amore sæpius  
 admonuit, ut se emendaret, e famulatu di-  
 mittit, ita Dominus cœli, qui prius Pater  
 erat,



erat, Judex severus erit, & hominem, si servus fuerit nequam, nec Domini fecerit voluntatem, mandabit ejici in tenebras exteriores: Sicut Advocatus clientem suum, si proficuis illius consiliis non utitur, relinquit, ita Christus, qui hucusque Advocatus noster erat apud Patrem cœlestem, ipsemet Judex erit, & hominem, qui paternis suis inspirationibus respondere neglexit, relinquet: sicut denique Medicus ægrotum deserit, si suas saluberrimas medicinas, quas ei affectu vere paterno præscripserat, sumere contemnit, ita Deus, qui homini medicinales salutis gratias paterno affectu elargitur, non jam Medicus, sed sine misericordia Judicis personam induet, hominemque gratiæ viribus vix non exhaustum permittet mori morte æterna, ac qui prius Pater erat, postea Judex fiet: hæc vobis, peccatores omnes, minatur Deus per os Prophetæ, qui vobis vestra prædicit extendendum super capita acutissimum justitiæ divini gladium: *Deus Judex justus, fortis, & patiens, nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum.* Ps. 7. v. 12. & 13. easdem repetit minas Malachias Propheta: *si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris,* Malach. 2. v. 2. Percipite desuper S. Hieronymi expositionem: „ multos Deus „ prævenit benedictionibus gratiarum, & inspirationum divinarum, qui si aures non „ aperuerint, maledicentur benedictionibus „ suis,

„ suis, dum ipsa salutis remedia vertentur in  
 „ instrumenta damnationis, & ipsæ benedi-  
 „ ctiones inservient ad eorum maledictionem.,  
 O certe tremenda divini Judicis justitia, qui  
 etiam ridebit in interitum peccatorum; ait  
 enim Prov. 1. v. 24. *Quia vocavi, & renuistis,  
 despexistis omne consilium meum, & increpationes  
 meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro  
 ridebo.* Sed quid hoc? ille ipse, qui hodie  
*videns civitatem flevit super illam.* Luc. 19. v. 41.  
 aliquando rideat in interitum? ita sane; au-  
 dite enim S. Augustinum: „ quia obdurarunt  
 „ aures tot inspirationibus, tot consiliis, tot  
 „ salutis mediis., Misericordissime Domine,  
 ubi tunc erunt tuæ miserationes? ubi clemen-  
 tia, ubi benignitas? transierunt dies miserandi,  
*superexaltat,* ait Jacobus c. 2. v. 13. *Miseri-*  
*cordia judicium;* id est, ut vult S. Thomas:  
 quanto major misericordia alicui impenditur  
 in præsentem, tanto, si ingratus fuerit, gravius  
 in futuro punietur. Quis credidisset, latronem  
 reprobum in cruce pendentem penes ipsum  
 misericordiæ Patrem a misericordia excludi?  
 quis credidisset, quod ille ipse, qui tanquam  
 Pater humanum genus tanquam filium prodi-  
 gum in gratiam recepit, mox se huic latroni  
 exhiberet Judicem severissimum? sed tamen  
 ita est, nam hic latro auxiliis sufficientibus  
 non est usus, nec proposito bono Disinæ exem-  
 plo volens resipiscere Patrem experiri voluit.  
 O peccator, quot auxilia a Deo recipis! dat  
 tibi, ut Pater sanitatem, qua tamen ad ejus  
 offensam abuteris, immittit tibi internas bonas  
 inspi-





## T H E M A.

*Ingressus in templum cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes. Luc. 19. v. 46.*

**G**randis illa magnarum alarum aquila Joannes apocalypticus sub diversis visionibus viderat Christum, jam sub specie Leonis, ecce! *vicit Leo de tribu Juda. Apoc. 5. v. 5.* nunc sub specie agni mansueti; *vidi agnum stantem. Apoc. 5. v. 6.* mirabilis visio! quomodo Christus est Leo, quomodo simul agnus? Leo est in vindicandis injuriis cœlesti suo Patri illatis, ideo ut Leo rugiens ejecit hodie e templo vendentes, & ementes: *ingressus in templum cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes. Luc. 19. v. 46.* Et merito, quia templum Dei, domum Orationis, sacerrimam Patris cœlestis domum profanarunt: *Dominus de Sion rugiet. Joel. 3. v. 16.* Agnus est, in injuriis sibi irrogatis, quas cum admirabili patientia tolerat: *ego quasi agnus mansuetus. Jerem. 11. v. 19.* Ex quo facilis jam est responsio ad hodiernam quæstionem? quare Christus cum sit mansuetissimus, in hodierno Evangelio quamdam indignationem ostenderit? respondetur enim: quod Christus in hodierno Evangelio quamdam ostenderit indignationem, ut doceret, 1. offensas divinas esse vindicandas, 2. offensas autem ab aliis illatas utpote humanas esse tolerandas.

## P A R S I.

*Offensæ divinæ sunt vindicandæ.*

**S**i verus amicus injurias amico suo illatas ægerrimo fert animo, excandescit, & offensas amici ulciscitur, cur in nobis non exardescat justæ iracundiæ ignis, cur non pio quodam zelo vindicemus offensas Dei, amici nostri ter optimi, maximi? justissimum hunc fervorem in vindicandis supremi Numinis offensis nos edoceat Moises magnus ille Dei servus; hic enim Exod. 32. descendens de monte, & videns populum turpissima vituli aurei idololatria infectum, iratus est valde, projecitque de manu tabulas, iisque contractis vitulum combussit, & Aarone objurgato idololatræ occidi præcepit. Spectate alios, si lubet, insignes divini honoris zelatores, ut & vos justa quædam ira ad vindicandas Dei offensas accendat: commendat nobis sacer numerorum liber. c. 25, generosum Phinees facinus, qui læsum Dei honorem vindicabat, arreptoque pugione transfodiens Principem de cognatione, & tribu Simeonis se ob enorme scelus in conspectu totius populi ab illo perpetratum exhibebat ultorem acerrimum. Quis satis deprædicet eximium Matathiæ ardorem in ulciscendis Dei injuriis; cum enim Hebræi a Tyranno Antiocho ad sacrificandum idolis cogentur, Matathias collecto piorum exercitu revocat Dei cultum, destruit idololatriam, cæsoque Antiochi præsidio hortatur filios, ut Patrum exemplo semper tuean-

tur legem Domini. 1. Mach. 2. legite, quid facer codex memoret de insigni Eliæ zelo, qui zelo zelatus pro Domino Deo exercituum sacerdotes Baal occidit, atque injurias Deo illatas vindicaturus *surrexit Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Ecclesiastici 48. v. 1. Imo & in ipso ceteroquin mansuetissimo Jobo sanctam conspiciate iracundiam, dixerat ad eum uxor: *adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere.* Job. 2. v. 9. Sed Job ira accensus ita reprehendebat uxorem: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* v. 10. Unde autem patientissimo viro tam fervens iracundiæ impetus? uxor ejus Deo irrogabat injuriam, eum incitans ad ad atrociolem iracundiæ motum, & ideo excandescens hanc offensam divinam vindicabat. Quid jam eloquar de ferventissimo sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli zelo, quorum primus, ut divinas ulcisceretur offensas, Ananiam, & Saphiram subitanea morte punivit; fraudaverat enim de pretio agri, eam ob causam Petrus dicebat ad Ananiam: *non es mentitus hominibus, sed Deo.* Act. 5. v. 4. Non minor erat zelus Pauli Apostoli, qui in ulciscendis Dei offensis severus zelotes, cum audiret, quod apud Corinthios quidam adulter uxorem Patris sui adhuc vivi haberet, excandescens hanc in eum sententiam pronuntiabat: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* 1. Cor. 5. v. 3. Væ itaque vobis



vobis Patres, & Matres familias, qui in filiis vestris, filiabus, famulis & famulabus offensas Dei graves committi cernitis, & damnanda indulgentia illos non corripitis, imo sæpius pravo vestro exemplo ad offendendum Deum ipsosmet provocatis! vœ vobis, qui in vindicandis Dei offensis agni estis, muti ad omnia, & in aliorum offensis ulciscendis ut leones excandescitis.

P A R S II.

*Offensæ autem ab aliis utpote humane tolerandæ.*

**S**i unquam, certe in tolerandis aliorum offensis humanis patientia nobis necessaria est, namque ipse Deus vult patienti animo has offensas esse sustinendas; eapropter cum Prophetam suum Ezechielem misisset ad convertendos populos, faciem ejus mutavit, dicens: *ut adamantem, & ut filicem dedi faciem tuam.* Ezech. 3. v. 9. Mirabilis conjunctio, cum tamen adamas, & filex valde dissimilis sunt naturæ; adamas enim omnes ictus sine murmure recipit, & ideo est symbolum patientiæ sanctorum Martyrum, filex autem est valde querulus, & ad quemcunque ictum emicat ignem: ast nempe adamantem esse vult Deus suum Prophetam in tolerandis proximi offensis, qui omnes ictus injuriarum sibi illatarum sine impatientiæ murmure recipiat, licet alias sit filex evomens excandescentiæ ignem in vindicandis offensis divinis. Talem adamantem in tolerandis propriis offensis dederat

Deus in Moise; hic enim, licet contra eum Aaron, & soror ejus vehementer murmurassent, quando æthiopissam sumpserat in Matrimonium, sine murmure impatientiæ siluit, imo rogavit Deum, ut sororem lepra desuper punitam sanaret, sicque semper in Moise, licet in eum calumniæ torrentis instar effunderentur, adamantina tamen mansuetudinis facies effulsit. O quam fortis Adamas etiam fuit invictus Job in sufferendis aliorum offensis, diripuerant ei omnia bona Sabbæi, corruerat domus, & a planta pedis usque ad verticem capitis miser factus, pauperrimus sedebat multis miseriis repletus in sterquilinio, omnium ludibrio expositus. At adamantinum patientiæ vultum exhibebat, dum sese ad Dominum Deum convertens dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Job. 1. v. 21. O quam solidum in adversis animum itidem cernere licet in S. Paulo, qui lætus alienas tolerabat offensas! maledicebatur, & non maledicebat, ait enim 1. Cor. 4. v. 12. *Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus.* Erat Paulus in carceribus abundantius, ter virgis cæsus, semel lapidatus, erat in periculis, in fallis fratribus, & tamen has offensas ab aliis sibi illatas patienti animo ferens dicebat: *Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula.* 2. Cor. 11. v. 31. Notanda proin sunt verba S. Petri ita omnes ad tolerandas proximi injurias hortantis :

tis: Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum, in hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. Pet. 2. v. 20. &c. quam multos, proh dolor! hodiedum reperire est, qui levem injuriam a proximo illatam gravissime sentiunt, nil dicam de gravibus injuriis, quibus forte afficiuntur; tunc enim sicut montes fumigant, ac sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, veniam proximo offendenti dare renuunt, ah cogitent tales, quomodo ipsi Deum magis offendant, quam offendantur a suo proximo, & tamen Deus tot eis jam injurias clementissime condonavit.

Imitemur ergo Christi zelum, ac mansuetudinem, simus Leones in vindicandis divinis offensis, & zelum legis zelemus, ut aliquando recipiamur in cœlum: simus quoque mansueti agni in perferendis injuriis nobis illatis, sic bene faciemus, & Christum aliquando inveniemus in nos mansuetissimum agnum, qui tollit peccata mundi. Amen.







DOM. X. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quid Christianus discere possit a Publicano  
oculos suos non elevante?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christianus discere potest a publicano oculos suos non elevante rectum usum oculorum, nam 1. incauta oculorum evagatio est sum-  
mopere noxia, 2. eorum autem custodia perquam necessaria.

T H E M A,

*Notebat nec oculos ad cælum levare, Luc. 18. v. 13.*

**A**ccedite peccatores omnes, accedite ad templum Domini, & illuminamini exemplo cujusdam Publicani, qui & ipse peccatis erat obnoxius: ingrediebatur hic in templum Domini, ut peccatorum veniam sequeretur, *percutiebat pectus suum*. Luc. 18. v. 13. vehementer dolens inquebat: *Deus propitius esto mihi peccatori*. v. 13. intimo hoc cordis sui gemitu spiritum contritum, atque humiliatum prodebat: si vero accuratius in eum oculos fixerimus, insuper deprehendemus, quod nequidem oculos suos elevet: *nolebat nec oculos ad cælum levare*. Adimpleverat jam tunc publi-

publicanus hic illud præceptum, quod postea S. Paulus observandum præscripserat suis Philippensibus: *modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Philipp. 4. v. 5. Quæritur jam, quid Christianus discere possit a Publicano oculos suos non elevante? & respondetur, quod Christianus edoceatur a publicano oculos suos non elevante rectum usum oculorum, nam 1. incauta oculorum evagatio est summopere noxia. 2. eorum autem custodia perquam necessaria.

P A R S I.

*Incauta oculorum evagatio est summopere noxia.*

**T**ritum sermone proverbium est: sunt oculi scopuli titulo meliore vocandi: Enimvero homo dum nascitur, postremum ex organis, quæ in eo perficiuntur, primum ex membris, quæ in homine morti proximo deficiunt, sunt oculi: & ni fallor, id a provido naturæ ac gratiæ auctore dispositum, ut homo serius telis diaboli exponatur, & citius subducatur, ac vel in ultimo vitæ suæ momento ab oculis deceptus salutis periculum incurrat: scribit enim S. Hieronymus: „oculi sunt irritamenta „ vitiorum, & duces scelerum.„ Edic nobis, quam noxia sit oculorum evagatio Mater viventium omnium Eva, nonne oculi erant tibi scopuli, quibus allisa per peccatum naufragium animæ tuæ passa es? quia vidisti, periisti, quippe de te scriptum legimus in geneleos libro: *Vidit mulier, quod bonum esset lignum*

gnum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectu-  
 que delectabile, tulit de fructu illius, & comedit.  
 Gen. 3. v. 6. An non oculus erat scopulus  
 Davidi, ut incautus Betsabeam aspiceret, &  
 exin in adulterii, & homicidii crimen rueret?  
 an non oculus erat scopulus Holoferni supremo  
 Assyriorum Belliduci, ut libidinoso animo Ju-  
 ditham intueretur, & exin in temporalem  
 simul, & æternam ruinam deveniret. Nonne  
 oculus erat scopulus senibus illis, de quibus  
 mentionem facit Danielis liber, ut impudici  
 pudicam Susannam aspicientes turpe cum illa  
 flagitium vellent committere? an non oculus  
 Samsoni fuit scopulus, ut dum incautus blan-  
 dientem Dalilam aspexisset, corporis, & men-  
 tis oculos amitteret? Prospexerat Deus, quod  
 oculi ex hominum culpa, ac tam excellentis  
 membri abusu hominibus in scopulum, omnis-  
 que ferme peccati fomitem sint futuri, hinc  
 disposuisse videtur, ut ab iisdem oculis lacrimæ  
 manarent, quarum virtute vel immunditiæ  
 per eosdem contractæ eluerentur, vel pecca-  
 tor per oculos, per quos peccavit, etiam pu-  
 niatur, ac profluentibus pœnitentiæ lacrimis  
 culpas abluat, & peccata delet, quorum in-  
 centiva fuerunt oculi. Eapropter haud in-  
 congrue dici potest, quod Christus cœlestis  
 Medicus, cum Joann. 9. cœco visum restitue-  
 ret, oculos luto delinire voluerit, ut lutum,  
 id est, corporis humani putredinem semper ob  
 oculos positam haberet, & intelligeret, id,  
 quod specie & pulchritudine sua oculos nostros  
 ad vanitatem attrahit, nil aliud esse, quam  
 turpe



turpe lutum: sicut enim conspiciælia, quo colore tincta sunt, eo etiam nobis ea, quæ inspicimus, repræsentant adeo, ut si vitrum conspiciælii rubrum sit, rubra quoque omnia appareant, & viridia, si viridem colorem referant. Sic quoque Christus lutum super oculos cæci nati imposuit, ut hoc ei conspiciælii loco inserviret, & per illud acciperet verum lumen, quatenus credere & agnoscere posset, omnia, quæ hic pulchra videntur, nil aliud esse, quam merum lutum; bene igitur Ecclesia quotidie rogat ad Dominum, *jam lucis orto sydere precans: visum fovendo contegat, ne vanitates hauriat.* O homo, caute ambula, ipsi oculi tui sunt tibi scopuli, revera inimici hominis domestici ejus, nempe ipsi oculi, de quibus Thren. 3. v. 51. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Averte eos a vanis, ab impudicis, atque illicitis objectis, quæ quotidie tibi struunt insidias; non igitur oculos aperias ad videnda, quæ non vidisse consultius foret: eos cohibe, ne mentis cæcitate incurras.

P A R S II.

*Eorum autem custodia perquam necessaria.*

**E**x his jam facili negotio deducitur, oculorum custodiam esse perquam necessariam, sane ad hanc ipsam etiam natura nos admonere videtur, dum eos velut provida Mater palpebris munit, ac in sublimiori insuper corporis parte collocavit, ut essent vigiles in altissima

tissima turri, ac non solum custodirent corpus, sed & animam, quin ipse quoque naturæ auctor voluit, quod oculi aliquam cum cerebro conjunctionem haberent, ut inde colligatur, eos per iudicium, & discursum esse bene moderandos, & custodiendos. Intueamini sponsam in canticis, quam necessarium ipsa duxerit oculos caute custodire; de ea enim dicitur Cant. 5. v. 12. *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum.* Sedebat sponsa secus rivus aquarum, & in illos habebat demissos oculos, ut suæ pulchritudinis hostes superaret, & insidias evaderet; nam columba ad aquas sistens oculos in altum non elevat, ne forte diversitate circumvolantium avium distrahatur, & sic incauta a tergo superveniente accipitre obruatur, sed oculos in aquas demittit, ut in illis accipitrem super se volantem videat, & in tempore effugiat. O Christiane homo, si vis infernalem accipitrem, ejusque insidiarum unques evadere, & vitare, caute oculos custodias, ne oculus deprædetur animam tuam: disce hanc oculorum custodiam tibi perquam necessariam a B. Virgine Maria, hæc cum dixisset ad eam Gabriel: *Ecce! concipies in utero, & paries filium.* Luc. 1. v. 31. *turbata est in sermone ejus.* v. 29. quam tamen turbationem Angelus his verbis tollere voluit, dum inquit: *ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* v. 30. credidissem ego, modestissimam Virginem turbandam potius ad conspectum Angeli, quam ad sermonem, cur ergo Evangelista non dicit: *turbata est in aspectu,*  
sed

sed in sermone ejus? quia dicit Eucherius, Maria oculorum modestiam, & custodiam servabat, oculos demissos gerebat, ut vocem quidem Angeli audierit, at vultum ejus non viderit: hanc quoque Angelicam oculorum modestiam ipsa Virgo Virginum sat manifestabat S. Franciscæ Romanæ, dum se Deipara Virgo illi in extasi existenti in ea specie spectandam præbuit, qua visa fuit a tribus Magis in præsepio, qui viderant eam habentem oculos suos defixos in infantem, ex qua oculorum custodia sancti Reges supra modum manserant attoniti, & ædificati; quare S. Francisca ad se rediens in hæc erupit verba: si illa, quæ gratia plena erat, in præsentia Magorum tantam exhibuit oculorum modestiam, quanto magis mulieres fragiles custodire debent suos oculos. eas profecto ad imitationem trahat exemplum pientissimæ Virginis S. Claræ, quæ per totius vitæ decursum nunquam ullius viri faciem intuebatur, dicens: se etiam eum, qui in fluvium eam projiceret, non aspecturam; hinc grandem reputabat negligentiam a se commissam, cum semel ad hostiam elevatam oculos convertens virum contra suam voluntatem aspexisset. Quis non miretur eximiam oculorum custodiam, quam servabat S. Cajetanus; postquam enim Carolus V. triumphans, victoriis præclarus Neapolim ingressus esset civitatem, toto populo ad Victoris pompam confluente, solus Cajetanus, licet hanc celebritatem e suo cubili potuisset videre, atque ad id etiam persuasus fuisset, defixus tamen



hærebat in solo sui crucifixi aspectu. Nec minus admirabilis erat oculorum custodia in Angelico Juvene Aloysio, qui, quamvis ex Italia in Hispanias cum Imperatrice profectus, & Triennio in Regia Hispaniæ versatus quotidie eandem salutatam adiret, & sexcentæ aliæ eam intuendi occasiones ipsi occurrerent, nec semel tamen ejus faciem aspexit. Dicitur proin nobis existimemus, quod Christus aliquando effatus est ad S. Birgittam: quia oculi mei erant sanguinolenti & pleni lacrimis, ideo oculi tui debent abstinere ab omni delectabili visu. Et tu o homo, audes oculos tuos in quæcunque tibi obvia defigere, oculosque tuos in alterius sexus aspectu, imo nonnunquam etiam in rebus illicitis pascere? ah! averte a vanitate oculos tuos, ne tanquam in scopulos impingas, noli modestiam oculorum ad sola Monasteria ablegare, crede etiam, te non minus, quam Religiosum esse obstrictum ad oculorum custodiam, ne & tibi oculi sint spiritualis ruinæ scopuli: pange foedus cum oculis tuis, ut nequidem cogites de terrena pulchritudine.

Cum igitur incauta oculorum evagatio sit summopere noxia, eorum autem custodia summopere necessaria, invigilemus semper, ne oculi sint nobis scopuli, quibus impingamus, o Domine custos hominum, libera nos de concupiscentia oculorum, pone custodiam oculis nostris, clamemus cum Davide: *averte oculos nostros, ne videant vanitatem.* Ps. 118. v. 37.

Imi-

Imitemur Publicani modestiam, sit etiam modestia nostra omnibus hominibus nota, ut suadet S. Paulus Philipp. 4. v. 5. sint in via Pf. 122. v. 2. *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Amen.

---



---

QUÆSTIO SACRA II.

*Quinam cum Phariseo rejiciantur  
a Deo?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Cum Phariseo superbi rejiciuntur a Deo; nam 1. superbia est detestabile malum culpæ, 2. quod inducit malum gravissimæ poenæ.

T H E M A.

*Descendit hic justificatus in domum suam ab illo.*  
Luc. 18. v. 14.

**A**dimpletum invenio hodie in Phariseo, quod dixit Christus Luc. 17. v. 34. *Unus assumetur, & alter relinquetur.* Assumitur Publicanus ad justificationem, descendit hic justificatus in domum suam, relinquitur Phariseus a Christo, qui solum *humilia respicit, & alta a longe cognoscit.* Pf. 137. v. 6. exaltatur unus, humiliatur alter, justificatur Publicanus, rejicitur Phariseus, *descendit hic justificatus in domum suam ab illo.* Ex quo pullulat quaestio, quinam æqualem cum Phariseo conditionem

tionem habeant, & a Deo rejiciantur? attigero Evangelii mentem respondens, quod pariter rejiciantur a Deo superbi; nam superbia est detestabile malum, 1. & culpam, 2. ac poenam inducens gravissimam.

## P A R S I.

*Superbia est detestabile malum inducens culpam.*

**N**eutiquam mirum cuiquam videatur, quod Deus incipiat ex ore suo evomere, & cum Phariseo ejicere omnes superbiæ filios; hæc enim sicut est detestabile malum, ita tam gravem inducit culpam, ut S. Bernardus Senensis gravitatem ejus ponderans illam inter ea, quæ Deus summe abominatur, peccata reputet, dum scribit: „ tria sunt peccata Deo horrenda, propter quæ contra rationalem creaturam irascitur Deus, scilicet „ superbia, qua offenditur Deus per spiritum, „ luxuria, qua offenditur Deus per corpus, „ avaritia, qua offenditur Deus per temporalem substantiam. „ Eapropter Senior Tobias, ne filius suus unquam Dei iram incurreret, provide ac paternè adhortatus est, ut omnem fugeret superbiam: *superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Tob. 4. v. 14. Dictorum autem rationem insimul addidit bonus Senecio: *in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Quin imo, si S. Augustino fidem adhibemus, superbia tantum est malum, tamque grave peccatum; ut superbos transformet in veros diaboli filios, verba



ba S. Augustini sunt „superbum si videris,  
 „ filium diaboli esse non dubites.„ Huic opi-  
 nioni non leve robur addidit ipsemet Christus  
 Dominus, dum declaravit S. Birgittæ, quod  
 sicut humiles sunt habitaculum Dei, ita su-  
 perbi sint cavernæ, & latibula diaboli; de  
 hoc quippe scriptum est: *ipse est Rex super  
 universos filios superbiæ.* Job. 41. v. 25. O Chri-  
 stiane! injuria te affici haud immerito crede-  
 res, si te quis bestiæ ferocissimæ esse similem  
 convitiatur, & tamen superbus in feram pessi-  
 mam generat, ita superbissimus Nabuchodo-  
 nosor ob suam superbiam in bovem transmu-  
 tatus est, de quo Propheta David jam dudum  
 prædixerat, quod tanquam crudelis aper vi-  
 neam populi Judaici devastaturus esset, *exter-  
 minavit eam aper de sylva, & singularis ferus  
 depastus est eam.* Ps. 79. v. 14. Quod detesta-  
 bilius malum quam superbia, quæ omnia con-  
 sumit merita? est enim dicente S. Alberto  
 Magno, quasi quoddam fulmen, sicut enim  
 quandoque fulmen absorbet aurum intra mar-  
 supium, vinum intra dolium, utroque rema-  
 nente illæso, ita superbia omnia in anima ab-  
 sorbet merita, gratias cœlestes aufert, ac ex-  
 celsas Ecclesiæ columnas non raro concutit,  
 aut penitus prosternit. Unde enim tam tur-  
 piter cecidit Origenes, qui vir erat summæ  
 honestatis, patientiæ, filius Martyris, qui  
 propter amorem Christi omnibus se spoliavit  
 bonis, & divitiis, summo dotatus ingenio,  
 Magister innumerabilium Doctorum, sacerdo-  
 tum, confessorum, & Martyrum? allisit navis

hæc tot mercibus meritorum onusta ad scopulum superbiæ; his enim donis abusus proprio fidebat iudicio, plus reliquis omnibus præsumebat scire, ac traditiones Ecclesiasticas spernens tandem ab Ecclesiæ fide deficiebat. Eapropter de superbia dixit S. Ambrosius ferm. 7. in Ps. 118. quid hoc peccato potest esse deterius, quod a Dei cœpit injuria? Concludendum ergo cum S. Bernardo de grad. humil. grad. 1. ut quid audes oculos levare ad cœlum, qui peccasti in cœlum? terram intueri, ut cognoscas te ipsum, ipsa te tibi repræsentabit, quia terra es, & in terram ibis. O homo, humum aspice, de qua prodiisti, ecce! quidquid habes, a Deo habes, ergo in Deum peccas, si ea tibi attribuis superbus, & ingratus: non sis itaque assecla Luciferi, ne & tu cum eodem cadas in abyssum inferni.

## P A R S II.

*Et pœnam inducens gravissimam.*

**T**am detestabile malum superbia est, ut proxime eam gravissima sequatur poena; nam *qui se exultat, humiliabitur.* Luc. 18. v. 14. & quid mirum? si enim alta ædificia a tempestatibus turbidis maxime infestentur, & deiciantur, etiam cum Lucifero cadere necesse est eos, qui nidum suum in altis ponere gestiunt; commune enim fert adagium: tangunt altos fulmina montes. De miserabili hoc superbiæ casu, ac poena gravissima jam diu loquebatur Isaias c. 64. v. 6. *Cecidimus quasi folium*

folium universi, & iniquitates nostræ, quasi ventus abspulerunt nos. Pendet ramus, aut folium in cuspide arboris, afflat insperato furibundus Auster, decutit ramum, dejecit folium, & ecce! quod in culmine positum prominebat, jam jacet in imo, & omnium pedibus conculcatur: ita superbum sequitur malum poenæ, ingruit inopinato asper tribulationum ventus, in terram prosternitur, & humiliatur, sicut folium, quod vento rapitur. Talia inania folia erant Gigantes, qui olim orbem portare sibi imaginabantur, sed quid eis evenit? ecce! gigantes gemunt sub aquis Job. 26. v. 5. quid aliud aquæ denotant, quam amaras mundi tribulationes? quid aliud ipsi Gigantes significant, nisi superbos? ecce! hi gemunt sub aquis variarum tribulationum, & non modo momentaneam hominum vilipensionem sentire, sed & æternam confusionem sustinere cogentur; hanc enim ignominia poenam jam diu Rex David superbis denuntiabat: *non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Ps. 100. v. 7. Hujus autem exclusionis duplex hæc redditur ratio, 1. quia in Regno Dei est omnimoda subiectio ad Deum, quomodo autem subjiçietur Deo superbus, qui vult esse subditus diabolo Regi super omnes superbiæ filios? 2. quia in Regno Dei est omnimoda pax erga proximum, quomodo ergo introitum invenient in coelum superbi, de quibus scriptum est Prov. 13. v. 10. *Inter superbos semper jurgia sunt?* sane gravissimam poenam superbiæ, qua a regno Dei quis excluditur!




atrox profecto supplicium, quod non post annos, menses, aut dies, sed plerumque ipso adhuc peccati momento a Deo infligitur. Habemus hac in re testimonium in S. Scriptura: nonne illico Lucifer detrusus est in infernum? nonne primi Parentes nostri ipso adhuc die, quo peccabant, ambo puniti sunt? cur ergo tam velox pœna peccatum eorum sequitur? peccaverat etiam Cainus fratrem suum occidens, & tamen statim non subit pœnam, peccaverant scelerati homines Noemi tempore, & tamen Deus per centum omnino annos conivebat, peccaverant Judæi crucifigentes Christum, & tamen ultra quadraginta annos expectabat Deus, donec puniret: quæ ergo dispar ratio? ecce! Lucifer superbe cogitaverat: *in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Isa. 14. v. 14. Et hinc confestim ex alto in imum miseriarum dejicitur miser. Ecce! primi Parentes præcepto Dei subjici nolentes committebant peccatum superbiæ, & eodem adhuc die e paradiso expulsi sunt, ita statim superbiam presso pede insequitur pœna: atque ideo S. David superbiæ unum tantum, & non duos pedes assignasse videtur: *non veniat mihi pes superbiæ.* Ps. 35. v. 12. quia superbus instabilis est, semperque ruinæ, ac casui proximus, sicut ille, qui uno tantum pede graditur: credite, o superbi omnes, Davidi ita de superbia loquenti; ipsemet enim gravissimam arrogantiae pœnam expertus est, cum juberet superbia quadam inflatus recenseri populum suum; mox enim gravissima

pœna

poena a Deo Judice ei statuitur, ut in universo ejus regno horribilis pestilentia grassaretur, quæ miserrima clade plura hominum millia depascebat. Unde David proprio edoctus damno maledictionem fulminabat in montes Gelboe: *montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos.* 2. Reg. I. v. 21. Per quos montes altissimos jure merito intelligendi veniunt superbi, in quos Deus non influit rorem gratiarum suarum, & in his montibus etiam Saul in poenam superbiæ extinctus est. Quare ergo, o homo, cinis & pulvis præsumis superbi-  
 re, qui tamen omnium miseriarum compendium, & acervus es? gloriaris de formosa corporis specie, quæ tamen cras adinstar fœni marcescit, jactitas tuas vires, & sanitatem, quæ tamen brevi migrat in infirmitatem, inflaris de tua scientia, quæ tamen omnino vana est, plenis buccis deprædicas tua naturæ, & gratiæ dona, quæ tamen tua non sunt, sed Dei, a quo omne donum optimum provenit, crede, unico pede superbia tua incedit: unde tu tam imbecilli innixus fulcro semper ruinæ proximus es.

Ne igitur & nos cum superbo Pharisæo rejiciamur a Deo, qui solum humilia respicit, detestemur superbiam, hoc detestabile malum culpæ, abominemur illud, ne inducat gravissimum malum poenæ: potius stemus a longe cum humili Publicano, dicamusque corde contrito, & humiliato: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18. v. 13. Sic cum illo ibimus justificati in magnam domum æternitatis. Amen.



### QUÆSTIO SACRA III.

*Quare non licet justis se extollere, & peccatores aspernari?*

#### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Non licet justis se extollere, & peccatores aspernari, quia nullus etsi justus, de salute est securus; unde 1. vivendum est in continua incertitudine, 2. adeoque timore salutis.

#### T H E M A.

*In se confidebant, tanquam justis, & aspernabantur cæteros. LUC. 18. v. 9.*

**D**um Tobias Senior juniori Tobiae filio suo piissimo paternam benedictionem impertiretur, maledictionem simul vaticinabatur omnibus illis, quicumque filium hunc suum contemptui haberent: *maledicti erunt, qui contempserint te. Tob. 13. v. 16.* Neminem quoque contemnendum esse edocuit Magister cœlestis Christus Discipulos suos, dum inter alia salutis monita etiam hoc eis dedit: *videte, ne contemnatis unum ex his pusillis. Matth. 18. v. 10.* quapropter in hodierno Evangelio rejecit Pharisæos, qui *in se confidebant tanquam justis, & aspernabantur ceteros.* Quæro autem: quare non licet justis se extollere, & peccatores aspernari? huic quæstioni hanc subjicio respon-

sionem:



tionem: non licet justis se extollere, & peccatores aspernari, quia nullus etsi justus, de salute est securus; unde 1. vivendum est in continua incertitudine, 2. adeoque timore salutis.

P A R S I.

*Vivendum est in continua incertitudine.*

Omnino certum est, quod in continua salutis incertitudine vivendum sit; licet enim homo sanctam duceret vitam, quamdiu est in mundo, de salute sua certus esse nequit, ut loquitur S. Bernardus: „ quis potest dicere, „ ego de electis sum? quia homo est incon- „ stans, & mutabilis, homo natus de mulie- „ re brevi vivens tempore repletur multis mi- „ seriis, & nunquam in eodem statu perma- „ net; nam modo amat, modo odit, modo „ probat, modo reprobat, quod probavit., Hæc autem, si quis rite trutinaverit, plane nullus erit, qui se de salute securum, ac certum existimare poterit, hinc etiam Christus Apostolos suos in continua salutis incertitudine vivere voluit dicens ad eos Luc. 10. v. 19. *ecce, dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes &c. & nihil vobis nocebit, sed postea statim addebat: verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur, gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* v. 20. quærunt hic S. Scripturæ interpretes, an Apostoli hæc audientes jam fuerint securi de salute, ac tuto potuerint inferre: Christus Deus dixit, nostra nomina, scripta esse in cælis, ergo salus no-  
stra

fra est certa? id negat S. Ambrosius, utut  
 enim quoad præsentem iustitiam eorum no-  
 mina in cœlis scripta fuissent, peccare tamen  
 poterant, & peccando ea rursus de libro vitæ  
 delere, adeoque erant in incertitudine perse-  
 verantiæ finalis obtinendæ, sine qua salus  
 reipsa non obtinebitur: hanc quoque salutis  
 incertitudinem sat manifeste iisdem Discipulis  
 suis inculcabat, cum eos post cœnam duceret  
 in montem Oliveti, ut secum orarent, & ten-  
 tationes vincerent: *vigilate, & orate, ut non*  
*intretis in tentationem.* Matth. 26. v. 41. No-  
 verat quidem Christus eorum zelum, & oran-  
 di fervorem, hortabatur tamen eos ad oratio-  
 nem, ut eos instrueret, vivendum esse in con-  
 tinua incertitudine, cum nescirent, utrum  
 in suo studio, ac pietatis ardore ad finem  
 usque essent perseveraturi; quare cum S. Ber-  
 nardus considerasset omnes status, nempe  
 cœli, paradisi terrestres, & hujus mundi, nul-  
 libi tamen firmitatem invenisset, dicebat:  
 „ nusquam est securitas, fratres, neque in  
 „ cœlo, neque in paradiso, multo minus in  
 „ mundo; in cœlo enim cecidit Angelus,  
 „ Adam in paradiso de loco voluptatis, Judas  
 „ in mundo de schola Salvatoris, quis modo  
 „ tutus erit? & prosequitur ulterius; qui  
 „ ardens est, & lucens per charitatem, &  
 „ gratiam, nondum se in domo esse confidat,  
 „ ubi sine omni timore ventorum accensum  
 „ lumen solet deportari, sed meminerit, se  
 „ esse sub dio, & utraque manu studeat ope-  
 „ rari, quod portat, nec credat aeri, etsi vi-  
 „ deat

„ deat esse tranquillum, repente enim, &  
 „ hora, qua non putaverit, mutabitur, & si  
 „ vel ad modicum manus remiserit, lumen  
 „ extinguetur.„ Ecce quomodo Bernardus  
 velit, vivendum esse in continua incertitudine,  
 & tu o homo ita de salute securus vivis, ut  
 cœlum tibi deberi existimes, putas, te fore  
 salvandum, quia catholicum, at scito, mul-  
 tos etiam catholicos ad inferni rogam esse con-  
 demnandos; Judex enim divinus non respiciet  
 esse catholicum, sed esse bonum catholicum,  
 solus ille, qui servat præcepta, salvus erit:  
 Operemur ergo salutem nostram in spe ac ti-  
 more.

P A R S II.

*Adeoque timore salutis.*

Cum itaque salus hominis sit prorsus incerta,  
 necessum est, quemlibet vivere in assiduo  
 salutis timore, ad quem, ut in sanctitate per-  
 maneant, etiam sanctos adhortatur S. David:  
*timete Dominum omnes sancti ejus.* Ps. 33. v. 10.  
 Timete, ne peccato libere consentientes cum  
 reliquis scelestis pereatis: hunc saluberrimum  
 salutis timorem videtur ipse hominum Plas-  
 mator Deus instillasse homini, dum eum e suo  
 nihilo eductum collocavit super illam faciem  
 terræ, quæ media est cœlum inter, & infer-  
 num, sed cur cœlum inter & infernum more-  
 tur homo? respondet Hugo a S. Victore, „ ut  
 „ sic tam cœlum, quam infernum aspiciens,  
 „ unum speraret, & alterum timeret.„ Cum-  
 que terra sat propinqua sit inferno, in  
 quem



quem alias facilis est descensus, timor Dei incautum alias hominem dirigere debet, ne, qui stat, cadat in abyssum miseriæ; hinc Christus in hoc salutis metu suos firmabat Apostolos, qui omnes in coena, quando Christus dixit: *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est*, Matth. 26. v. 21. fuerunt contristati valde. v. 22. Cur autem omnes sunt contristati, si solum unus est traditurus? timebant Apostoli, quia cognoverunt fragilitatem humanam, „ contristati sunt, ait S. Leo, non „ de conscientiae reatu, sed de humanæ fragilitatis incerto, timentes, ne minus verum „ esset, quod in se quisque noverat, quam „ quod ipsa veritas prævidebat. „ Et quis non timeat, ne forte reprobus inveniatur, cum ipsum vas electionis S. Paulus salutarem de salute sua timorem conceperit, dicens: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* I. Cor. 9. v. 27. Unde iisdem Corinthiis hanc dabat instructionem: *qui se existimant stare, videat, ne cadat.* I. Cor. 10. v. 12. trahant nos ad proficuum hunc metum pia Sanctorum exempla, qui salutare hoc monitum Apostoli observabant, o quantum timebat S. Hieronymus, ne caderet, cum se secure stare non existimaret, nam exclamat: „ si Apostolus „ cecidit, facilius Monachus (dico ego, Christianus) potest cadere, & epistola ad Demetriadem ait: quo ditior es, tanto debes „ esse vigilantior; qui enim plus possidet, plus „ debet timere, ne perdat, quod possidet. „

Per-

Percipite quoque metuentis S. Bernardi verba, ut timorem Domini addiscatis, qui ita fatur: „si sic actum est cum Angelis, quid „ de me fiet, terra & cinere? quis fortior „ Samsone, quis sapientior Salomone, san- „ ctior Davide? quid de me fiet, qui sum „ longe infirmior Samsone, insipientior Salo- „ mone, imperfectior Davide? „ Imo ipsi Dei Angeli homines ad sanctum salutis timorem admonent, hujusce rei testem adduco S. Paphnutium, de quo scribit Rufinus, quod unica die priusquam moreretur, ei Angelus apparuerit, illum ita invitans ad cœlum: veni jam benedicte, & ingrediere ea, quæ tibi debentur, æterna tabernacula; ecce! enim adsunt Prophetæ, qui te in suum suscipiant chorum, & adjecit Angelus: hoc autem tibi prius idcirco non revelavi, ut in timore salutis viveres, & ne forte elatus damnum aliquod tui laboris incurreres. Et vos peccatores, qui peccata peccatis accumulatis, de salute vestra non timetis? vos nimium de bonitate Dei præsumitis, & de severo illo Judice, qui etiam justitias judicabit, vix unquam cogitatis, credite, periculosa salus vestra est, si Sancti & pii meritis onusti timent, cur vos, qui impii, & bonis operibus vacui estis, non metuitis?

Cum itaque tam incerta sit salus nostra, in timore salutis vivendum est, ne extollamur cum Pharisæo dicentes: *non sum, sicut ceteri hominum*, Luc. 18. v. 11. sed cum publicano permaneamus in timore salutis, & humilitate, ut tandem a Deo exaltemur in cœlis. Amen.

DOM.



DOM. XI. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

*Cur homines adducentes surdum & mutum, etsi a Christo prohibiti, miraculosam tamen illius curationem, magis, ac magis divulgarent?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Homines hi divulgabant magis, & magis hanc miraculosam curationem, ut ostenderent recognitionem beneficii, 1. nam beneficia sunt grato animo recolenda, 2. & pro viribus compensanda.

T H E M A.

*Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant. Marc. 7. v. 37.*

**S**olvit hodie Christus Dominus in Evangelio vinculum linguæ surdi, & muti, ut loqueretur recte: *solutum est vinculum linguæ ejus. Marc. 7. v. 35.* Ligavit autem mandati vinculo linguam eorum, qui surdum, & mutum ad eum adduxerant: *præcepit illis, ne cui dicerent, v. 36.* solvit vinculum linguæ muti, ut ostenderet, quam pius, & misericors fit Dominus, ligavit linguas eorum, qui mutum ad-



adduxerant, ut fugeret propriam suam gloriam apud homines, qui solum quærebat gloriam sui Patris cœlestis, sed insuperhabito Christi interdicto miram illius curationem magis, ac magis divulgabant: *quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant.* Verum quis hic agendi modus! nonne vobis prohibuit Christus, ne miraculum divulgaretis, cur strictum beneficii hujus silentium non observatis? gratitudo erat, quæ linguam eorum non permittebat esse mutam erga Benefactorem, ideo, *quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant,* ut ostenderent recognitionem beneficii, 1. nam beneficia sunt grato animo recolenda, 2. & pro viribus compensanda.

P A R S I.

*Beneficia sunt grato animo recolenda.*

**I**pse benignissimus omnium Beneficiorum Largaritor Deus, & Benefactor noster munificentissimus gratum ab homine animum exigit pro acceptis beneficiis; eapropter postquam sex dierum spatio mundum hunc visibilem creavit, *benedixit diei septimo,* Gen. 2. v. 3. ac sabbatum statuit, tanquam diem, in quo grato animo beneficia recoli oporteat; ideo enim Deus homini dederat vitam, quæ continuo aeris usu, & respiratione conservatur: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Gen. 2. v. 7. Ut, teste Philone Hebræo, homo toties Deo gratias agat pro beneficiis, quoties anhelitum trahit: hæc gratiarum actio sit conti-

226 *Dominica XI. post Pentecosten.*

nua hominis operatio, quam Rupertus Abbas ab homine exercendam colligit ex verbis Gen. 2. v. 15. *Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.* Et dicit, quod hoc opus, hic labor est hominis, ut creatori suo in laude & gratiarum actione fidelem animum continuo exhibeat. Haud alia prorsus ex ratione crediderim, quod Deus in veteri testamento mandaverit, ut in altari suo ignis perpetuo conservaretur: *ignis in altari semper ardebit.* Levit. 6. v. 12. Teste enim Philone per altare intelligitur cor hominis, per ignem autem indefinens gratiarum actio; vult ergo Deus, ut homo pro beneficiis semper in corde suo iuge gratitudinis sacrificium Deo offerat, prout ejusmodi altare in corde suo semper erigebat Patriarcha Jacob, quem, cum ægrotaret, invisit filius Joseph assumptis secum duobus filiis Ephraim, & Manassen, rogavitque Patrem, ut his nepotibus suis ultimam impertiretur benedictionem, dixit ergo Jacob: *Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem, Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Gen. 48. v. 15. Bone Senecio! cur Deo non proponis tuos labores, & servitia, ut exaudiaris, cur solum commemoras te pastum, & erutum a cunctis malis? respondet S. Chrysostomus:  
 „ moribundus Jacob non recenset sua servitia,  
 „ non petit liberari a morte, totus intentus  
 „ in recensendis beneficiis, ut ostendat se  
 „ etiam in extremo vitæ halitu eorum vivam  
 „ habere memoriam, quam per totam vitam  
 „ reti-

„ retinebat.,, Insuper in ara crucis immolatum aspiciete Christum, qui Patri suo cœlesti semper gratus postmodum gratitudinis sacrificium exsolvit erga Matrem suam, dum inclinato capite tradidit spiritum, tunc non cœlum aspiciens, sed terram, ubi juxta crucem stetit Mater sua, cujus viscera, & ubera, quæ iuxit, respiciebat, ostendens grato animo vivam Materni amoris, curæ, ac beneficæ educationis memoriam: quid dicam vicissim de gratitudine B. V. Mariæ, quæ, ne unquam Deum benedicere cessaret, semper in ore hæc habuit verba: *Deo gratias*, neque aliud fere respondere solita est, ut loquitur S. Bonaventura, a qua primi Christiani didicerunt in communi congressu se salutare per voces: *Deo gratias*, ut vult S. Augustinus. Quapropter inhæreat mentibus nostris, quod dixerat idem Hippo- nensis Antistes in suis soliloq. „ sicut nulla est „ hora, vel punctum, o Domine mi, quo tuo „ beneficio non utar, sic nulla debet esse ho- „ ra, in qua te non habeam ante oculos gra- „ tias agendo.,, Jam qualis est, o homo, tua gratiarum actio, an etiam cum hominibus in Evangelio beneficia Dei divulgas? an non potius mutus es in recolendis gratanter Dei beneficiis? ecce! revoco tibi in memoriam Dei beneficia, en! Deus vitam tuam quotidie conservat, teque semper conservando, semper producit, ac nutrit, & sicut implet omne animal benedictione, etiam tibi impertitur omnem benedictionem temporalem, & spiri- tualem: te etiam copiose redemit, ad fidem



catholicam vocavit, auxiliis naturæ vires excedentibus exornavit, dona naturæ & gratiæ benignissime concessit, agnosce ergo tuum Benefactorem, ne te aliquando inveniat ingratum malefactorem.

## P A R S II.

*Et pro viribus compensanda.*

**V**erum præcipue ad compensanda Dei beneficia nos instiget gratitudo, cujus triplex veluti munus assignat S. Thomas 2. 2. q. 107. ar. 2. in c. *primum est, quod homo acceptum beneficium recognoscat: secundum est, quod laudet, & gratias agat: tertium est, quod retribuat pro loco, & tempore secundum suam facultatem.* Tertium igitur gratitudinis exercitium est, beneficia pro viribus compensare, ergo nosmetipsos cum Davide excitemus ad aliqualem saltem beneficiorum retributionem: *quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Ps. 115. v. 12. Quippe ad hanc beneficiorum compensationem hominem invitat quælibet creatura, quæ, ut ait S. Antoninus, trina voce quemlibet alloquitur, scilicet: *accipe, redde, fuge,* accipe beneficium ex me ad usum tuum, accipe, ait aer, respirationem, Ignis, accipe calorem, cœlum, accipe illuminationem, & motum, terra, accipe animalia, victualia &c. *redde obsequium tuo Benefactori, & meo creatori, qui me ideo creavit, ut tibi servirem, ego autem grata semper tibi obsequor, dum tibi servio, tu ergo in honorem Dei me utere,*  
&

& gratias age. *Fuge*, scilicet supplicium tibi paratum ob ingratitude; nam si ingrata eris, si que meis beneficiis abuti velis, aut gratias rependere negligis, una omnes pugnamus contra te, ut tuam castigemus ingratitude. Ex adverso gratitudo Deo adeo chara est, ut Benefactorem divinum ad nova semper exhibenda beneficia alliciat! hoc Christum fecisse observat S. Cyrillus in Joann. dum sæpius in Galilæam rediit, ac ibi mira patavit, sic in nuptiis Canæ Galilææ ex aqua vinum fecit, in Galilæa quoque Reguli filium curavit, hujus si quæras rationem, assignat S. Joannes c. 4. v. 45. *Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi*, nempe exceperunt eum omni honore, & reverentia ob beneficia accepta, domos suas ei offerebant, seque gratos ostendebant, pro viribus beneficia compensabant, & ideo repetitis gratiis a Christo sunt cumulati. O Christiane, confundat tuam ingratitude insignis gratitudo Pii V. Pontificis maximi, quæ eum ad aliquod beneficium sibi præstitum largiter recompensandum impulit: hic enim aliquando a Rustico, cum Bergamo noctu Mediolanum profugeret (quia inquirendo in suspectæ fidei Episcopum plures in suum exitium irritasset) in domum receptus, & pro rustica tenuitate hospitio exceptus fuit, cum ergo die, qua Pontificatus sui possessionem adibat, a Laterano ad Vaticanum delatus inter confertam aggratulantium turmam eundem hunc agricolam conspexit, eum coram esse jussit, atque

230 *Dominica XI. post Pentecosten.*

edoctus, huic pauperi duas esse filias, ut honestius illas elocaret, Pontifex filiabus bina aureorum millia, Patri vero, ut ejus inopiæ confuleretur, quingentos dedit, ac beneficium, quod ab eo semel recepit, semper grato recoluit animo. Quid dicam de eximia S. M. Theresiæ gratitudine, quæ tanta erat, ut, cum ei in via æstuanti obvius viator frigidam dedisset, leve hoc beneficium pro viribus compensare sollicita, per aliquot annos pro ejus salute se Deo supplicaturam promitteret: merito proin quotidie Ecclesia militans præcipit recitari horas canonicas, in quibus supremo Numini continuæ laudes, benedictiones, & gratiarum actiones offeruntur, ac quilibet Psalmus ita clauditur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &* frequentius hæc vox: *Deo gratias*, replicatur. Et tu ingratus homo, pro beneficiis non raro das injurias Benefactoribus tuis, o quam sæpe ingratus es tuis parentibus, a quibus habes tuum esse, quam ingratus tuis Præceptoribus, a quibus habes bene esse, quam ingratus tuis amicis, qui te in necessitatibus tuis juvarunt: & si peccas tuis benefactoribus non benefaciendo, quam grave erit scelus, si illis retribuisti malefaciendo.

Gratias igitur agamus Domino Deo nostro pro omnibus beneficiis; nam dignum & justum est, beneficia ejus grato animo rependere, & quantum valemus, compensare, faciamus, quod facere nos jubet Apostolus:  
*Omne,*



Omne, quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi gratias agentes Deo, & Patri per ipsum. Col. 3. v. 17. Insimul autem, quia gratiarum actio est nova petitio, rogemus Dei clementiam, ut aperiat manum suam, & ulterius nos impleat omni benedictione temporali, & spiritali. Amen.



QUÆSTIO SACRA II.

*Quinam loquantur recte?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Illi recte loquuntur, quorum verba sunt 1. rara, 2. vera, 3. & ponderosa.

T H E M A.

*Loquebatur recte.* Marc. 7. v. 35.

**M**e hercle, ars artium est recte loqui, non semper loqui bonum est, nec semper tacere laudabile, hinc sapiens sapienter dixit: *tempus tacendi, & tempus loquendi.* Ecclesiastis 3. v. 7. In hac arte cum Evangelicus ille mutus & surdus omnino non ageret Discipulum, sane verbum incarnatum solvit vinculum linguæ ejus, ut recta proferret verba: *loquebatur recte.* O quam raro fit quis in arte recte loquendi Magister, cum vix bonus sit Discipulus in ea; est enim ars longa recte loqui. Quæstio jam se offert, quinam loquan-

tur recte? huic quæstioni recte respondet S. Bernardus dicens de ord. vitæ, „ Cum loqueris, verba tua sint rara, vera, ponderosa. „ Loquuntur ergo recte, quorum verba sunt 1. rara, 2. vera, 3. & ponderosa.

## P A R S I.

*Verba sint rara.*

**U**t ordinata sit vita hominis, teste S. Bernardo de ord. vitæ, rara sint verba hominis, tacendum potius, quam loquendum. Intueamur in arte recte loquendi expertissimum Magistrum Davidem, qui etiam adhuc juvenis rara proferebat verba: mittebatur tunc a Patre suo Isai ad fratres suos, qui duris in eum verbis invehebantur, dicebat Eliab ad eum: *quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? ego novi superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia ut videres prælium, descendisti.* 1. Reg. 17. v. 28. At audite, quam pauca fuerint Davidis verba: *quid feci, nunquid non verbum est, & declinavit paululum ab eo ad alium.* v. 29. & ideo, quod juvenis suescit, nec ut vir adultus dimittere nescit, de se ipso ita loquens: *cum consisteret peccator adversum me, obmutui, & non aperui os meum.* Ps. 38. v. 2. & 10. rara loquela est obmutescere, ubi loqui haud consultum est, ut vero raro loqui discamus, scholam Pythagoræ ingrediamur, de quo scribit S. Antoninus 3. p. t. 16. c. 8. quod Discipulos suos per quinquennium silere jussit, ut recte loqui addiscerent. Habemus  
hac

hac in arte recte loquendi Magistram longe expertissimam S. Theresiam, quæ quando erat in itinere constituta, dabat signum tacendi in curru campanula quadam ad id studiose assumpta, ut illius fonitu tempus silentii indigaret; hinc in Monasterio Medinæ campi ita silentium instituebat, ut integri dies transirent, quin in Monasterio aliquod verbum audiretur, imo aliquæ Moniales obliviscerentur loqui, & Francisca a Jesu ejusdem Monasterii Monialis communes res suo proprio nomine non amplius appellare sciret; hanc artem recte loquendi, & rara verba proferendi didicerat Theresia ab antiquis Patribus, qui raro, adeoque recte loquebantur. Spectate S. Macarium, quam raro loqueretur, ille, peracta oratione, & recepta sacra communione e templo cum suis egrediens solitus erat ad eos dicere: fugite fratres fugite, quærentibus, autem quorsum fugerent? respondit digito ori imposito in signum, ut linguam bene custodirent, quod etiam tam sancte observabant, ut & a communi salutatione abstinerent. Jam, o homo, considera verba tua, nonne per integras horas, imo quandoque per totum diem garris? & utinam non proferres verba peccaminosa, vana, inutilia, detractoria, ac proximo tuo nociva, ecce! sic garrere non est recte loqui, cum raro sit loquendum.



## P A R S II.

*Vera.*

**N**on solum rara, sed & vera oportet esse verba nostra: cum loqueris, ait Doctor mellifluus, verba tua sint rara, vera: ut autem vera proferamus, linguam nostram erudit Magister cœlestis Spiritus sanctus in libro Ecclesiastici c. 37. v. 20. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te.* & c. 28. v. 29. *verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos.* Et quis non studeat verba enuntiare vera, quæ viam pandunt ad tabernaculum cœlestem? nam sciscitatur David: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Ps. 14. v. 1. Et ecce! vocat ad tabernaculum hoc divinum veritatis amatorem, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, v. 3. de tabernaculi enim hujus cœlestis Domino scriptum est: *veritatem dilexisti.* Ps. 50. v. 8. O veritas verborum, quæ etiam ad ipsum Thronum æternæ veritatis Dei evehis; dicitur enim in apocalypsi de centum quadraginta quatuor millibus, quod stent ante Thronum Dei, & habitent in monte, quia veritatem loquentes mendacium non dixerunt: *In ore eorum non est inventum mendacium.* Apoc. 14. v. 5. Et ideo quoque S. Theresia non volebat in ore suo inveniri mendacium, cum diceret c. 40. vitæ suæ: „ in me magnum remansit desiderium nil loquendi, quam verba vera, & in prol. fund.  
„ non

„ non vellem loqui mendacium pro universo  
 „ mundo; quapropter hanc recte loquendi ar-  
 „ tem omnibus addiscendam commendabat,  
 „ dicens: in via perfect. c. 2. „ Facite, ut  
 in cordibus vestris veritas locum inveniat.  
 Quænam autem, o Christiane, sunt verba  
 tua? o quot ex ore tuo verba mendacia &  
 dolosa egrediuntur, imo etiam tam invetera-  
 tam mentiendi consuetudinem contraxisti, ut  
 ne quidem te mentiri amplius animadvertas.  
 Loquere in posterum vera, ut recte loquaris.

P A R S III.

*Et ponderosa.*


**D**emum ut recte loquamur, verba ponde-  
 rosa a nobis requirit Clarevallisensis Abbas,  
 dicens: cum loqueris, verba tua sint rara,  
 vera, & ponderosa, id est, bene prius per-  
 pensa, & iusta sanæ rationis trutina ponderata,  
 quod nobis clavis insinuat verbis Ecclesiasti-  
 cus, dum inquit c. 21. v. 28. *Labia impru-  
 dentium stulta narrabunt, verba autem pruden-  
 tium statera ponderabuntur.* Ideo, opinio est  
 S. Doctoris Angelici, natura provida mater  
 pluribus animalibus auditum quidem, loque-  
 lam autem soli homini dedit, ut ex hoc ad-  
 moneremur, quod locutio debeat esse rationa-  
 bilis, id est, ponderosa: ita hortatur S. Job  
 omnes, dum ait: *supponite digitum ori vestro.*  
 Job. 21. v. 5. Audite desuper interpretatio-  
 nibus S. Gregorii, qui moral. L. 15. c. 22.  
 per digitum intelligit discretam rei pondera-  
 tionem.

tionem, vultque verba nostra discretionis statera esse ponderanda: huic S. Gregorii menti adstipulatur quoque S. Ambrosius in Ps. 118. inquiring: impone pondus, ut cauto omnia, quæ loquimur, trutinemus examine. Si vis itaque justitiam conservare, recte loquaris necesse est, *os enim justii meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Ps. 36. v. 30. Ecce quomodo S. David adjungat verbis meditationem, ut significet, bene considerata, & attenta meditatione prius ponderata debere esse verba nostra; sicut enim horologium non emittit ordinatum sonum sine pondere, ut canit symbolista: non sine pondere sonus, sic nullus verborum sonus ex ore nostro procedat sine pondere discretionis, unde sapientissimum reliquit monitum S. Theresia monit. 10., nunquam quid loquere, quod prius non bene perpendisti., O quam alia sunt verba hominum hac nostra ætate, sunt inconsiderata plerumque, quæ ipsi proferenti maximum damnum inferunt; sunt jocosa, quæ sæpius excitant rixas, contentiones, & contumelias, sunt mere politica, quæ Christiana carent sinceritate, deest eis pondus sanæ rationis, & ideo lædunt animam nostram.

Ut igitur cum hodierno muto recte loquamur, sint verba nostra rara, loquamur raro in hac vita, ut in altera indefinenter loquamur de verbo Patris æterno, & infinito, sint vera, ut perveniamus ad illum, qui est veritas æterna, sint ponderosa, ne delinquamus  
lingua.



lingua, ligemus hic linguam nostram per discretum silentium, ut aliquando solvatur in perpetuas laudes Dei Patris, & filii, & spiritus sancti. Amen.



QUÆSTIO SACRA III.

*Quinam. adhuc possunt dici recte loqui?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Recte loquuntur silentiosi, 1. nam silentium in via perfectionis incipientes purgat, 2. proficientes perficit, 3. & perfectos unit Deo.

T H E M A.

*Loquebatur recte. Marc. 7. v. 35.*

**S**icut relaxatio linguæ est *universitas iniquitatis*, Jac. 3. v. 6. Sic refrœnatio ejusdem est *recta locutio*; nam *si quis putat se religiosum esse, non refrœnans linguam suam, hujus vana est religio.* Jac. 1. v. 26. Os clausum est fons signatus, ex quo meritorum aquæ profluunt; animadverto igitur priori quæstioni proposito adhuc posse responderi, non loqui esse recte loqui, seu recte loqui silentiosos, 1. nam silentium in via perfectionis incipientes purgat, 2. proficientes perficit, 3. & perfectos unit Deo.

## P A R S I.

*Silentium in via perfectionis incipientes purgat.*

**I**n via perfectionis, in qua Christianus homo a malo vitiorum tramite recedit, & ad bonum se convertit, plane silentium est, quod hominem summo opere custodit, fovet, protegit, atque defendit; siquidem magnum dat robur, ut in via purgativa irruentes vitiorum ursos, & Leones cum Davide debellemus, & parvulas malarum consuetudinum, & peccatorum venialium vulpeculas, quæ vineam animæ subruunt, extirpemus: *in silentio*, ait Isaias c. 30. v. 15. *erit fortitudo vestra.* Sicut silentium Hebræos tutabatur in via, ne in antiquam Pharaonis servitutem relaberentur, ita silentium Christianum hominem in via purgativa custodit, ne in duram infernalis Pharaonis captivitatem detrudatur; insequeretur Pharaon cum toto suo copioso exercitu fugientes filios Israel, & simul erat magnum periculum reincidenti in Pharaonicam servitutem; nam coram se habebant mare rubrum, retro hostes insequentes, quid igitur consilii? ecce! mandavit Deus eorum Duci Moysi, ut eis silentium præciperet, *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Exod. 14. v. 14. Et hoc ipsum Hebræorum silentium devicit Pharaonem, præcipitavit illum cum suo exercitu in mare rubrum, filiosque Israel restituit libertati: allaborat & nos Diabolus implicare duræ peccatorum servituti, sed in silentio erit fortitudo nostra, ut & nos similem cum Israelitis fortem

tem habentes taciturni, sicut illi suos visibiles, sic nos invisibiles nostros hostes vincamus. Ita vicit diabolus magnus Eremita Arsenius, postquam per silentium ingressus est viam purgativam se a pristinis erratis purgans; quippe cum se in oratione ad statum perfectionis, inque hoc primo ad viam purgationis amplectendam obligasset, hanc divinam vocem audivit: Arseni fuge, tace, quiesce, sicque incæpit esse justus coram Deo, nam ait Origenes tract. 23. in Matth. proprium est justi tacere. Mirabilem hanc silentii vim, ac virtutem experta est B. Maria œniacensis, quam silentium in hoc sæculo ita purgabat, ut in altero purgari non indigeret; edocta enim a Spiritu sancto fuit, quod post mortem nullatenus sit purganda amplius, eoquod a festo exaltationis sanctæ crucis usque ad Nativitatem Christi nec unicum verbulum locuta fuisset. Hæc si æqua animi tui lance trutinæ, o homo, non mireris, quod tam impurus sis, & tot quotidie committas peccata venialia, ecce! te necdum comitatur silentium in via, ut purgeris a vitiis, linguæ tuæ nimis garrulæ freno laxas, ac ubique loquendi occasiones quæris, a quibus postea coinquinatus domum redis, audi dicentem Thomam Kempensem L. 1. de imit. Christi c. 10. *vellem, inquit ille, me pluries tacuisse, & inter homines non fuisse.*



## P A R S II.

*Proficientes perficit.*

**L**ætetur de silentio tanquam fidelissimo comite in via, quo etiam per illuminativæ vitæ gradus ad Deum perducimur, gaudeamus de securissimo hoc duce silentio, quod hominem in via virtutum ita illustrat, ut proficienti ulterior clara lux oriatur, Deum suum ultimum finem cognoscat, ardentius diligat, & a virtute in virtutem progrediatur: quapropter haud immerito S. Antiochus homil. 103. inquebat: silentium jure censetur esse Mater virtutum, ac vigilantissima (ut in Bibliotheca Patrum legere est) earundem custodia. Interrogate, si lubet, magnum illud virtutum lumen S. Thomam Aquinatem, quo duce viam virtutum invenerit, quo Magistro in virtutum studio profecerit? ducem allegabit silentium; quippe silentio ita erat deditus Thomas, ut condiscipuli ejus illum per ludibrium appellaverint bovem mutum, verumtamen bos hic mutus ita mugit per universum orbem, ut peccatorum lethargo sepultos ad pœnitentiæ vitam suscitavit, hæreticos terrefecerit, totumque, qua late patet, terrarum orbem clarissimo suarum virtutum splendore illustraverit, ita, ut jam non bos mutus, sed Doctor Angelicus audiret. Consulite antiquos Eremitas, per quid ad viam illuminationis, seu viam virtutum pervenerint, percipietis a S. Hieronymo, hanc semitam ipsis fuisse monstratam silentii digito; ait enim

enim hic Bethlehemiticus Doctor ad Eustochium Virginem, quod plurimos in eremis invenerit, qui per septennium nec unicum verbum ad invicem sunt locuti; unde haud inconcinne S. Ephrem in laudem silentii loquens hac utitur comparatione: sicut ager, vel hortus, si muro, vel sepe est circumdatus, spem facit fructuum, e contrario, si omnibus prætereuntibus pervius est, & patulus, raro fructus maturefcunt, ita si ager cordis nostri valido silentii muro est cinctus, pulcherrimos virtutum fructus progerminabit, si vero oris sui ostium omni verbo apertum prostat, cordis tui vinea virtutum fructibus spoliabitur. Quale jam est, o Christiane, tuum silentium, cujus lingua semper proclivis est ad proferenda vana & inutilia verba? quid mirum, quod in virtute non proficias, cum multum in silentio deficias? quid mirum, quod nullus devotionis fervor te inflammet, quem nimia garrulitas ad vana objecta distrahit? quid mirum, quod vitam ducas dissolutam, cujus lingua semper est soluta, cui tamen monente Ecclesiastico. c. 28. v. 29. recti frœni essent ponendi: *Verbis tuis facito stateram, & frœnos ori tuo rectos,* & ulterius v. 30. *attende, ne forte labaris in lingua.*

P A R S III.

*Et perfectos unit Deo.*

**F**elix plane itineris comes sacrum silentium, quod hominem trahit ipsa sua taciturnitate ad rectam unionis perfectæ viam, in qua

*P. Friderici a Jesu P. Dom. Tom. II. Q pro-*



progrediens homo perfecto amoris vinculo  
 unitur Deo, ut totus internæ devotioni, &  
 supernæ contemplationi incumbat; quid enim  
 perfectissimum excitat in nobis amorem Dei?  
 hunc excitat silentium, ait S. Antiochus ho-  
 mil. 103. „ silentii amator non potest non a Deo  
 „ diligere. „ Quid accendit in corde humano ignem  
 internæ devotionis? accendit silentium, „ ta-  
 „ centes, inquit Venetiarum Patriarcha S. Lau-  
 „ rentius Justinianus, Dominus devotione visi-  
 tat. „ Quid promovet ad altam divinarum re-  
 rum contemplationem? promovet silentium,  
 quod in Bibliotheca Patrum vocatur contem-  
 plationis informator; eapropter & S. Hiero-  
 nymus dicit in Reg. Monach. c. 22. quod  
 ideo veteres Eremitæ silentium tam magni  
 æstimaverint, quia erat causa sanctæ con-  
 templationis. Intueamur S. Mariam Magda-  
 lenam perfectissimum hoc vitæ contemplativæ  
 exemplum, quomodo in silentio fuerit forti-  
 tudo ejus, accedamus domum Pharisei, in  
 qua Christus manducabat, audiemus ibi con-  
 tumelias, & injurias a Phariseo Magdalenæ  
 illatas, at videbimus simul Magdalenam os  
 suum non aperientem, nec se defendentem,  
 sed eam potius spectabimus in omni silentio  
 provolutam ad pedes Jesu: consideremus ean-  
 dem Magdalenam in Bethania, corripitur a  
 sorore, quod eam non adjuvaret in præparan-  
 do prandio pro Magistro suo, Magdalena ta-  
 men tacebat, nec unicum verbum respon-  
 dens, unde a Domino his verbis commendari  
 meruit: *Maria optimam partem elegit, quæ non*  
*ause-*



*auferetur ab ea.* Luc. 10. v. 43. Non minus mirum erat silentium in ædificatione templi Jerosolymitani, erant ibi *Salomoni septaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte absque Præpositis, qui præerant singulis operibus trium millium, & trecentorum præcipientium populo, & his, qui faciebant opus.* 3. Reg. 5. v. 15. &c. & tamen, o admirabile silentium, *malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.* 3. Reg. 6. v. 7. Si tam religiosum Deus petebat silentium in hoc suo materiali templo, quid dicam de templo spirituali, quod est ipsum cor hominis: *vos estis templum Dei vivi.* 2. Cor. 6. v. 16. Unde omnino apposite inquit Petrus Damiani: „si „ strepitus humani colloquii cessat, in corde „ humano ædificatur templum spiritus sancti.„ Quid proin mirum est, quod in te, o homo, nulla devotio vera, nullus recollectionis internæ spiritus reperitur, cum os tuum semper aperias data quacunque occasione in verba minus necessaria, aut omnino inutilia, imo non raro peccaminosa; nam *in multiloquio non deerit peccatum.* Prov. 10. v. 19. Unde sane provenit, quod nullum gradum unionis cum Deo in hac vita consequaris, imo & in certissimo periculo verferis, ne per tuam nimiam garrulitatem æternam cum Deo unionem in coelis amittas.

Quotquot igitur ad perfectionem tenditis, quotquot intratis viam purgationis, silentium

amate, ut vitia & peccata superetis, quotquot jam ingressi estis viam illuminationis, silentium in comitem assumite, ut vos dirigat de virtute in virtutem, tandem quotquot in via unionis estis, iter vestrum prosequamini silentio duce, quod mentes vestras elevabit, solique Deo uniet, recte loquamini, & recta via procedetis ad patriam cœlestem. Amen.



DOM. XII. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quid doceat nos hodierna Christi interrogatio: in lege quid scriptum est?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus ita interrogans Legisperitum docet nos, assumendam esse lectionem sacram, 1. quæ intellectum illuminat ad rerum divinarum cognitionem, 2. & voluntatem inflammat ad Dei amorem.

T H E M A.

*In lege, quid scriptum est? quomodo legis?*  
Luc. 10. v. 26.

**S**chola Christi schola divinæ veritatis est, in qua ipsemet Christus Dominus Magister docens est, qui de se fatetur Joann. 14. v. 6. *ego sum via, & veritas, & vita.* Hanc Christi scho-

scholam accessit hodie quidam Legisperitus, non quidem addiscendi animo, sed divinissimum scholæ hujus Magistrum tentandi studio, *tentans eum*. Luc. 10. v. 25. proponit aitutus hic discipulus quæstionem hanc: *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* v. 26. Attamen occurrit coelestis Magister quæstioni huic per aliam quæstionem, interrogans Legisperitum: *in lege quid scriptum est? quomodo legis?* instruit autem illum per hanc interrogationem ad pietatis opera peragenda, simulque solvit quæstionem nostram hodiernam, quæ talis est, quid doceat nos Christi interrogatio? *in lege quid scriptum est?* sciscitatur namque Magister coelestis: *quomodo legis?* & ita Christus interrogans docet nobis assumendam esse piam lectionem, 1. quæ intellectum illuminat ad rerum divinarum cognitionem, 2. & voluntatem inflamat ad Dei Amorem.

P A R S I.

*Lectio sacra intellectum illuminat ad rerum divinarum cognitionem.*

Quisquis superiori lumine in cognoscendis divinis mysteriis intellectum suum illuminari desiderat, lectionem spiritualem assumat necesse est; hæc enim est quædam Dei epistola nobis missa, erudiens nos in omni veritate: adduco hanc in rem testes ipsosmet Domini Discipulos euntes in Emmaus, qui suum Magistrum coelestem non agnoscebant, donec is de sacrorum voluminum interpretationibus



246 *Dominica XII. post Pentecosten.*

sermonem cum eis instituisse, atque in iis re-  
 fricasset memoriam eorum, quæ legerant.  
 Miramini forte, quod latro in cruce subito e  
 cathedra crucis factus sit legis Doctor, qui ti-  
 morem Dei edocebat increpans suum ejusdem  
 olim damnationis socium: *neque tu times Deum.*  
 Luc. 23. v. 41. Dictat is peccata esse confi-  
 tenda: *nos quidem juste, nam digna factis reci-*  
*pimus.* v. 42. prædicat innocentiam Christi:  
*hic vero nihil mali gessit.* 42. Fatetur, Christum  
 esse supremum Dominum: *Domine memento*  
*mei.* v. 42. Quæretis, unde hic latro hause-  
 rit sapientiam, & illuminationem intellectus  
 sui? respondentem percipitote Arnoldum, qui  
 illustrationem hanc latronis adscribit lectioni  
 libri sacri, qui Christus erat, signatus sigillis  
 septem, qui apertus est in cruce, ut omnia  
 virtutum exempla legerentur: titulus hujus  
 libri erat: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum,*  
 hunc librum juxta se positum inspiciebat latro,  
 legit attente virtutum characteres, didicit  
 omnem sanctitatem, & fuit illuminatus intel-  
 lectus illius ad rerum divinarum cognitionem.  
 Quis non obstupescat clarissimam illuminatio-  
 nem intellectus illius, quæ est, & dicitur *se-*  
*des sapientiæ,* hæc tam copiose superno lumine  
 fuit præventa, ut illustrata cognosceret altissi-  
 mum incarnationis mysterium: & ecce! spi-  
 ritualis lectio tanta luce intellectum Beatissimæ  
 Virginis affundebat, ut caperet, quæ sunt  
 spiritus; nam quando venit ad eam Angelus  
 Gabriel, ipsa tum lectioni Prophetiæ Prophe-  
 tæ evangelici scilicet Isaïæ intenta erat. Quis,  
 quæ-

quæso, gloriosam Martyrem effecit S. Eugeni-  
 am, nonne lectio spiritualis? hæc enim,  
 cum antea Philosophiæ operam dedisset, tan-  
 dem in epistolas S. Pauli incidens, easque  
 perlegens, intellectu suo tam alte in corde  
 suo omnia Doctoris gentium verba conserva-  
 bat, ut cognita idolorum falsitate sacro fonte  
 ablui petierit, & in rerum divinarum cogni-  
 tione admodum illuminata pro fide sanguinem  
 suum fuderit. Nonne Lectio spiritualis intel-  
 lectum Augustini illuminabat ad divinorum  
 cognitionem, qui prius fidei Catholicæ inimi-  
 cus ad illuminationem supernaturalem perdu-  
 ctus fuit per hæc, quæ audivit, verba: *tolle,*  
*lege,* quo facto ipsemet fatetur: arripui, ape-  
 rui, & legi, fui illuminatus, & tenebræ ab-  
 fcefferunt; mox enim, ut S. Pauli Apostoli  
 epistolas legere cœperat, magnum lumen sibi  
 dari sentiebat; hinc ait illuminatus hic Doctor:  
 „ cum oramus, ipsi cum Deo loquimur, cum  
 „ vero legimus, Deus nobiscum loquitur.. Non-  
 ne S. Ignatius Loyola, eo quod ex vulnere in  
 oppugnatione civitatis Pampelonensis accepto  
 decumbens assidua lectione libri spiritualis se  
 reficeret, ad tantam rerum coelestium noti-  
 tiam pervenit? Quare optime Alphonsus Ar-  
 ragoniæ Rex dicere solebat: optimi consilarii  
 sunt mortui, libros scilicet designans, a qui-  
 bus sine metu, quæ nosse cuperet, fideliter  
 audiret; amplectenda proin est salutaris S. Pauli  
 instructio, quam dederat suo Timotheo: *at-  
 tende lectioni, exhortationi, & Doctrinæ.* 1. Ti-  
 moth. 4. v. 13. Cur autem ita, o Christiane



rudis es in cognoscendis fidei articulis, in doctrina Christiana, ac morali? nonne, quia raro tibi obvenit Evangelici libri, legisque lectio, quia sacros libros pervolvere fastidis? forte etiam in tota domo tua non est invenendus liber sacer, ac spiritualis, legis quidem, sed libros profanos, inutiles, & forte etiam tales, qui hæresin sapiunt, bonos mores labefactant, & Religionem, ac pietatem lædunt.

## P A R S II.

*Et voluntatem inflammat ad Dei amorem.*

**Q**uis fatis deprædicet eximiam utilitatem, quam affert lectio sacra, quæ non modo intellectum hominis illuminat ad cognoscenda supernaturalia mysteria, sed & voluntatem ad ardentissimum Dei amorem accendit; dum enim libros devotos evolvimus, cor nostrum liquefcit in lacrimas suavitatis & teneritudinis, prout sæpius S. Philippo Nerio eveniebat, cum vitas sanctorum legeret: „lectio enim pia, „ inquit Cassiodorus, modo movet ad charitatem Dei, & proximi, modo ut sæculi peritura contemnas, modo ut cælum cogites, „ patientiam monet, spem tribuit, humilitatem laudat, superbiam accusat.„ Unde putatis Josiam piissimum Regem ad tantam sanctitatem, & Dei amorem pervenisse, ut omnia idola, & falsos Deos in terram prosterneret, & solum Deum verum, ac vivum adoraret, simulque intensissimo amore complecteretur? hos salutare animæ suæ fructus colligebat



gebat ex lectione spirituali; ait namque Petrus  
 Blessensis: „ certe Josias Rex Juda, cum in  
 „ ejus praesentia Deuteronomium legeretur,  
 „ licet puer esset, audiens comminationes, le-  
 „ gis, timore percussus est, scissisque vestibus,  
 „ sedit, & flevit coram Domino totus in Dei  
 „ amore inflammatus. „ Quis silentio prae-  
 „ tereat pietatem Machabæorum, qui licet un-  
 „ dique ab inimicis premerentur, nihilominus  
 „ voluntate in Dei amore accensa dicebant glo-  
 „ riantes: *habentes solatio sanctos libros, qui sunt*  
*in manibus nostris?* 1. Mach. 12. v. 9. Quis  
 non miratur in Eunucho religionis amorem?  
 pergebat cum Philippo Eunuchus ille Reginae  
 Candacis, videns aquam, petit baptizari, ba-  
 ptizatur, unde autem in homine barbaro tam  
 vehemens baptismatis desiderium, unde in  
 aethiope isto amplectendae verae Religionis  
 cupido? *revertebatur*, ait de illo S. Lucas  
 Act. 8. v. 28. *sedens super currum suum, legens-*  
*que Isaiam Prophetam.* Magna erat diligentia  
 ejus, qui etiam in curru sedens legebat; quid  
 igitur mirum, si lectio haec spiritualis volun-  
 tatem ejus ad Dei amorem in baptismo plenius  
 recipiendum inflammavit. Unde S. Cæcilie Vir-  
 gini gloriosae tanta voluntatis inflammatio in  
 Dei amore? nonne ex lectione spirituali, quam  
 virgo pia frequentabat; quippe contra suam  
 voluntatem Valeriano desponsata eundem ad  
 amorem divinum accendebat, quia, ut legi-  
 mus in Breviario, *Evangelium Christi gere at*  
*in pectore.* Unde tam ardens inflammatio S.  
 Theresiae in Seraphico Dei amore? certe ex

250 *Dominica XII. post Pentecosten.*

lectione spirituali, cui ipsamet amorem suum adscribebat, dum narrat, quod cum Fratre suo Roderico amoris æstu percita perlegerit gloriosa Martyrum Martyria, ideo etiam hunc fratrem suum ad ardentio rem adhuc Dei amorem adeo inflammabat, ut ambo pro Christo sanguinem fundere æstuarent, insuper eadem fatetur in vita sua: vitam spiritualem exinde haurire cœpi, quod librorum spiritualium amatrix facta fuerim, & cum singulari complacentia S. Hieronymi epistolas legerim, quibus adeo religiosæ vitæ desiderio affecta fui, ut id ipsum Parenti meo manifestare statuerim, quo facto habitum religiosum jam induisse mihi videbar. Et tu o Christiane legis cum multasatietate, ac nimio affectu libros, de rebus vanis agentes, historias profanas, fabulas, jocos, novellas; quid igitur mirum, quod voluntas tua non ardeat Dei amore? amor enim vanitatis non admittit amorem sanctitatis.

Ut itaque intellectus noster illuminetur ad divinarum rerum cognitionem, & voluntas inflammetur ad Dei amorem, lectioni spirituali incumbamus, observemus sanctum consilium, quod dederat S. Hieronymus Eustocho Virgini, hæc ad eam perscribens: „ crebrius lege, disce quam plurima, tenenti codicem „ somnus obrepit, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat. „ Hæc pariter facientes, & pie legentes nomina nostra in libro vitæ scribi gaudebimus. Amen.

QUÆ-

QUÆSTIO SACRA II.

*Quomodo Deus ex toto corde possit diligi?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Diligitur Deus ex toto corde, si diligitur,  
1. solus, 2. super omnia, 3. & in omnibus.

T H E M A.

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Luc. 10. v. 27.

**A**dmirabilis bonitas Dei, qui etiam dulcissimum hoc nobis imponit præceptum, ut illum ex toto corde diligamus: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Magne Deus! ergone Dei amorem præcipere voluisti, cum ipsa natura amare assueta, ad diligendum optimum bonum, quale tu o Deus es, suavi impellatur, cum posse Deum diligere, summa sit dignatio, suprema felicitas? nihilominus præcipitur nobis: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Verum in hoc præcepto habemus totum Christianæ legis compendium: ecce! quam suave jugum, & onus leve sit servire Deo, quem diligere permitteris, imo & juberis, quia Dominus, quia Deus, quia tuus est: nos omnes servi sumus magni Dei, dicente David Ps. 115. v. 16. *o Domine, quia ego servus tuus.* Deus noster Dominus Dominantium est, a servis diligi petit: Deus est,



est, per quem omnia, & nos per ipsum. 1. Cor. 8. v. 6. Et ideo amabilis est: tuus est, utpote nobis natus, nobis datus, adeoque & a nobis diligendus. At quæstio modo est, quomodo Deus ex toto corde possit diligi? responsio sit, Deum diligi ex toto corde, si diligitur 1. solus, 2. super omnia, 3. & in omnibus.

## P A R S I.

*Diligendus est Deus solus.*

**A**mor, ut verus, & perfectus sit, ad unicum, & solum tendere debet objectum suum: hoc agnovit non fidei, sed solius naturæ lumine illustratus Aristoteles, dum ait: perfectus amor non est, nisi ad unum: Merito igitur diligendus est Deus, qui unus est, & solus summa, ac infinita bonitas: indivisibilis est, amorem suum dividi non patitur, quod haud obscure nobis significabat in veteri testamento, in quo Levit. 1. v. 17. Præcepit Deus, ut quoties populus avem sibi offerret, eam non divideret in partes, sed integram immolaret, cum tamen cetera pecora ad sacrificium destinata dividenda essent; quapropter Abraham Deo suo sacrificans universa divisit, aves autem non divisit. Gen. 15. v. 10. Hujus vero discriminis rationem præbent S. Isidorus, Rupertus, & alii dicentes, quod inde discamus cor nostrum, quod sicut avis ad cælum sursum tendat, non scindere, sed totum soli Deo offerre; solum enim carnales homines, qui pecorum nomine denotantur, amorem suum

suum dividunt in varias partes, & objecta, quibus adhærent, spirituales autem homines, quorum symbolum aves, & volatilia sunt, integro corpore in altum volare intendunt ad divinum justitiæ solem, quem solum irretortis mentis oculis respiciunt, ut solum diligant, scindere cor nolunt, ne diligere desinant: quid dicam de pura illa columba in canticis, de qua sponsus ait: *columba mea*, Cant. 2. v. 14. Erat conversatio ejus in cœlis, solum diligebat sponsum, qui se ejus quoque amore vulneratum libere profitetur: *Sponsa, vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum*. Cant. 4. v. 9. Diligebat sponsa non creaturas, sed creatorem, non commutabile, sed incommutabile bonum, haud absimilis cuidam jaculatori, qui sagittam, vel glandem plumbeam in medium scopi præfixi evibrare nititur, hic ut securius ictum efficiat, unum oculum claudere solet: ita etiam sponsa unum oculorum suorum claudebat, nempe ad res terrenas, ut alterum affectus sui oculum tanto vehementius in Deum defigat suum, eumque solum diligat. Et cur non solum Deum diligamus, qui solum etiam hominem millenis præ ceteris creaturis cumulavit beneficiis? quare enim existimatis, quod ipse Deus homo fieri voluerit? cur Pater æternus pro redimendo homine non misit Angelum, sed unicum suum filium in eadem secum divinitate subsistentem? percipite desuper egregiam S. Anselmi responsionem, hoc factum esse, ut ipsum solum, tanquam unicum nostrum bonum diligamus, & non habeamus

occa-

occasionem, amorem nostrum dividendi in duas partes, unam tribuendo ipsi ut creatori alteram Angelo ut Redemptori; hinc ait: „ qui creavit te, ipse redemit te, ne amorem „ tuum divideres, partem creatori, & partem „ tribuens Redemptori. „ Hunc indivisibilem amorem nobis indigitat Idiota, dum considerans factum Judæorum, qui tunicam Christi crucifixi non diviserunt, hisce exclamat verbis: amor neque dividi debet, neque scindi, & qui eum dividunt, pejores videntur, quam milites, qui Christum crucifigentes ejus tunicam dividere noluerunt. Placet proin responso, quam aliquando B. Ægydius Ordinis S. Francisci percunctanti, quid Deo gratissimum foret? dabat, nempe: unum uni, unum uni, unum cor, uni Deo. Jam examina te o homo, an solum Deum diligas, an non potius velis duobus Dominis servire, Deo, & Mammonæ, vide, an non dividas amorem inter creatorem, & creaturam, an non affectus tuos in bono commutabili figas? hoc non est amare Deum, qui solus diligi desiderat; minus enim diligit Deum, qui præter Deum aliquid diligit: Zelotypus est Deus, qui penes se non admittit amoris æmulum.

## P A R S II.

*Super omnia.*

**D**eus, qui omne bonum est, utpote in se eminentissimo modo continens, quidquid rationem boni habet, diligendus est etiam super



per omnia, seu appetitive, ut loquuntur Theologi, id est, ut nihil in comparatione Dei æstimemus, sed pro Deo omnia parvè pendamus ita, ut si honorem, divitias, famen, salutem, vitam, vel Deum omittere debeamus, reliqua omnia prius essent relinquenda; nam qui Deum amat, alia omnia despicit, & eum solum, quem amat, respicit. Ipsissimum hoc Deus, qui charitas est, manifestabat his præcepti verbis: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Quæ verba multa meditatione ponderabat S. Antonius Paduanus, singulariter inquirens, cur addatur in hoc præcepto particula: *tuum?* cur non dixerit summus legislator: *diliges Dominum Deum*, quæ verba utique totam præcepti summam declararent? at respondet hic sanctus Pater, experientia comprobatum esse, quod homo naturali amore magis feratur erga rem suam, non item erga rem alienam, prout Mater plus amat suam prolem uterinam, quam aliam: jam quid tibi o homo magis proprium & tuum est, quam ipse Deus, qui potius tibi tuus est, quam tu ipse tibi? tuum ergo Deum dilige super omnia. Hoc sane modo, Deum ut suum, & super omnia dilexit David, qui creaturas omnes fastidians, & solum Dei languens amore, ac in extasi raptus exclamabat: *quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram?* Pf. 72. v. 25. Et quis non redamet amantem Deum, qui pro omnibus, quæ retribuit nobis, nil aliud exigit, nisi amorem? hunc in finem coelestis hic sponsus Cant. 8. v. 6. ajebat  
ad

ad sponsam: *pone me, ut signaculum super cor tuum.* Cur, amabo, super cor? cur non in fronte? ideo, ait S. Thomas, quia cor principalis pars hominis est, & sedes amoris, ideo hanc vult sponsus possidere, ut amor præcedat cunctos alios terrenos affectus, & Deus super omnia diligatur. Hoc autem sponsi monitum, & ad amorem incitamentum tam ardentem secuta est sponsa, ut divino amore tota langueret: diceretque de sponso: *tenui eum, nec dimittam.* Cant. 3. v. 4. O sponsæ amor super omnia, qui transcendit etiam amorem Patriarcharum! dixerat quidem olim etiam Jacob Patriarcha ad Deum: *non dimittam, nisi benedixeris mihi.* Gen. 32. v. 26. Vult tamen colluctatorem suum accepta benedictione dimittere, non sic sponsa, sed adhuc ulterius progrediebatur amor ejus, Jacob, licet esset justus, sola tamen Dei benedictione contentus erat, at vero sponsæ intensissimus amor non solum benedictionis cancellis clandestebatur, sed ulterius progrediens, ipsum quoque dilectum suum quærebat. & inventum nullo pacto unquam dimittere volebat; Deus enim amandus est super omnia! quomodo tuus in Deum amor o Christiane? diligisne eum super omnia? ore quidem profiteris te amare Deum, sed verbis operum constantia deest; nam quomodo super omnia Deum diliges, si mandata ejus non observas? quomodo in te potest esse amor Dei super omnia, cum te a charitate Christi separaret quælibet tribulatio, angustia, fames, nuditas, periculum, & persecutio.



## P A R S III.

*Et in omnibus.*

Denique & in omnibus diligendus est Deus, id est, ut cum S. Thoma Aquinate loquar, ita homo habitualiter totum cor suum ponat in Deo, ut nihil velit cogitare, vel amare, quod divinæ dilectioni est contrarium, sed omnes cogitationes suas, verba & opera ad majorem Dei honorem, & gloriam dirigat; hoc totum haud obscure colligitur ex Christi parabola, in qua dicit: *Simile est regnum cælorum homini Patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Matth. 20. v. 1. Quid aliud est regnum cælorum, nisi præsentis temporis Ecclesia? quid aliud Patrifamilias, nisi Deus omnipotens, magnus Dominus, & laudabilis nimis? quid aliud est vinea, nisi vita præsens, in qua pro denario æternæ gloriæ laborandum est? quid aliud denique operarii, nisi homines, de quibus dicitur: *homo nascitur ad laborem,* Job. 5. v. 7. nonne operarii non sibi, sed Domino laborare debent? vocati sunt, ut non tam suum, quam Domini bonum quærant: ecce! ita pariter nobis in hac vitæ vinea laborandum est, ut omnis labor noster cœlestem Patrefamilias tanquam finem ultimum respiciat, nosterque labor, & amor in omnibus, & per omnia ad Deum tendat. Ita in hac Mystica vinea laborare edocta est a cœlesti Patrefamilias S. Gertrudis, cui Christus hanc dederat doctrinam, ut omnia verba, gressus, omnes, quos ore

*P. Friderici a Jesu P. Dom. Tom. II. R de-*



258 *Dominica XII. post Pentecosten.*

deglutiebat, bolos, omnia, quæ bibebat, ex corde eidem offerret. Talem Dei amorem in omnibus & super omnia prodebat S. Dominicus nobile illud Prædicatorum Decus, ac lapis fundamentalis, hic, cum aliquando solus in campo ab hæreticis deprehensus interrogaretur, quid acturus esset, si ipsum occidere præsumerent? respondit, se id unum petiturum, ut quo diutius cruciatum sentire, suumque erga Deum amorem in omnibus magis testari posset, lento eum Martyrio excruciant. Percipite demum S. Augustinum, quomodo hæc Evangelii verba: *diliges Dominum Deum tuum*, interpretetur: ait ille L. 1. de doctrina Christiana c. 22. „ per hoc nobis insinuari, ut omnes cogitationes nostras, & omnem vitam nostram, & omnem intellectum in illum conferamus, a quo habemus omnia, quæ conferimus.„ ratione plenissimum est, inquit Eucherius, illum, in quo habeas omnia, amare præ omnibus.„ Perscrutare jam o homo, omnes tuas actiones, an Deum in omnibus diligas, quoties per diem cogites de dilecto, quoties de Deo loquaris, quoties in signum amoris tui pie, & Christiane opereris, si hæc non feceris, non diliges Deum in omnibus.

O nos miseros, qui Deum non diligimus! uberes solvamur in lacrimas cum S. Francisco Seraphico, qui flebat, & causam interrogatus, cur fleret, reponebat: fleo, quia amor non amatur: ingemiscamus cum D. Augustino:



„ que diligit aliquem, consequens est, ut etiam  
 „ diligit dilectos ab eo, & eos, qui conjuncti  
 „ sunt ei, homines autem dilecti sunt a Deo,  
 „ quibus sui ipsius fruitionem quasi ultimum  
 „ finem prædisposuit; oportet igitur, ut simul  
 „ aliquis sit dilector Dei, ita etiam fiat dile-  
 „ ctor proximi. „ Superest igitur quæstio,  
 quomodo proximus sit diligendus? cui respon-  
 deo: proximum diligendum esse 1. per con-  
 cordem charitatem, 2. & sinceram pacem.

## P A R S I.

*Diligendus est proximus per concordem  
 charitatem.*

**C**haritas proximi, ut vera charitas sit, in-  
 dividuam comitem petit concordiam,  
 quam ipse creator omnium statim in ipso pro-  
 ductionis initio videtur commendasse; dixerat  
 enim omnipotens factor rerum: *faciamus ho-*  
*minem ad imaginem, & similitudinem nostram.*  
 Gen. i. v. 26. Si accuratius horum scriptu-  
 ræ verborum sensum indago, invenio, nomine  
 imaginis denotari, quod homo, cum unius sit  
 naturæ, & tres habeat animæ potentias in-  
 tellectum, memoriam & voluntatem, imagi-  
 nem sui auctoris unius in natura, & in perso-  
 nis trini in se ipso acceperit, ac referat, at  
 nomen similitudinis indicat, quod homo sui  
 creatoris Dei unius, & trini similitudo debeat  
 esse respectu proximi, eaque per concordem  
 charitatem; eapropter ita exclamat Idiota:  
 „ cum creares hominem, Domine, dixisti:  
 „ facia-



„ faciamus hominem ad imaginem, & simili-  
„ tudinem nostram, ut nostri similes facti  
„ charitate, & amore se diligerent, sicut istæ  
„ personæ se diligunt. „ Perpendite ulterius  
mirabilem hominis productionem, & invenie-  
tis eam ordinatam fuisse ad concordem chari-  
tatem; nam considerant sancti Augustinus,  
& Bonaventura, alia animalia in principio  
facta esse a Deo duplicia, scilicet masculum,  
& foeminam, hominem autem factum esse  
unicum, imo Evam esse formatam ex costa  
Adami, quam tamen producere potuisset Deus  
pariter ex terra damascena: ad hoc au-  
tem respondent, ideo ex uno homine omnes  
& singulos procreatos, ut unitatem concordiæ  
Deus commendaret in homine: at dicet for-  
tasse nonnemo, quomodo concordia esse possit  
inter homines tam diversæ, disparis imo &  
contrariæ indolis, ita ut quot capita, tot sen-  
tentia? verum charitas concordiam parit etiam  
inter diversos, sicut Musica in cantu & Orga-  
nis concors est ex acutis, & mediis, & gra-  
vibus modulis, licet sint dissimiles, ita per  
concordem charitatem non aliter atque una  
anima in multis corporibus æquali ratione  
consistere potest: quemadmodum in horologio  
plures sunt rotæ, sed omnes conspirant, &  
juvant ad horas indicandas, ita licet varii  
sint homines, omnes tamen in concordi cha-  
ritate conspirare oportet. O potens concordia!  
quare Saul ita hostes suos profligavit, ut non  
relinquerentur in eis duo pariter? nonne ob  
concordem charitatem in suo exercitu? nam

Saul adversus hostes pugnaturus, cum misisset in omnes terminos israel, ut convenirent ad præliandum, illi *egressi sunt, quasi vir unus.* 1. Reg. 11. v. 7. Ecce! concordia, & unitas prostravit hostem. Hæc concordia, quam necessaria sit, noverat Christus Dominus, qui eandem pro Discipulis suis exorabat a Patre suo æterno, cum nocte cœnæ ita precaretur: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos.* Joan. 17. v. 11. In quæ verba ait S. Cyrillus: „charitatis & „concordiæ vinculum petit, ut ad tantam „spiritualem credentes unionem perducatur, „ut naturalis, consubstantialisque in Patre, „Filio, atque Spiritu sancto unionis similitudinem imitetur.„ Proin optime S. Xaverius dicere solebat: quid aliud est societas Jesu, quam societas amoris & concordiæ? Quomodo ergo veram charitatem proximi habent, qui cum proximo contentiones continuas, ac dissensiones habent, odia proximi in corde fovent, nec eum sinceris aspicere oculis dignantur? O utinam ejusmodi homines cognoscerent, quantum bonum sit unitas concordiæ, audiant ergo Psalmistam Regium: *ecce! quam bonum, & jucundum habitare fratres in unum.* Ps. 132. v. 1.

## P A R S II.

*Et sinceram pacem.*

**E**x concordi charitate ut amoenissimus fructus pullulat pax sincera, quam gentium Doctor Ephesius, & nobis omnibus commendatam reli-

reliquit: *soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Ephes. 4. v. 3. Sicut enim una solum anima pluribus corporis nostri membris vitam tribuit, ita unicus pacis sinceræ spiritus multos compaginatur, & concordem facit fideles. Inspiciamus retroacta sæcula, & videbimus, quanto studio sinceram pacem prosecuti fuerint primi fideles, de quibus scriptum legimus Act. 4. v. 32. *multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Erant & tunc diversi homines, in multis sibi invicem dispares, sed erant tamen juncti in pacis sinceritate, imo erat ea ætate Ecclesia Dei adinstar arcæ Noemi, in qua animalia, etsi natura sua indomita fuerint, quamdiu tamen in arca permansere, pacifica, & mansueta fuerunt: similem in modum Christiani, quamdiu in arca Ecclesiæ persistebant, in sincera pace versabantur, uti vaticinatus est Isaias c. 32. v. 18. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Imo ita commendata pax erat in antiqua Ecclesia, ut antequam accederent fideles ad mensam Eucharisticam, pacis osculum sibi darent, procul dubio sic edocti a sponsæ exemplo, quæ pariter, quia pacem cum sponso habere desiderabat, pacis osculum a sponso efflagitabat: *osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. v. 1. Quis itaque non amplectatur amabile pacis bonum, quod ipsis etiam Angelis hominem reddit similem, de quibus S.



264 *Dominica XII. post Pentecosten.*

Nazianzenus orat. 1. plures agglomerat laudes, inter quas tamen pacem tanquam principalem eorum dotem assignat dicens: „primum illud est, quod pacati sint, & seditiosis expertes.“ Ecce! sunt quasi innumeræ Angelorum species, quæ tamen sinceram inter se pacem fovent, hominesque instruunt, ut illi quoque inter se versentur in sincera pace. Illud proin saluberrimum monitum jugiter nostris insonet auribus, quod Christus dederat Magdalænæ, dum eam vinculis peccatorum absolutam dimisit dicens: *vade in pace.* Luc. 7. v. 50. Jam quomodo tu, o Christiane, vivis cum proximo tuo, proh quoties sine causa ei irasceris, nec vis aliorum portare onera, cum tamen alii in te plurimos nævos supportare cogantur! nonne es ex numero eorum, de quibus Thomas Kempensis L. 2. de unit. Christi c. 3. ait: *sunt, qui nec pacem habent, nec alios in pace dimittunt, aliis sunt graves, sed sibi semper graviores.*

Cum igitur omne bonum sui sit diffusivum, diffundat se charitas Dei, quæ est diffusa in cordibus nostris, etiam in proximum nostrum, diligamus illum per concordem charitatem, & sinceram pacem, *non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* 1. Joann. 3. v. 18. Maneamus in dilectione, & pace, & Deus pacis erit nobiscum in æternum. Amen.





DOM. XIII. POST PENTECOST.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quisnam dici possit Mystice leprofus?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Mystice leprofus dici potest, qui est in peccato mortali, 1. quod est lepra spiritualis animæ, 2. & quidem deterior, quam lepra corporalis.

T H E M A.

*Occurrerunt ei decem viri leprosi.* Luc. 17. v. 12.

**C**œlestis Medicus Christus, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes. Act. 10. v. 38. sanavit hodie decem viros leprosos, *occurrerunt ei decem viri leprosi.* Manifestavit rursus omnipotentissimam suam misericordiam homo Deus, dum sanat lepram, quæ morbus alias insanabilis est, o magna divini hujus Medici omniscientia, qui omnibus morbis congruentia novit adhibere medicamenta! Sed transeamus a lepra corporis ad lepram animæ, quam quoque sanaturus principaliter in hunc mundum advenerat Christus Redemptor. At quænam lepra animæ? quinam dici potest mystice leprofus? non abs

re puto, illum spiritualiter leprosum dici posse, qui est in peccato mortali, 1. quod est spiritualis animæ lepra, 2. & quidem deterior, quam lepra corporalis.

## P A R S I.

*Peccatum mortale est spiritualis lepra animæ.*

**U**t abominandam invisibilis lepræ foeditatem, scilicet peccati gravis cognoscamus, visibilis lepræ corporalis turpitudinem perpendere oportet. Commune Medicorum assertum est, duas esse species lepræ corporalis, una est hæreditaria, quam proles accipit ex utero Matris, quia enim parentes lepra infecti sunt, ideo sanguis eorum corruptus inficit, quidquid ab eis provenit: alia est non hæreditaria, quæ non procedit a parentibus, sed contrahitur ex corrupto aere, corruptis, & putridis cibis, vel frequentiori intemperantia. Jam loquamur de spirituali animæ lepra, quæ corporalem imitatur, & hæc quoque duplex est, una hæreditaria, scilicet peccatum originale, quod habemus ex infecta parentum natura, & ab hac lepra mundat nos Christus per baptismum, ita tamen, ut in poenam remaneat concupiscentia, altera est peccatum mortale actuale, quod omnes animæ potentias debilitat: *a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* II. 1. v. 6. O quanta est turpitudine lepræ corporalis, quæ hominem fordidum facit, sed est & magna foeditas lepræ spiritualis, quæ per luem peccati mortalis ita facit ani-



animam immundam, & vilem, ut de ea dicat Propheta Jeremias c. 2. v. 36. *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas.* Id est, peccata sequens. Si lepra corporalis hominem facit foetidum, & sanis intolerabilem, idem etiam præstat lepra spiritualis, quæ animam mortaliter peccantem reddit foetidam, & justis abominabilem: *facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Os. 9. v. 10. Si lepra in corpore caussat incendium, & pruritus continuum, etiam spiritualis lepra peccati mortalis in conscientia producit inquietudinem, & remorsum: *non est pax impiis,* Isa. 48. v. 22. Si lepra corporalis, quanto reprimatur studiosius, tanto tandem ebullit turpius, etiam lepra spiritualis, quanto diutius occultatur, tanto turpius apparebit in die iudicii coram Deo. Si lepra corporalis deformat hominem, & membrorum officio, ac venustate privat, etiam lepra spiritualis deformat animam, eamque privat donis, meritis, & gratiis Spiritus sancti, quid ulterius dicam de intolerabili foetore lepræ corporalis? percipite potius quid dicat de foetore lepræ spiritualis S. Gregorius ita loquens: si sciremus, qualiter per unumquodque peccatum vulneretur, & foeteat anima, usque ad mortem resisteremus peccato. Hanc spiritualis lepræ foeditatem optime noverat Rex David, ideo exclamabat: *non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum, putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ, miser factus sum.* Ps. 37. v. 4. 6. 7.

268 *Dominica XIII. post Pentecosten.*

Ob miseriam & malum lepræ corporalis cogitur homo separatim vivere, & ab omni profusus hominum consortio velut membrum putridum abscinditur, ne per halitum suum alios forte inficiat, sic Levit. 3. leprosus & immundus solus habitabat extra cæstra, sic 4. Reg. 15. Ozias ob lepram suam regno privabatur, & in privata domo habitabat segregatus a populo. Hæc autem si de lepra corporis, quid modo dicam de lepra animæ: sane istam summopere averfatur Deus, horrent Sancti, & ipsi quoque Angeli fugiunt, dicentes: *curavimus Babylo-nem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Jerem. 51. v. 9. Huc etiam facit, quod olim præceperat Moises: *observa diligenter, ne incurras plagam lepræ.* Deut. 24. v. 8. Quid hoc est præcipere? nunquid in hominis potestate est vitare plagam lepræ? sed latet mysterium, vult Moises vitari peccatum, quod meretur plagam lepræ, quodque ipsum est lepra omnium longe perniciosissima, ob quam meretur quis separari extra castra, hoc est, excludi a Deo, & Sanctis omnibus. Et tu, o homo hanc pessimam peccati mortalis lepram non horres, imo animam habes omnino leprosam, cum peccata peccatis cumulas, non sentis intolerabilem morbi tui spiritualis foetorem, & ideo etiam non quæris Medicum, ut hæc lues tua per sacramentalem pœnitentiæ medicinam sanetur.

## P A R S II.

*Et quidem deterior, quam lepra corporalis.*


**E**quidem tam grande malum lepra corporis est, sed longe majus adhuc malum est spiritualis lepra animæ, scilicet peccatum mortale, de quo ait S. Bernardinus: „ mortalis „ culpa est spiritualis lepra deterior, quam „ corporalis, quantum distat mortale corpus „ a spiritu immortalis, illa dejicit a consortio „ hominum, hæc autem a consortio Dei, omnium „ Sanctorum, & Angelorum, illa ejicit „ a civitate, hæc autem non solum privat a „ regno cœlesti, & præfenti sæculo, sed etiam „ locat hominem in hospitali infernali cum infinita „ pœnalitate. „ Lepræ hujus spiritualis turpitudinem, quæ longe excedit corporalem, deducit S. Antoninus ex illo Pf. 13. v. 2. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, & ideo vocat animam peccatricem, foetidam, immundam, & corruptam. Imo tanta est immunditia lepræ spiritualis, ut nulla ablutio terrena hanc tollere possit, nisi Deus eam purget aqua cœlesti gratiæ sacramentalis figurata in undis Jordanis, in quibus Naaman Syrus totus prius immundus a lepra mundatus est. Tanta est lepræ spiritualis immunditia, ut ad hujus abluionem necessarium fuerit Dei filium de cœlo descendere, carnem assumere, crucem subire, ut sanguine suo auferretur ista macula immunditiæ: Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Apoc. 1. v. 5. Tanta est immunditia spiritualis lepræ, ut Deus ad hanc eluen-*



eluendam tot lavacra statuerit, aquas diluuii,  
 ignem iudicii, & purgatorii, tribulationum,  
 & Martyriorum, lacrimarum, & sacramento-  
 rum; nonne ergo deterior est lepra spiritualis,  
 quam corporalis? hunc foeditatis excessum in  
 lepra spirituali bene agnoverat S. Ludovicus  
 Galliarum Rex, de quo in ejus vita legere est,  
 quod cum quemdam suorum interrogasset,  
 nempe Senescalcum Campaniæ, quidnam e  
 duobus peccato scilicet, vel lepra præeligere  
 mallet? & ille peccatum se potius, quam le-  
 pram velle responderet, Rex acriter eum ob-  
 jurgans subintulit: toto cœlo erras; ecquæ  
 enim lepra peccato foedior, quod etiam post  
 mortem affligit? tu itaque, si me anas, eam  
 mentem muta. Vix non simili modo S. Ber-  
 nardus forori suæ detestabilem spiritualis le-  
 præ turpitudinem ante oculos posuit; hæc  
 enim interrogabat fratrem suum, an anima  
 peccatrix nigra & turpis sit? cui respondit: tria  
 sunt in hoc mundo nigriora, & deteriora om-  
 ni malo (adeoque & malo lepræ) scilicet  
 anima peccatrix, malus Angelus, & infernus.  
 Quantus denique sit foetor lepræ spiritualis,  
 testatum nobis facere potest S. Catharina Se-  
 nensis, quæ aliquando impudicæ secum lo-  
 quentis mulieris foetorem non tolerans nares  
 obdurabat, cum vero S. Raymundus hanc  
 sanctæ Virginis actionem admiraretur, illa  
 dixit, quod, ni hoc fecisset, præ nimio animæ  
 illius foetore ad vomitum fuisset coacta. Ole-  
 pram peccati omni lepra corporali longe dete-  
 riorem, magisque abominabilem! & tu o Chri-  
 stiane,

stiane, audes in lepra animæ scilicet in peccato mortali pernoctare, tantum foetorem Deo, & Angelis abominabilem circumferre, curre ad medicum sacramentalem, fume medicinam poenitentiae, periculum in mora est, lepra hæc, quæ tibi jam intulit mortem animæ privando te gratia, inferet quoque mortem æternam auferendo tibi gloriam, ni in tempore saneris.

Occurramus ergo & nos cœlesti Medico, stemus a longe per humilitatem, levemus vocem cum leprosis in Evangelio dicentes: *Jesu Præceptor miserere nobis.* v. 13. præserva nos a peccato mortali, quod est spiritualis lepra animæ, & quidem deterior, quam lepra corporalis, dicamus quotidie: *libera nos a malo lepræ spiritualis Jesu Christe Salvator optime.* Amen.



## QUÆSTIO SACRA II.

*Quare leprosi sanantur in via, dum vadunt?*

### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Sanantur leprosi in via, dum vadunt, ut Christus nos doceat considerandam esse vitæ humanæ 1. vanitatem, 2. & brevitatem.

## T H E M A.

*Dum irent, mundati sunt. Luc. 17. v. 14.*

**Q**uamdiu in hac vita sumus, quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus, ut ait S. Gregorius Magnus homil. 11. in Evang. Viatores sumus: *quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* 2. Cor. 5. v. 6. tendimus ad terminum cœlestis patriæ per varios casus, per tot discrimina rerum, necdum autem sumus in termino; *non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Heb. 13. v. 14. & hoc etiam opinor Christum voluisse insinuare leprosis, dum eos in via sanasset, *dum irent, mundati sunt.* Dico itaque, quod Christus, qui nil sine mysterio fecit, voluerit in via leprosos sanare, ut nos doceat considerandam esse vitæ humanæ 1. vanitatem, 2. & brevitatem.

## P A R S I.

*Consideranda est vitæ humane vanitas.*

**N**on sine mysterio crediderim, divinam disposuisse providentiam, ut Christus Dominus in sua passione etiam spinea corona coronaretur, ac in manu ejus fragilis arundo poneretur: *pledentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus (Christi) & arundinem in dextra ejus.* Matth. 27. v. 29. Jam vani filii hominum, qui dicitis: *coronemus nos rosis.* Sap. 2. v. 8. videte hunc Regem vestrum Salomonem,  
quo-



quomodo eum Mater sua, nimirum Synagoga, coronaverit, videte, quale sceptrum manus ejus dextra rotet. Ecce! totius mundi pompa demum est corona spinea, ecce! illius vanitatem in virga arundinea, quam Christus haud alia ex ratione suscipere voluit, nisi ut in ea consideraremus vitæ nostræ fragilitatem, ac vanitatem, quæ quidem ad modum arundinis in altum dignitatum, ac mundanorum honorum culmen non raro exurgit, levi tamen concussione sæpe sæpius frangitur. Sane hanc mundi instabilitatem, ac vitæ nostræ vanitatem videbatur olim deflevisse Christus, cum rogaretur a Lazari fororibus, ut eum resuscitaret ad vitam, fleverat salvator optimus, quod importunis earum precibus quasi cogere-  
retur eum iterum ad hanc lacrimarum vallem, & vanitatis locum revocare. Quapropter S. Apostolus Paulus, ut hanc mundi, vitæque humanæ vanitatem Corinthiis suis profundius inculcaret, eos hisce hortabatur verbis: *reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi.* 1. Cor. 7. v. 31. Optime igitur & non ad insipientiam tibi S. Francisce Borgia, dum mundana vanitate considerata mundum reliquisti; cum enim Serenissimus hic Gandiæ dux ad Granatense sepulcrum Isabellam Imperatricem defunctam detulisset, in ejus vultu foede commutato mortalium omnium caducitatem, vitæque humanæ vanitatem relegens voto se adstrinxit, quod rebus omnibus, cum primum liceret, abjectis unice Regum Regi vellet in-

274 *Dominica XIII. post Pentecosten.*

servire; alte enim animo infixum habebat illud D. Bernardi, qui de bonis temporalibus Epist. 103. ad fratrem Wilhelmi scribens ait: „ possessa onerant, amata inquinant, amissa „ cruciant. „ Sisto vobis ob oculos etiam Conradinum Romanorum, Neapolis, & Siciliae Regem, qui hanc mundi, vitæque humanæ vanitatem expertus est, hic Juvenis Princeps annorum quindecim in hac florida ætate Generosus Dux contra Carolum Galliae Ducem Andegavensem, qui nuper regnum Neapolitanum, & Siciliae violenta manu occupaverat, grandi exercitu suo hæreditaria regna evicturus decertabat, sed sat infelici Marte; cœsus enim Conradini miles fuit, hinc Conradinus cum fidissimo sibi amico Friderico Austriae Duce fuga sibi consulit: jam spectate, scena vanitatis vitæ hujus aperitur, nam ecce! Regem Conradinum, & Fridericum Austriae Ducem, quos heri in aureis conspexisti, hodie, ne in fuga Rex, & Dux agnoscerentur, Agasorum laceris vestibus aliquantulum tectos femi nudos conspicias, qui heri abundabant, hodie fame premebantur, ditissimus Conradinus in tantam paupertatem reductus est, ut ne obulum, quo Naucorum solveret, haberet, necdum finis, ex annulo, quem nautæ loco pecuniæ dederat in pignus, Rex Romanorum agnitus perfide a Frangipano loci illius Toparcha Carolo traditur, a quo Conradinus una cum Friderico carceri mancipatur, & uterque in publico foro capite plexi sunt. O vitæ humanæ vanitatem, ob quam merito exclamavit




mavit Salomon: *vanitas vanitatum, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Ecclesiasticis. I. v. 2. Quomodo igitur fieri potest, ut homines tam avide inhiant honoribus, dignitatibus, divitiis, bonis temporalibus? caduca hæc bona sunt, audiant potius quam longe aliter de iis sentiat Thomas Kempensis L. I. de imit. Christi c. I. *vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi soli servire.*

P A R S II.

*Et brevitatis.*

Qui considerastis vitæ humanæ vanitatem, considerate quoque ejusdem brevitatem, quam Creator Deus Adamo jam bene perpendendam reliquit, dum eum posuerat in paradiso voluptatis, quem, ut ait textus hebraicus, plantavit Deus in Eden ad Orientem. ecce! primus homo constituitur in Eden ad Orientem, cur non ad plagam septentrionalem, vel Occidentalem? ajunt Sacræ scripturæ Interpretes, hoc ideo factum, ut homo a primo suo ortu discat considerare cursum velocem coelestium astrorum, quæ dum oriuntur, in cursu brevissimo rapiuntur ad occasum; voluit ergo Deus, ut Adam consideraret brevitatem vitæ, quæ vix orta properat ad finem, uti inquit S. Job c. 14. v. 5. *breves dies hominis sunt, & Psalmista Regius Ps. 102. v. 15. homo sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorescit.* Quid brevius floris decore, qui cito emarcescit? quid brevius vita humana? unicum enim est dicen-





276 *Dominica XIII. post Pentecosten.*

dicente Ecclesiaste c. 3. v. 2. *tempus nascendi, & tempus moriendi*, super quem textum S. Gregorius Nissenus se explicat, „nulla, inquit, „nec momentanea mora est interposita inter „nativitatem, & mortem, ut intelligamus, „brevissimam esse vitam, de utero ad tumu- „lum, qui natus est, illo momento jam do- „ctus est, jam instructus est mori, tanta bre- „vitas est vitæ humanæ., hanc ipsam vitæ humanæ brevitatem sat edocti, erant Discipuli Christi a suo Magistro, qui Joann. 13. v. 33. dicebat ad eos: *filii, adhuc modicum vobiscum sum.* Mira loquendi ratio Christi Domini dicentis: *sum*, non autem *ero*, mirabilis modus, sed tamen veritatem continens, & brevitatem vitæ humanæ innuens; nam tempus juxta Philosophos non existit ratione alicujus partis præsentis, sed solum per sua indivisibilia, sive instantia brevissima, & imperceptibilia; dicebat ergo Christus: *sum*, ut semper consideremus tempus vitæ humanæ præsentis omnino mutabile, quod ita breviter existit, ut existere non videatur, dum existit solum secundum instantia brevissima. Rursus eosdem Discipulos suos vitæ brevitatem edocere voluit, cum eos instruxisset petere panem quotidianum: *panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Matth. 6. v. 11. Cur non annualem, aut menstruum, aut hebdomadalem? panis est necessarium vitæ humanæ alimentum, docuit tamen Christus, petere panem duntaxat quotidianum, ut discamus vitam humanam non esse annuam, non menstruam, non hebdomadalem,

dalem, sed incertam, & brevissimam; bene ergo S. Gregorius Nazianzenus eam vocat modo navem, quæ velocissimo cursu rapitur, modo pulverem, qui a ventulo in aerem elevatus mox iterum deorsum in terram cadit, sicque innuit, hominem vix natum cadere in sepulcrum: modo appellat rorem matutinum, qui vix solem intuetur, & jam deletur, qui vix esse incipit, & jam esse desinit. O modica vitæ humanæ brevitatis! quid ergo, o homo fragilis, speras longam vitam, cum tibi neque dies sit promissus, & quid demum est longa vita, nisi mors proluxa? agglomeras divitias, & bona temporalia, quæ alius forte crastina illa possidebit, *dic mihi*, te alloquor verbis aurei libelli de imit. Christi L. 1. c. 3. *Ubi sunt modo omnes illi Domini, & Magistri, quos bene novisti, dum adhuc viverent, & studiis flourerent? jam eorum præbendas alii possident, & nescio, utrum de eis recogitant: in vita sua aliquid videbantur, & modo de illis tacetur.*

Cum ergo vitæ humanæ tanta sit vanitas, quid superest, nisi ut contemnamus vana vitæ hujus gaudia, & nostra conversatio in cælis sit. ubi exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum: cum tanta pariter sit brevitatis, quid superest, nisi ut, dum tempus habemus, operemur bonum, ut sic a diebus vitæ humanæ brevissimis tandem transeamus ad longissimam, eamque beatissimam æternitatem. Amen.

---

 QUÆSTIO SACRA III.

*Quare Christus Dominus quæsierit, ubi novem sint leprosi?*

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus ita interrogans voluit ostendere odium erga ingratitude[m], quæ est vitium abominabile 1. Deo, 2. & homini.

## T H E M A.

*Novem ubi sunt? Luc. 17. v. 18.*

**N**on possum non mirari, quod Christus hodie interroget de novem leprosis, ubi sint: *novem ubi sunt?* qui decem sanaverat, nam unus ex illis, ut vidit, qui mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & gratias agens. Luc. 17. v. 15. & 16. Christus autem quærit: *nonne decem mundati sunt & novem ubi sunt?* v. 18. Utique Christus omniscius Deus est plenus gratia, & sapientia, cur ergo quærit, ubi novem sint leprosi, *novem ubi sunt?* respondet Seraphicus Doctor S. Bonaventura: „non quærit de novem, velut ignorans cujuslibet personam, sed reprobans ingratitude[m]. Et pariter „Hugo purpuratus: „non quærit ex ignorantia, sed quia ingratos reputat ignotos, sicut „dixit ad satuas virgines: *nescio vos.* Matth. 25. v. 12. „ Ex quibus ad propositam quæstionem



tionem reddo responſionem, quod Chriſtus ita interrogans voluerit oſtendere odium erga ingrati- tudinem, quæ eſt vitium abominabile  
1. Deo, 2. & homini.

P A R S I.

*Ingratitudo eſt vitium abominabile Deo.*

Quantum Deus odio habeat abominabile vitium ingrati- tudinis, in veteri jam te- ſtamento ſat nobis teſtatum reliquit, compla- cebant quidem omnipotenti Deo in antiqua lege oblationes, & ſacrificia, nunquam tamen piſces in ſacrificium ſibi offerri admittebat, certe non ob aliam rationem, niſi ut oſtende- ret, quantum abominetur ingrati- tudinem, cu- jus verum ſymbolum ſunt piſces, qui ad be- neficia muti, licet liberaliter longo tempore in piſcinis nutriantur, nunquam tamen man- fueſcunt, ſed ſemper eos, a quibus cibantur, fugiunt, ſicque ingratos ſe produnt, ita pa- riter quia ingrati homines ſunt muti ad gra- tiarum actionem pro beneficiis faciendam, li- cet a Deo quotidiano pane nutriantur, eos odit, ac abominatur Deus. Hanc in rem quæri poſſet, cur Deus Pharaonem Regem in mari rubro ſubmergi voluerit, & non potius igne, ac fulmine comburi? at ſciendum eſt, quod Pharaon ingratiſſimus homo eſſet, qui decies mortis periculo per Dei miſericordiam ereptus, omnis tamen beneficii immemor ſe Deo oppoſuerit: ideo Deus ingratum Pharao- nem non comburi, cum ignis ſaltem cineres

rei combustæ relinquat, sed mergi voluit ul-  
 tricibus undis, ut ne minimus etiam pulvi-  
 sculus hominis ingrati remaneret, sed omnino  
 totus periret, ut nec memoria, nec illius se-  
 pulcrum superesset, sicque Deo abominabilis  
 remaneret. hinc etiam Christus Dominus, ut  
 ut alias sæpe numero pertransiret Provincias  
 benefaciendo, nihilominus unquam reverte-  
 batur in Nazareth patriam suam; precabantur  
 equidem cives, & enixe rogabant: *quanta*  
*audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in*  
*patria tua.* Luc. 4. v. 23. Attamen non erat,  
 qui exaudiret eorum preces, denegabat Chri-  
 stus eisdem suam præsentiam, ac beneficia,  
 quibus alios tam frequenter visitabat in suis  
 miserationibus, ac bonitate, bone Jesu, quid  
 Nazarenis, quid tuis concivibus tuam subtra-  
 his beneficentiam, cur eos a tuis beneficiis  
 exclusos esse cupis? ecce! Nazareni sese be-  
 neficiis divinis indignos reddebant; erat enim  
 Christus conceptus in Nazareth, homo factus,  
 triginta annis ibi conversatus, & tamen ingrati  
 Nazareni Christum Dei filium non agnoscebant,  
 imo e civitate sua ejiciebant, hancque Naza-  
 renorum ingratitude ita aversabatur Chri-  
 stus Deus, ut nec suo eos conspectu dignaretur.  
 Rursus odium ingratitude manifestabat Chri-  
 stus in sua passione; nam mille licet aliis op-  
 probriis, & convitiis dire læsseretur, nun-  
 quam Agnus iste mansuetissimus coram tonden-  
 tibus se aperuit os suum, & cuncta æquissi-  
 mo semper tulit animo, ubi autem injuriosam  
 a Malcho recepit alapam, noluit sibi tempe-  
 rare.

rare, quin quereretur: *quid me cædis?* Joann. 18. v. 23. Jam si hujus causam inquiri, sane alia non fuit nisi turpissima Malchi ingratitude, huic quippe ante exiguum temporis spatium Christus auriculam a Petro amputatam prodigiose restituerat, sed homo nequam, ac tanti beneficii prorsus immemor gratitudinis loco aliam medico suo reddidit summe injuriosam; quid igitur mirum, quod tantam ingratitude decoquere noluerit Christus, sed qui ad cetera passionis tormenta velut ovis obmutuit, nunc conquestus fuerit contra atrox istud ingratitude vitium? Eapropter quanto odio Deus execretur hoc abominabile vitium, aliquando dilectissimæ suæ sponsæ S. Birgittæ revelare dignatus est; sciscitanti enim, cur multis gratia finalis in senectute auferatur? Christus respondit: quia hi homines hanc gratiam non agnoscunt, & ob accepta beneficia Deo sunt ingrati: hoc idem manifestabat Christus perdilectæ sponsæ suæ S. Catharinæ Senensi, innuens, sibi ex hac potissimum ratione tam amarum fuisse calicem passionis, ut ab Angelo confortatus fuerit, quoniam ibi in Monte Oliveti clare viderit, quam ingrati forent homines pro maximo redemptionis beneficio. O homo, ipsemet abominaris ingratitude in alio homine, cui benefecisti, & cur Deus non oderit tuam ingratitude, qua ei mala pro bonis rependis? quotidie millena beneficia recipis, & Deus a te forte etiam sexcentas offensas accipit, esto gratus tuo Benefactori summo, & maximo, ne ali-



quando ut severus Judex puniat tuam ingrati-  
tudinem.

## P A R S II.

*Et homini.*

**V**erum non Deo tantum, sed & homini abominabilis est ingratitude, hoc vitium, quam turpe sit, bene agnovit Gen. 41. Pincernarum Magister, hic cum omnia ei prospere succederent, oblitus est beneficii a Joseph sibi præstiti, sed ad se rediens, & reminiscens ipsam suam ingrati-  
tudinem redarguit, dicens: *confiteor peccatum meum.* Gen. 41. v. 9. Quod scilicet oblitus sim Benefactoris mei Joseph. Videamus etiam, quantum S. Lucas abominetur sæpe fatum vitium ingrati-  
tudinis: enarrabat Evangelista sacer c. 11. stupendum illud miraculum, quo Christus obsessum a maligno spiritu liberabat, mutumque & surdum loqui & audire fecerat, sed nullam omnino faciebat mentionem loci, & temporis, in quo hoc miraculum factum est, cum tamen has enarraret circumstantias in aliis miraculis a Christo factis; displicebat enim Evangelistæ in hoc homine abominabile vitium ingrati-  
tudinis, & quidem ita, ut nec nominis ejus, nec loci, nec temporis, in quo vixit, aut fuit, recordari velit, sed potius de hoc sanato vaticinatur v. 26. *sunt novissima hominis illius pe-  
jora prioribus: vix enim tanto beneficio affectus protinus omnis gratiæ immemor pristinis se vitiis involvebat, gravius quam ante ingra-  
tus*

tus homo Deum offendebat: hinc jam non miror, quod idem S. Lucas vocaverit Judæos *genimina viperarum*. Luc. 3. v. 7. viperæ enim ingratitude symbolum sunt, quæ ortu suo propriam Matrem enecant, similes ergo viperis Judæos pronuntiat, quia beneficia Dei cognoscere nolebant nimium ingrati; propterea Isaias hanc eam ingratitude in spiritu prævidens dudum querebatur nomine ipsius Dei: nam *cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit*. Isai. I. v. 3. O quantum displicuit ingratitude dilecto Christi Discipulo Joanni, hic audito Jesu discursu in ultima cœna: *unus ex vobis tradet me*. Joann. 13. v. 22. ocyus in illius sinu recubuit, & ut volunt sacri Interpretes, intellecta tanta Apostoli ingratitude erga Magistrum suum ob criminis atrocitatem deliquium passus est. Imo ipsis quoque Ethnicis abominabilis videtur, & est ingratitude, eam ob rem Diogenes quærenti, quid apud homines celerius senesce-  
ret? digne respondit: beneficium; dici enim vix potest, quanta beneficii accepti apud plerosque sit oblivio. Percipite quoque ultima Julii Cæsaris jamjam moriturientis verba; hic cum in curia Romana a conjuratis hostibus in terram prostratus viginti duobus vulneribus confoderetur, postremo accessit Brutus quoque, ac vulnus vulneri addidit, quem igitur intuens Julius lacrimabili voce alloquebatur: & tu Brute fili mi: tacuit Cæsar ad vulnera reliquorum, ad vulnus tamen a Bruto inflictum  
tace-

tacere non potuit, quasi omnium maxime Bruti facinus detestaretur, nam hunc Brutum in filium adoptaverat Julius, & tanquam Pater multa ei bona contulerat, unde hæc Bruti ingratitude atrocius laniabat cor morientis Julii. O homo, quot tu vulnera Parentibus, & Benefactoribus tuis infers, dum ingratus eorum beneficia, ne dicam, non recompensas, sed nequidem recognoscis! Hæc sane ingritudinis vulnera plus fauciant, quam vulnera corpori inflicta: ah time, ne tua ingratitude, quæ hominibus adeo displicet, Deum quasi cogat, ut suas tibi subtrahat gratias, ac beneficia, quorum oppido indiges.

Regrediamur potius cum leproso magna voce magnificantes Deum, & gratias agentes pro omnibus beneficiis ab ipso acceptis, abominemur hoc vitium ingritudinis, quod Deo, & homini est abominabile, grato saltem animo beneficia sive a Deo, sive ab homine nobis collata recolamus, ut Deus pro nostra hac gratitudine nobis retribuere dignetur maximum ex omnibus beneficium vitæ æternæ. Amen.





DOM. XIV. POST PENTEC.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quare uni Domino nempe Deo, sit  
serviendum?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Est uni Domino, Deo serviendum, quia ab illo omne bonum habemus, & 1. a Patre quidem conservationem, 2. a filio præsentiam ejus in Eucharistia, 3. & a spiritu sancto charitatem.

T H E M A.

*Nemo potest duobus Dominis servire.* Matth. 6.  
v. 24.

**F**irma fide credimus in unum Deum; nam ait Apostolus: *unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Ephes. 4. v. 8. Quam ob rem dicit Christus: *nemo potest duobus Dominis servire.* Unus Dominus est, unus Deus, huic soli serviendum est dicente iterum Christo: *scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Luc. 4. v. 8. At quæstio est, quare uni Domino, nempe Deo, sit serviendum? certe non ob aliam rationem, nisi quia  
ab

286 *Dominica XIV. post Pentecosten.*

ab illo tanquam summo bono omne bonum habemus, 1. a Patre conservationem, 2. & Filio præsentiam ejus in Eucharistia, 3. & a Spiritu S. charitatem.

P A R S I.

*A Patre cœlesti habemus conservationem.*

Quid ni serviamus cœlesti Patri, qui usque modo nos creat, quia conservat, cum conservatio sit continuata productio; sicut enim Artifices imprimunt suis manufactis nomen suum: ita Pater æternus summus terræ, cœlique artifex se ipsum nobis ut artefacto communicavit creans ad imaginem, & similitudinem suam, ut ipse in nobis, & nos in ipso maneremus. Quid ni serviamus æterno Patri, qui est potentissimus hominis conservator, & protector? sic enim ipsemet loquebatur ad magnum Patriarcham Abraham: *noli timere Abram, ego Protector tuus sum.* Gen. 15. v. 1. Hoc creationis, & conservationis beneficium agnoscens magna illa filiorum Machabæorum Mater sic locuta est ad filios suos: *nescio, qualiter in utero meo apparuistis; neque enim ego spiritum, & animam donavi vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi, sed mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem.* 2. Mach. 7. v. 22. Sit nobis exemplo S. David, ut innumera æterni Patris beneficia recognoscentes eundem agnoscamus ut nostrum Dominum, eique soli serviamus.

mus. Ad hoc servitium altofatus Rex nos energetice hisce adhortatur verbis: *lætetur Israel in eo, qui fecit eum.* Ps. 149. v. 2. & rursus Ps. 99. v. 3. *ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Hanc veritatem sibi probe perspectam habuit S. Jacobus, qui propterea in sua catholica epistola c. 1. v. 17. scribit: *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum.* O Clementian divinissimi Patris benignissimam, quæ usque modo perseverat, qui usque ad præsens vitæ momentum nos conservat, de hoc æterni Patris beneficio ipse unigenitus ejus filius loquitur: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Joann. 5. v. 17. Addiscamus proin gratitudinem filialem erga Patrem cœlestem a S. Augustino, qui grato animo beneficia accepta recolens ita loquitur ad eum: „ omnibus „ horis, & momentis fruor bonis misericordiae tuæ, quoniam semper perirem, nisi „ quia semper regis me, semper morerer, nisi „ quia semper me vivificas, & omni momento „ me tibi obligas, dum omni momento „ mihi tua beneficia præstas. „ O homo si tamen homo es, cum Deo Patri tuo non servias, qui tamen te creavit hominem, ut adhuc homo sis, conservat, & quotidianis replet beneficiis: quid est hoc, diabolo servis, qui te fecit peccatorem, & omni hora faceret ejusdem secum pœnæ consortem, nisi te Pater in tuo esse conservaret, ut iterum bonus, & justus fias, servito ergo Patri cœlesti, nam huic servire regnare est.



## P A R S II.

*A Filio præsentiam ejus in Eucharistia.*

Quid modo dicam de copiosis filii æterni beneficis, qui replet nos in benedicto pane eucharistico omni benedictione, dum est Emmanuel, id est, nobiscum Deus in eucharistiæ sacramento: *benedicat nos Deus, Deus noster.* Ps. 66. v. 8. sic enim Pater cœlestis *Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Joann. 3. v. 16. Et ubi magis dedit filium, & adhuc dat, nisi in Eucharistia, in qua nobiscum est usque ad consummationem sæculi habens delicias suas esse cum filiis hominum. Si gloriabantur olim Hebræi dicentes: *nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Deut. 4. v. 7. Quibus tamen Deus duntaxat assistebat in columna, vel ministerio Angelorum, quæ eorum fuisset admiratio, si ipsum æterni Patris Filium Dei unigenitum, in sacramento habuissent præsentem? quas nos gratiarum actiones referamus, quo illum obsequio tanquam verum Deum nostrum adoremus! o infinitus Christi Eucharistici amor erga hominem! quisquis amat prædilectam sibi creaturam, hic semper eam ob oculos positam, præsentemque habere cupit. Cum ergo Christus pro nobis incarnatus diligat hominem, semper in sacramento Eucharistiæ per præsentiam corporalem homini adesse voluit, & ne quidem per unicum diei momentum a nobis distare patitur, qui in  
sacra

sacra communione homini tanquam sponsæ  
 sponsus imprimi dignatur in corde veluti in  
 cera: *pone me ut signaculum super cor tuum.*  
 Cant. 8. v. 6. Profecto de hac Christi Eu-  
 charistici præsentia dicere fas est, quod dixit  
 vas electionis S. Paulus: *vivo autem jam non*  
*ego, vivit vero in me Christus.* Gal. 2. v. 20.  
 Qua igitur poena digni sunt, qui Eucharistico  
 pane nutriti exigüam, vel omnino nullam Deo  
 suo rependunt gratiarum actionem, hi quidem  
 præbent cordis diversorium verbo divino, quod  
 in sacra Synaxi recipiunt, sed hospitem suum  
 divinissimum, qui tamen omni honore, & re-  
 verentia dignissimus est, nequidem alloquio  
 dignantur.

P A R S III.

*A Spiritu sancto charitatem.*

Quid jam memorem de beneficiis a Spiritu  
 sancto receptis, qui ut ad serviendum  
 fortiter ac suaviter nos alliciat, charitatem  
 diffundit in cordibus nostris? ille divinissimus  
 Spiritus est per charitatem consolator optimus,  
 & dulcis hospes animæ nostræ, quia conso-  
 latur nos in omni tribulatione, sicut conso-  
 latus est pueros Babylonicos, quos in medio  
 ignis ardentis illæsos, laudemque Dei canen-  
 tes conservavit. Spiritus sanctus est, a quo  
 habemus gratiam, & charitatem; Quanta  
 enim charitas Spiritus sancti, qui uberrimos  
 gratiarum suarum radios spargens sine suo Nu-  
 mine nihil vult esse in homine, quem etiam



proprium suum sacrarium, ac templum effecit: *templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis.*

*1. Cor. 3. v. 16.* Quanta charitas Spiritus sancti, qui jam in sacro baptismatis fonte nobis illucescere sua incoepit gratia, per quam eandem spiritus sancti naturam participamus: *divinae consortes naturæ.* *2. Petr. 1. v. 4.* Hic

divinissimus Spiritus innovat mores nostros, quos e pessimis in optimos commutat; quis enim innovavit mentem Davidis, ut iniquitatem odio habens rursus fieret sacrum Spiritus sancti habitaculum? innovavit Spiritus sanctus, qui Davidis animæ charitatem per peccatum amissam infundebat ita petentis: *spiritum re-ctum innova in visceribus meis.* *Ps. 50. v. 12.*

Quid S. Stephanum adeo plenum reddidit gratia, & charitate, ut ei viventi adhuc aperirentur coeli? fecit Spiritus sanctus; nam *cum esset plenus spiritu sancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei.* *Act. 7. v. 55.* Necdum sa-

tis, percipite etiam, quomodo, Spiritus sanctus non solum justos repleat plenitudine charitatis, sed & injustos per charitatem innovet, ecce! mirabile quid contigit sancto Ottoni Bambergenfi Episcopo, qui in Pomeraniam profectus, cum gentem illam ad fidem perduceret, & salutaribus baptismi undis abluere inciperet, in Neophytorum frontibus jucundum spirituales gratiæ rutilare fulgorem conspexit, quod etiam ipsi cives adeo luculenter cernebant, ut baptizati a non baptizatis velut lux a tenebris facillime discerni possent: quapropter maximus ad baptismum fuit concursus populi,


qui



qui tamen prius sacro lavacro ablui tergiverfabatur. Sequamur ergo D. Augustini monitum dicentis: „ejice spiritum diaboli, & spiritum mundi hujus, & accipies spiritum Dei.„ O quam magna ergo est ingratitude hominis, qui Spiritum sanctum, quem in baptismo recepit, e sua capta possessione, quam in anima sibi vendicavit, per peccatum mortale deturbat, o infelix servitium, quod homo Tyrannico Domino spiritui maligno exhibet, cum tamen soli bonitatis Spiritui servire sit obstrictus.

*Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Rom. 6. v. 12. Sed uni Domino serviamus, qui est summum bonum, a quo omne bonum habemus, a Patre cœlesti conservationem, a filio præsentiam in Eucharistia, & a Spiritu sancto charitatem, hic est Dominus Dominantium, illi servire regnare est, excutiamus jugum Diaboli, qui sibi dominium in nos arrogare perperam attentat, serviamus uni Domino in terris, ut cum eo uno, & trino regnare possimus in cœlis. Amen.*





## QUÆSTIO SACRA II.

*Quare Christus in hodierno Evangelio pro exemplo non adducat grandia animalia, ut Leones, & Elephantes, sed minima scilicet aviculas?*

### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus per hoc vult ostendere, habendam esse curam etiam minorum, 1. nam etiam opera minima Deus maximi aestimat, 2. & maxime remuneratur.

### T H E M A.

*Respicite volatilia cæli. Matth. 6. v. 26.*

**S**emper & ubique misericordissimus Deus benignissima clementiæ suæ viscera omni homini aperiebat, & erat omni tempore amantissimus Pater, qui filios hominum paterna sua cura custodit, fovet, protegit, visitat, atque defendit: hanc suam clementiam ante oculos posuit Osæ Prophetæ: *ego quasi Nutritius Ephraim portabam eos in manibus meis.* Osæ. 11. v. 3. Et rursus hodie in Evangelio summam providentiæ suæ benignitatem Discipulis suis perpendendam commendat, dum ipsemet vult esse Pater noster, qui nobis dat panem nostrum quotidianum, omnemque curam, & sollicitudinem sibi deposcit relinqui, atque

atque ideo dicit: *respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vesier cælestis pascit illa.* Matth. 6. v. 26. Sed quare Christus pro exemplo non adducit grandia animalia, ut Leones, & Elephantes, sed minima, scilicet aviculas? factum id esse opinor, ut ostendat habendam esse curam etiam minimorum, 1. nam etiam opera minima Deus maximi æstimat: 2. & maxime remuneratur.

P A R S I.

*Etiam opera minima maximi Deus æstimat.*

**M**inima hodie animalia Deus ter optimus, maximus in Evangelio ad imitandum proponit: *respicite volatilia cæli*, de minimis loquitur Salvator, ut ostendat, quod minima etiam opera maximi æstimet. Habemus de super argumentum in sponsa, a qua se vulneratum fatetur sponsus: *vulnerasti*, (alii legunt: *rapuisti*) *cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Cant. 4. v. 9. Quod sponsa cor sponsi fauciet oculo, haud miror; sunt enim oculi sagittæ amoris, quod autem vulneret cor sponsi in uno crine, plane in admirationem raptor, quid enim minus crine? quid levius? attamen placet eorum glossa, qui arcana hujus mysterii referantes autumant, per crinem denotari minima etiam justorum opera, iis autem adeo affici cœlestem sponsum, ut ea maximi pendat, ac æstimet, enimvero id ipsum



294 *Dominica XIV. post Pentecosten.*

opere satis ostendit Christus in minimis Magdalenæ operibus, venit illa Luc. 7. in domum Simonis leprosi, prosternitur ad pedes Jesu, osculatur pedes ejus, unguento & balsamo inungit, lacrimis rigat, capillis tergit; quid minus osculo pedis? quid levius abstersione eorum? quodnam illo levius servitium? & tamen hæc minima Magdalenæ opera maximi Christus æstimat, & multum extollit dicens v. 45. *osculum mihi non dedisti, hæc autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos, oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos, propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa.* Imo tanti æstimat minima opera, ut etiam ea in magno judicii die sit deprædicaturus: *venite benedicti Patris mei, esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere.* Matth. 25. v. 34. Ecquod minus pietatis & misericordiæ opus, quam dare buccellam panis, & haustum frigidæ? & tamen hæc utut minima Deus summopere æstimat. Perlegamus acta Apostolorum, & inveniemus ibi, quam magni habuerit Deus Pauli ærumnas, dicit enim: *ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Act. 9. v. 16. Observate vocem: *quanta*, emphatice extollit Christus passionem Pauli veluti rem maxima consideratione dignam: ast quænam erat illa? ipsemet fatetur Paulus inquit: *adimpleo ea, quæ desunt, passionum Christi in carne mea.* Col. 1. v. 24. Hæc actio Pauli passioni Christi comparata exiguum quid erat, imo nihilum; passio enim Christi Ocea-  
nus

nus est, passio autem Pauli guttula, passio Christi infiniti valoris est, passio Pauli finita fuit. O incautos proin, & improvidos homines, qui tam multa bona opera licet parva negligunt peragere, quæ facillimo negotio facere possent, quibus tamen Deo vel maxime placerent,

P A R S II.

*Et maxime remuneratur.*

Quod Deus maximi faciat opera minima, exinde colligere licet, quia eadem maxime remuneratur: magnis sane promissionibus cumulabat fidelissimus Deus Davidem, & Abrahamum; dixerat enim ad David: *stabiliam Thronum Regni ejus usque in sempiternum, ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium.* 2. Reg. 7. v. 13. ad Abraham vero ita locutus est: *benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas, & velut arenam, quæ est in litore maris.* Gen. 22. v. 17. Quæ ergo magna operati sunt opera David, & Abraham, ut eis Deus tam amplas redderet promissiones? adducam in medium utriusque opera; David pro eo tempore cogitabat duntaxat de templo in Dei cultum erigendo, quod tamen reipsa non ædificaverat. Abraham vero solummodo paratus erat immolare filium, quem tamen non immolabat, nec maëtabat: nuda & simplex voluntas res est exigua, & nihilominus in utroque adeo grata fuit Deo, ut eam tam liberali promissione remuneraretur. Nonne



hydriam tantum aquæ porrexit Rebecca sollicitanti servo Abrahæ Gen. 24. ? exiguum certe officium, & donum est haustus aquæ, & tamen Deus ita acceptabat hoc modicum ministerium, ut aureis donis, & felicissimis nuptiis id remunerari voluerit. Nonne operarii novissime conducti una tantum hora laborabant in vinea Patrisfamilias Matth. 20. ? una hora ad integram diem collata res parva & exigua est, & tamen brevis, & levis hic operariorum labor tantopere placebat Patrifamilias, ut cum reliquis integrum denarium diurnum reportarent. Videte servum Evangelicum Domino in modico tantum fidelem, qui tamen æternum retulit gaudium a Domino his verbis eum commendante: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. v. 21. Quantum Deo etiam minima placeant opera, & quam magno eos præmio afficiat, quarumdam Historiarum testimonio comprobare lubet, ac præprimis in vitis Patrum de quodam legitur Eremita, quod ad unum ferme milliare ad fontem bibiturus accesserit, sicque eundo, & redeundo corpus suum mortificaverit, senescenti vero venerit in mentem, habitationem suam fonti magis vicinam construere, & illud deambulationis tempus oratione, ac meditatione infumere: cum hæc cogitans more solito fontem accederet, advertit hominem se insequentem, qui articulatim omnes ejus gressus dinumerabat, atque in tabula describebat: Eremita conversus  
ad



ad hunc hominem sciscitatur, quisnam esset, & cur tam sedulo se euntem, & redeuntem observaret? respondit viator: „ego sum Dei „ Angelus missus in tui custodiam, & curam, „ id, quod numero, & ad calculum reduco, „ gressus tui sunt, quos omnes tibi Deus „ maxime remunerabitur. „ inde cognoscens Eremita, Deum tam bonum, & liberalem retributorem, tugurium suum ad locum medio milliari adhuc longius a fonte distantem transfuit. Simile quid legitur in vita S. Lidwinæ, quæ ad tantam paupertatem est redacta ob diuturnam triginta octo annorum infirmitatem, ut nil præter tres nummulos possideret, ex quibus unum ad ejus fores egeno eleemosynam roganti S. Virgo porrigere ancillam suam jussit, quæ eleemosyna licet tenuis Deo tantopere placuit, ut nunquam residui nummi defecerint, sed semper tres residui permanerint, ita ut etsi duos forte nummos pro rebus necessariis expenderet, proin nonnisi unicus remaneret, paulo post tamen in marsupio iterum tres nummi invenirentur, hac miraculosa liberalitate divina, quamdiu Lidwina viveret, semper propagata, qua Deus demonstrare voluit, quantum æstimet opus etiam minimum, pia intentione præstitum, ac quam largiter illud remuneretur. Profecto non requirit a te Deus magna opera, ut tibi venalem exhibeat æternam gloriam, exigua eleemosyna, brevis oratio, levis mortificatio, abstinencia modica, parvum fraternæ charitatis opus, si facis ex Dei amore, coelum tibi coemet.

Laudemus igitur magnam Dei misericordiam, & liberalitatem, qui etiam opera minima maximi æstimare, & maxime remunerari solet, non negligamus minora etiam opera bona, quia omne bonum placet Deo, simus in modico fideles servi, & supra multa constituemur in regno Dei, confiteamur Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Amen.

✻:✻ ————— ✻:✻

### QUÆSTIO SACRA III.

*Quomodo primo debeamus quærere regnum Dei?*

#### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Primo quærimus regnum Dei præponendo coelestia terrestribus, 1. ad quod Natura inonet, 2. & gratia Dei adjuvat.

#### T H E M A.

*Quærite ergo primum regnum Dei. Matth. 6. v. 33.*

**S**i id, quod est ultimum in executione, primum est in intentione, regnum Dei, quod ultimo nobis advenit, primo quærendum est, Christo nos docente: *quærite ergo primum regnum Dei.* Ita est, primo regnum Dei est quærendum; interrogatus quondam Bias unus ex septem Græciæ Philosophis: quid homo specialiter agere debeat? respondit: imitari colum-

columbam, quæ non quiescit in luto, sed præ-primis alta quærit: hinc etiam sponsus in Canticis sponsam suam voluit esse columbam, dum ad illam dixit: *amica mea, columba mea*, Cant. 5. v. 2. At quæri potest, quomodo sponsa Christi debeat volare ad altas coeli sedes, quomodo primo quærendum ab ea sit regnum Dei? ad quod patet responsio, si columbæ indolem consideres, columba non quiescit in luto, sed alta petit, non est quiescendum in luto rerum terrestrium, de quibus S. Paulus ait: *omnia arbitror ut stercorea*, Philipp. 3. v. 8, sed præponenda sunt coelestia terrestribus, 1. ad quod natura monet, 2. & gratia Dei adjuvat.

P A R S I.

*Ut præponantur coelestia terrestribus, Natura monet,*

**I**psæ naturæ auctor Deus ita hominis naturam formabat, ut naturali appetitu sursum tenderet ad coelestia; cum enim alia animalia curva, & ad terram prona creasset, hominem rectum fecit, hinc Poeta canit; pronaque cum spectent animalia cetera terram, os homini sublime dedit, cœlumque tueri, & iussit rectos ad Sydera tollere vultus, in eum absque dubio finem, ut homo coelestia, & sydereæ terrestribus præponat, & primo regnum Dei quærat. Ad id ipsa humani cordis conditio, ac natura videtur omnimodis inclinare; est enim illud a parte superiori, qua cœlum  
respi-



respicit, amplum & apertum, a parte vero inferiori, qua respicit terram, constrictum, & in acumen quoddam desinens, ut teste Francisco Labata ex ipsa hac naturali constitutione significetur, cor hominis debere cœlestibus patere amplum & apertum, terrena autem unico veluti puncto duntaxat esse attingenda: hinc ea, quæ fursum sunt, homo quærat, non quæ super terram; propterea enim creator omnium Deus primo creavit cœlum: *in principio creavit Deus cœlum.* Gen. I. v. I. Ut præprimis homo hanc felicitatis æternæ superiorem regionem respiceret, eamque primo quæreret: *quærite primum regnum Dei.* Hoc ubi fecit Nabuchodonosor Rex superbissimus, ac oculos suos in cœlum levavit, tunc primum respexit, unde S. Hieronymus de illo bene scripsit, „ nisi oculos elevasset ad cœlos, „ sensum pristinum non recepisset. „ Nec abs re; sicut enim oculum nostrum, quantumvis purus & acutus sit, minima pulveris particula lædit, & a visione impedit, sic minimus terrenarum rerum affectus intellectum hominis obfuscatur, & turbatur, ne in altum tendere queat. Quanto igitur magis anima nostra a rerum terrestrium fordibus defœcata est, tanto constantius oculum mentis ad cœlestia dirigit; ac in iisdem unice defigit ex inclinatione quadam naturali, quæ magis propendet in pulchriora, ac nobiliora præ minus pulchris, minusve nobilibus, hinc S. Chrysostomus recte ait: „ quemadmodum is, qui foeminam quam- „ piam adamavit, alia visa, quæ pulchritu- „ dinem

„ dinem prioris excedit, illa neglecta hanc  
 „ deperibit, sic hujus mundi sectatores, quam-  
 „ primum divina pulchritudo illuxerit, terre-  
 „ nam facile gloriam contemnent, eosque  
 „ ipsa natura impellet, ut cœlestia præpo-  
 „ nant terrestribus. „ Quapropter ait David  
 Rex: *fili hominum, usquequo gravi corde, ut  
 quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*  
 Ps. 4. v. 3. Ecce! quomodo Propheta Regius  
 retrahat hominem a vanitate mundana, &  
 trahat ad cœlestia, ideo statim addidit: *sacri-  
 ficate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino.*  
 v. 6. O filii hujus sæculi, cur vos in luto vo-  
 luptatum terrenarum contra vestrum rationalis  
 naturæ appetitum immergitis? cur quæ-  
 ritis tanta solitudine bona terrestria, caduca,  
 & peritura, nonne, ut mentem ad cœlum  
 elevetis, creati estis? cœlum vestra patria  
 est, non habetis hic manentem civitatem, si  
 sapitis, primo quærite regnum Dei.

P A R S II.

*Et gratia Dei adjuvat.*

**U**t natura fortiori conatu tendat ad cœlestia,  
 & primo regnum Dei quærat, naturales  
 ejus vires strenue adjuvat Dei gratia; hanc  
 autem ut exoremus pro regno Dei obtinendo,  
 Christus nos præprimis hortatur, nos instruens,  
 ut præ omnibus bonis cœlestia bona petamus:  
 priusquam enim pro pane quotidiano nos orare  
 jusserat, voluit, ut petamus: *sanctificetur no-  
 men tuum, adveniat regnum tuum.* Matth. 6. v. 9.  
 Quin-



Quinimo fortiter ac suaviter ipsamet efficax Dei gratia impellit hominem, ut primo quærat regnum Dei, hæc divina gratia Simeonem justum & timoratum, cum puerum Jesum nonnisi unica vice vidisset, tam abundanter replebat, & adjuvabat, ut cœlestia terrestribus præponens noluerit ultra aliquid aliud respicere, imo nec diutius in terra remanere dicens: *nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Luc. 2. v. 29.

O quam efficax fuit illa auxiliatrix gratia, quæ Zachæum adjuvabat, ut cœlestia terrestribus præferret, nam prius bonis temporalibus ex toto corde immerfus cupiebat videre Jesum, qua autem via ad Christi cognitionem pervenit? *præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum.* Luc. 19. v. 4. Mox vero, ac se se a terra elevaverat, filium Dei videre meruit, hinc ait S. Ambrosius L. 8. in Luc. ,, nemo facile Jesum videt, nemo potest Jesum videre constitutus in terra: postquam vero Jesum intra domus suæ hospitium recepit, mox omnes thesauros suos mente despexit ac deseruit, ,, divina absque dubio gratia adjutus. similis Dei gratia adjuvabat mulierem Samaritanam, ut terrena despiciens bona cœlestia anhelaret; quamprimum enim sibi a Christo dici audierat, *aqua, quam ego dabo tibi, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam,* Joann. 4. v. 14. confestim Dei gratia repleta, cœlestibusque desideriiis plena exclamabat: *Domine, da mihi hanc aquam.* Nec minus ardentem cœlestium amorem, &

ter-



terrestrium tædium efficax Dei gratia producebat in primitivæ Ecclesiæ Christianis, qui sua bona vendita ponebant ante pedes Apostolorum Act. 4. v. 34. ut ostenderent, pecunias, & bona terrestria pedibus conculcanda, & nonnisi quærenda esse cœlestia. Eadem Dei gratia, ut hos primos imitaretur Christianos, fortiter impulit Nivardum Juniorem S. Bernardi fratrem, habebat quippe S. Bernardus quinque fratres, & unam sororem, quæ postmodum etiam Monialis facta est, ingrediebantur fratres sacrum S. Bernardi Ordinem, & cum omnes usque ad natu minimum, qui adhuc puer erat, jam militarent sub regula S. Bernardi, Guido primo genitus in platea hunc puerum fratrem suum est allocutus: *eja, Nivarde, ad te solum respicit terra possessionis nostræ; at hic puer responsum non puerile dedit: vobis ergo cœlum, mihi terra? non ex æquo divisio hæc facta est, ideo & ipse Dei adjuvante gratia cœlestia terrestribus præferens contempto mundo monachalem S. Bernardi habitum assumpsit. Cur ergo tibi, o homo, non sapiunt cœlestia? quære ea, gratia Dei ad te adjuvandum semper prompta est, cum Deus non solum offerat, sed & conferat cuilibet homini auxilia sufficientia supernaturalia, pete Dei gratiam, ut sapiant cœlestia, & tibi desipient terrestria, aspice cœlum, & tibi sordebit terra.*

Quæramus ergo primo regnum Dei, & cetera adjicientur nobis, consideremus cœlestium

stium bonorum decorem, & nullum capiemus desiderium terrestrium: ipsa natura nos monet cœlestia præferre terrestribus, & gratia Dei suaviter adjuvat, erigamus ergo sursum corda, & nobis fordida vilescet terra, dicamus orationem ad Deum, ad quam Ecclesia Mater nos in suis precibus adhortatur: *Deus, multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.* Amen.



## DOM. XV. POST PENTECOST.

## QUÆSTIO SACRA I.

*Quare Christus etiam non rogatus defunctum viduæ filium resuscitaverit?*

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus per hoc voluit docere, 1. ut sicut ipse prævenire solet preces nostras, 2. sic & nos præveniamus preces proximi nostri.

## T H E M A.

*Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: noli flere. Luc. 7. v. 17.*

**Q**uod Deus consolator optimus Davidem desolatum sit consolatus, haud miror: *tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me,* fatetur Propheta Regius Ps. 85. v. 17.

Cla-



Clamaverat enim positus in angustiis, & desolationibus ad consolatorem cœlestem Deum: *ad Dominum, cum tribularer, clamavi.* Ps. 119. v. 1. multum autem me rapit in admirationem, quod Christus Deus consolatus sit in Evangelio viduam afflictam, quæ tamen non clamabat ad eum: viderat eam Dominus desolatam, & mox misericordia motus eandem consolatur, ac filium ejus a morte suscitatur: *quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: noli flere.* Quæstio jam ventilari potest, quare Christus etiam non rogatus defunctum viduæ filium resuscitaverit, illamque ultroneo hoc miraculo solari voluerit. Huic quæstioni respondendum arbitror, Christum per hoc voluisse docere opera charitatis, 1. ut sicut ipse prævenire solet preces nostras, 2. sic & nos præveniamus preces proximi nostri.

P A R S I.

*Sicut Christus prævenire solet preces nostras.*

Tanta est Christi miserentis Clementia, ut etiam non rogatus succurrat miseris, & hominum preces præveniat, id liberaliter concedendo, quod illi rogare desiderant. Perlegite Evangelium, ut ultroneam Christi charitatem inveniatis, spectate Christum in Cana Galilææ, implorat eum ibi deficiente vino Mater sua, ut opem ferret, sed dicit Christus ad eam: *quid mihi, & tibi est mulier?* Joann. 2. v. 4. Mansuetissime Christe, cur tam dure alloqueris Matrem? cur vocas mulierem? re-

*P. Friderici a Jesu P. Dom. Tom. II. U spon-*



spondet S. Chrystomus: „ne qua suspicio  
 „ oriretur, quod miraculum precibus, ac  
 „ interventu Virginis sollicitæ fiebat; cum  
 „ enim hujus miraculi beneficium fuerit pri-  
 „ mum, voluit Christus id facere non rogatus,  
 „ & sine aliorum precibus, ut ostendat prom-  
 „ ptitudinem bonitatis suæ ad benefaciendum;  
 „ hinc & austere respondit, ut omnis arcea-  
 „ tur suspicio, beneficium præstari precibus,  
 „ sed potius ultronee, cum velit Christus  
 „ prævenire preces nostras.„ Aliud ultroneæ  
 Christi charitatis exemplum enarrat S. Joannes c. 5. v. 6. cum infirmum non rogatus sanasset, *cum vidisset Jesus jacentem, & cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei, vis sanus fieri?* super hoc factum ait S. Cyrillus: „magnum misericordiæ Christi est argu-  
 „ mentum, non exspectare semper laboran-  
 „ tium preces, sed sua misericordia præveni-  
 „ re, dum Christus infirmum rogantem non  
 „ exspectat, sed ipse prævenit, ipse rogat de  
 „ sanitate præstanda, ipse ultronee obviat,  
 „ & offert salutis remedium, insignem suam  
 „ in hoc negotio commendat bonitatem, dum  
 „ prævenit preces nostras.„ O magna divini  
 Pastoris misericordia, qui non rogatus erra-  
 bundam oviculam Thomam Apostolum cura-  
 bat, jacebat Thomas infirmus, utpote ab infernali lupo per peccatum infidelitatis vulneratus, sciverat cœlestis Pastor incredulum Thomam remedio indigere, noverat anxium ejus desiderium ad se videndum, audierat eum dicentem: *nisi videro in manibus ejus fixu-*

ram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Joann. 20. v. 25. & ecce! dum adest Jesus bonus pastor, non exspectat, donec Thomas rogatum veniret, atque ejusmodi gratiam peteret, sed ipsemet Christus prævenit ejus preces, vocemque Thomæ ovis hujus vulneratæ: ultronee saucio per infidelitatem Thomæ sacratissimorum vulnerum contactum tanquam præsentissimum propinat remedium; tanta quippe est Christi misericordia, ut etiam non rogatus omnibus sufficientia conferat salutis remedia; quid enim dicam de quotidianis aliis ultroneæ Christi charitatis exemplis? nonne o homo, Deus te quotidie nutrit, & sæpius alimenta ab eo non petis, præservat te a malis, & non rogas, sanum te, & incolumem conservat, & pro sanitate fors nunquam supplicas, millenis te replet beneficiis, quæ non petis, quinimo non desinit peccare, & inique agere, ille autem non desinit tibi benefacere.

P A R S II.

*Sic & nos præveniamus preces proximi nostri.*

**P**ulcherrimum aspeximus Christi exemplum, qui non rogatus in adiutorium nostrum intendit, similiter ergo & nos faciamus, ac præveniamus preces proximi nostri, ita hortatur nos Apostolus dicens: *charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes.* Rom. 12. v. 10. Charitas nostra, quam



Poeta alatum repræsentat dicens: amor addit alas, ad sublevandam proximi miseriam volare, ejusque preces prævertere debet; vivimus enim in uno mystico Ecclesiæ Catholicæ corpore, cujus caput Christus est, tanquam membra viva, quæ sane ultroneum sibi mutuo auxilium præstare oporteret, sicut in naturali corpore unum membrum statim, & ultroneo charitatis impulsu succurrit alteri corporis membro periclitanti. Sisto vobis ob oculos præclara charitatis facinora, quæ præstiterunt generosissimæ Matronæ Judith, & Esther, sed quæro ex vobis, cui palmam tribuitis? fortassis Judithæ? & optime, nam legitis de illa: *tu Gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter.* Judith. 15. v. 10. Insuper post mortem luxit eam populus diebus multis, quod tamen de Esther non legitis: verum nonne Judith unicam & solam Bethuliæ civitatem ab interitu liberavit, cum tamen fortis Esther totum Israeliticum populum ab excidio liberaret, nonne ergo potius Estheri debetur palma, quam Judithæ? at major tamen est charitas, quam fecit Judith; hæc enim prævenit preces Bethuliensum, & nemine rogante, aut hortante mascula virtute dignum facinus aggreditur, Holoferni caput amputat, hujusque morte non rogata civitatem libertati restituit. Esther autem salvabat quidem totam Judæorum progeniem ab imminente interitu, sed ad id rogata, & importunis Mardochoæi precibus sollicitata. Inspicite etiam speculum justitiæ



stitiæ Beatissimam Virginem, in qua videbitis effulgentes ultroneæ charitatis radios; hæc enim Mater pulchræ dilectionis, quin preces cognatæ suæ Elisabeth expectaret, ultro cum festinatione transibat super montana, ut per Salvatoris nostri præsentiam Joannem sanctificaret in utero, ut nobis esset exemplo, quod tanto studio succurramus proximo, ut ejusdem preces præveniamus: hanc quoque spontaneam charitatem persuadent nobis præclara Majorum nostrorum exempla, prodeat jam in medium ultronea charitas Sanctiæ fidelissimæ uxoris Ferdinandi Conzalez Comitum de castella, hic tenebatur captivus a Rege Legionensi in Hispania, & de capite periclitabatur, sollicita uxor ejus Sanctia sub prætextu peregrinationis ad S. Jacobum transiens, cum esset Regi sanguine juncta, impetrabat precibus, ut ad Maritum in carcerem admitteretur, quo obtento pia mulier cum marito suo vestes mutat, ac una cum illis masculum induta animum remanet in carcere, ex quo Ferdinandus erupit feliciter, atque evasit, qua conjugis in Maritum suum charitate detecta, ac plurimum deprædicata comes plena securitate, ac libertate deinceps potiebatur. Non minus nota est ultronea S. Paulini charitas, qua ipse præveniens preces proximi non sua tantum, sed denique se ipsum etiam in captivorum redemptionem impendit. Quid loquar de eximia charitate S. M. Theresiæ, quæ se sponte ad vilia quæque monasterii servitia obtulerat, aliasque præveniens moniales, labo-

res læto animo in se susceperat: econtra quam tepida est, o christiane, tua charitas, quæ etiam sæpe rogata nonnisi remisse succurrit proximo, recogita, cum quanta impatientia occurras mendico stipem roganti, cui tamen cum omni patientia, & ante preces succurre-re deberes.

Moveat ergo nos exemplum Christi præ-venientis preces nostras, ut & nos præveniamus preces proximi nostri, sit prompta, ac velox charitas nostra ad proximum nostrum juvandum, & Dominus ad adjuvandum nos festinabit, impendamus proximo opera misericordiæ etiam non rogati, sic Beati erimus juxta Christi promissum Matth. 5. v. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Amen.



## QUÆSTIO SACRA II.

*Ad quid nos Christus hortetur, dum mortuo adolescenti dixit: tibi dico, surge?*

### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus hortatur nos, surgendum esse spiritualiter, 1. scilicet de peccato, 2. sed cito.

T H E M A.

*Tibi dico, surge.* Luc. 7. v. 15.

**S**i saluberrima incarnati verbi verba, quæ reliquit hominibus, in memoriam revoco, inveno in sancto Christi Evangelio, quod Redemptor optimus sæpius repetierit verbum *surge*; dum enim paralyticum sanasset, dicebat ei: *tibi dico, surge, tolle grabatum tuum.* Marc. 2. v. 11. cum puellam filiam Principis synagogæ Jairi ad vitam revocasset, idem audiebatur verbum: *puella, tibi dico, surge.* Marc. 5. v. 41. cum leprosum quemdam Luc. 17. a lepra curaret, eodem quoque verbo utebatur, *surge, vade.* v. 19. & hodie quoque, cum mortuum Matris filium resuscitasset, in hunc ferme modum locutus est: *tibi dico, surge.* Minime dubia quidem veritas est, quod adolescenti voluerit Christus tanquam Dominus vitæ, & mortis præcipere, ut surgeret a somno mortis corporalis, non minus tamen certum est, quod dum Medicus cœlestis impertitur sanitatem corpori, etiam animæ salutem præprimis intendat, & ideo pie credendum est, quod adhuc alia veritas sub hac voce *surge*, delitecat: pandamus ergo illius mysterium quærentes: Ad quid nos Christus hortetur, dum mortuo adolescenti dixit: *tibi dico, surge?* respondendum censeo quod Christus hortetur nos, surgendum esse spiritualiter 1. scilicet de peccato, 2. sed cito.



## P A R S I.

*Surgendum est de peccato.*

Optimo fane jure peccatum mortale dixerò lethargum, cui ita immerfus jacet peccator, ut nullum vitæ æternæ meritorium opus peragere queat. Hic spiritualis animæ somnus adeo periculosus est, ut D. Apostolus Romanos suos, nosque omnes vehementer excitet dicens: *hora est, jam nos de somno surgere, abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Rom. 13. v. 11. Hoc suum monitum omnium primus observaverat ipse Apostolus, erat ille profundissimo peccatorum somno sopitus, excitabat eum valida vox de cœlo descendens, clamansque: *surge.* Act. 9. v. 6. Paulus autem vix percepta excitantis voce mox evigilans ait: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. v. 6. & a suo peccati lethargo surrexit: *surrexit autem Paulus.* v. 8. Sed necdum abbreviata manus Domini, quotidie enim peccatores valida auxiliorum supernaturalium voce e somno peccati excitat, & sicut olim Joann. 11. Christus Lazarum quadriduo jam mortuum evocabat ad vitam, atque amoto sepulcrali lapide, *tollite lapidem.* v. 39. voce magna clamabat: *Lazare veni foras.* v. 43. ita quoque singulis ferme momentis ejusmodi Lazaros, peccatores inquam, a morte excitat; Lazarus enim symbolum peccatoris est, in quo præprimis Christus aufert sepulcri lapidem, seu occasionem peccati, excitat eum gratia sua

sua excitatrice, ut egrediatur e sepulcro peccatorum, & per sacramenta illi restituit vitam gratiæ: itaque si vocem Domini audieritis, surgite de somno peccati; monet enim, & clamat Christus excitator noster Luc. 21. v. 36. *vigilate omni tempore.* Si fatuæ Virgines surrexissent a somno, & vigilassent, ad nuptias sponsi fuissent admiffæ, excitat nos quoque continuo Christus, ut surgamus a somno peccati, antequam nos mors semper vigil excitet, & cum irreparabili animæ nostræ damno terrificum illud Psalmistæ vaticinium adimpleatur: *dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Ps. 75. v. 6. Melius sibi consuluerat filius prodigus, qui adhuc in tempore e suo peccatorum somno excitatus surrexit. Hinc licet antea totam suam substantiam luxuriose vivendo dissipasset, ita ut porcorum filiquis vesceretur, in se tamen reversus, atque inter mercenarios numerari petens, brachiis paternis, & osculo excipiebatur, ac stola prima, annulo, & calcæamentis ornatur; honorabatur convivio, quo nunquam primogenitus fuerat dignatus; unde hic querulus ait ad Patrem: *ecce tot annis servio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer.* Luc. 15. v. 29. Enimvero magna Patris in hunc suum filium prodigum benevolentia! magna prorsus beneficia! sed unde is tanta promeruit? ecce! sua cognovit errata, excitabatur a somno peccati, & in se reversus dicebat: *surgam, & ibo ad Pa-*



314 *Dominica XV. post Pentecosten.*

*trem meum.* Luc. 15. v. 18. Surrexit itaque a somno peccati, & ideo paternam invenit gratiam, nobis omnibus spem veniæ relinquens, ut, si pariter a somno peccati surrexerimus, a Patre æterno in cœlum simus recipiendi, ac stola gloriæ induendi. Surgendum est ergo a somno peccati, & cum Deus excitet, omnino surgendum est, ne cum dormirent homines, veniat inimicus noster Diabolus, & superfeminet zizania consuetudinis peccaminosæ. Cur ergo, o Christiane, profundo peccatorum somno sepultus manes? audi tot inspirationes, gratias excitantes, & monita. Cogita quod te dormientem mors prævenire posset, & tunc nisi prius e peccati somno surrexeris, dormies somnum æternæ mortis: ergo excute somnum: in tempore opportuno surge, qui dormis, & exsurge, tibi quoque Christus inclamat, quod dixit Adolescenti: *surge.*

P A R S II.

*Sed cito.*

**I**gitur surgendum est de peccato, sed cito; sicut enim cito sumenda est medicina ægroto, cum sero medicina paretur, si mala per longas invaluere moras, ita surgendum est cito peccatori e suo peccati lethargo? morbus quippe periculosus est, applicandæ sunt cito medicinæ sacramentorum, & quemadmodum generosus equus, si cadit, statim resurgit, sic homo cadens in somnum peccati statim resurgat ad statum gratiæ. Vertamus oculos ad  
mise-



miserandam Adæ & Petri conditionem: horum uterque ceciderat, erant pares in peccando peccatores, uterque a Domino præceptum acceperat, Adam, ne fructum tangeret, Petrus, ne Christum negaret, uterque præceptum violaverat, sed dispares erant in surgendo, Adam siquidem tarde, Petrus cito ad veniam rediit. Eccur autem? nonne Adam importunis Evæ sollicitationibus victus est, ex fragilitate potius lapsus, quam malitia, nonne Adam utpote primus homo alieno periculo, & malo sapere non potuit, cum tamen Petrus fuerit monitus, *priusquam gallus cantet, ter me negabis?* Matth. 26. v. 75. Cur ergo Petrus citius obtinuit veniam? quia Adam surrexit sero, Petrus cito: Adam quippe jacuit in peccato, moram tenuit, & primum post meridiem ad vesperam sero vocem Dei audivit, Gen. 3. v. 8. quia auditis etiam Dei vocantis verbis abscondit se, ita ut ejus voces oporteret multiplicari: *Adam ubi es?* Gen. 3. v. 10. Petrus autem admitti peccati illico poenitens ad sanam rediit mentem, de eo siquidem facer attestatur textus: *continuo, adhuc illo loquente cantavit gallus, & egressus foras Petrus fleuit amare.* Luc. 22. v. 60. & 63. „cum ad-  
 „ huc, inquit noster Sylveira, in ore haberet  
 „ verba tertiae negationis, excitavit se ad sur-  
 „ gendum. „ Revocate in memoriam infau-  
 „ stum & Davidis, & Salomonis casum, erant  
 pares in principio, dispares in fine, pares,  
 qui oculorum petulantia lapsi in fordidis ob-  
 lectationibus jacuerunt, adeo tamen dispares,  
 ut


316 *Dominica XV. post Pentecosten.*

ut de æterna Davidis felicitate nemo dubitet, de salute vero Salomonis magnus sit dubitandi locus, unde autem hæc disparitas? ecce! Salomon surrexit fero, David cito, Salomon a Deo per Prophetam de peccato monitus surgere cunctabatur, ut ipsemet fatetur Prov. 24. v. 32. juxta septuaginta: *novissime ego egi penitentiam*: David vero, cum a Nathan corripere, statim surgebat dicens: *peccavi Domino*. 2. Reg. 12. v. 13. clamabat Nathan: surge, & surrexit David, hinc audire meruit: *Dominus quoque transfudit peccatum tuum*. v. 13. quare putatis, quod Ninivitæ tam cito peccati veniam sint consecuti? nonne, quia surrexerunt cito; nam excitati a somno peccatorum statim surrexerunt: *pervenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum a se, & indutus est sacco*. Jon. 3. v. 6. Surrexit cito de superbia ad humilitatem, de vitio ad virtutem, & miseratus est Deus. Audienda proin est vox S. M. Ecclesiæ filios suos quotidie monentis cito surgere a somno peccatorum his verbis: *hodie, si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Dic mihi jam, o peccator? quomodo audes per dies, menses, & sæpius annos in peccato mortali perseverare, annon mortem subito venientem, an non judicium, an non secuturas poenas times? nonne te vox gratiæ adjuvantis, inspirationum Angeli custodis, concionum, exemplorum, lectionis excitat e somno peccati? cito ergo surge, tempus est, ne, ut S. Augustinus ait, per malum nolle perdas bonum posse.

Cle-



Clementissime Deus, ita ad ostium cordis nostri, sicut promisisti Apoc. 3. v. 20. *ecce! sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Excita illud, ut surgat a somno peccatorum, pulsa tua excitatrice gratia, ut surgat cito, dic, quod dixisti adolescenti in Evangelio: *dico tibi, surge.* Sic nos surgemus, & vigilabimus ad adventum sponsi divini, a quo speramus introitum ad cœlestes nuptias. Amen.



QUÆSTIO SACRA III.

*Quomodo Deus est magnificandus?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Magnificandus est Deus in ipsius timore,  
1. qui hominem conservat in gratia, 2. & præservat a peccato.

T H E M A.

*Accepit omnes timor, & magnificabant Deum.*  
Luc. 7. v. 16.

**M**agnus Deus etiam a nobis, quos multis, & magnis cumulavit beneficiis, est magnificandus; ad has enim magnificas Dei laudes invitât nos Psalmista regius Pf. 33. v. 4. *magnificate Dominum meum, quod & fecit magna illa Davidis filia Maria, dum in magnifi-*



gnificas Dei laudes erupit dicens: *magnificat anima mea Dominum.* Luc. 1. v. 46. ita & omnes hodie in Evangelio magna Christi opera videntes *magnificabant Deum, dicentes: quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam.* Luc. 7. v. 16. at quomodo Deus est magnificandus? responsionem indigitat Evangelium dicens: *accepit omnes timor, & magnificabant Deum.* Magnificandus est Deus in illius timore, 1. qui hominem conservat in gratia, 2. & præservat a peccato.

## P A R S I.

*Timor Dei hominem conservat in gratia.*

**N**il magis ad gratiam conservandam homini est necessarium, quam timor Dei, de quo ita loquitur Ecclesiasticus c. 40. v. 28. *timor Domini sicut paradisus benedictionis; sicut enim in paradiso cœlesti conservatur omnis perfectio, suavitas, & delectamentum, sic timori Dei annexæ sunt beatitudines, consolationes, & merita, quæ gratiam Dei conservant: quam efficax autem sit Dei timor, expertus est David, qui ut gratiam Dei conservaret, precabatur ad Dominum: confige timore tuo carnes meas.* Ps. 118. v. 120. sciebat enim Propheta timoratus, quod si timoris clavi esset confixus, in gratia Dei conservaretur: *a judiciis enim tuis timui, feci iudicium, & iustitiam.* v. 120. & 121. at dicet fortassis nonnemo, scriptum est 1. Joann. 4. v. 18. *perfecta charitas foras mittit timorem.* Sed noverit ille, quod perfecta cha-

charitas fervilem duntaxat, non autem filialem expellat timorem; nonne enim filius, dum tenerrime Patrem amat, simul etiam eum timet? nonne Seraphin, & Cherubin amore Dei filiali ardent, & tamen tremunt. Quid Jobum servabat in gratia? servabat Dei timor, ait enim de se: *semper timui Deum.* Job. 31. v. 23. Quid de gratia Dei securum reddebat magnum virum Eleazarum? reddebat Dei timor; hic enim cum plagis perimeretur, dixit: *Domine manifeste tu scis, quia cum a morte possem liberari, duos corporis sustineo dolores, secundum animam vero propter timorem tuum libenter hic patior.* 2. Mach. 6. v. 30. quid usque ad seram senectam in gratia Dei conservabat Sacerdotem magnum Simeonem, ita ut etiam Christum, quem coeli capere non poterant, ipse in ulnis suis portare meruerit? conservabat Dei timor; de eo enim dicit sacer textus. Luc. 2. v. 25. *homo iste justus, & timoratus exspectabat consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo.* Quid in Arsenio Eremi incola ad canos usque annos sartam, tectamque servavit gratiam? sane nihil aliud, nisi perpetuus Dei timor, nam quadam vice, cum lacrimis nullam finem faceret, rogatus, an non cum tot gemitibus securus ad Deum accederet, respondit: fratres mei, metuo, & nec momento sine metu fui, ex quo hanc vitæ normam, secutus, Deo me consecravi. Quid demum gratiam S. Hilarionis Carmelitæ jugiter custodivit illæsam? custodivit Dei timor, siquidem cum ex hoc mortalitatis carcere educi timeret, seipsum in limine mortis  
jam



jam jam constitutum fortiter ad fiduciam in Deum animare necessum habuit, dicens: egredere anima mea, egredere, quid times? septuaginta prope annis servisti Christo, & mortem times? ex his, quæ in præsentiarum adducta sunt, jam satis constare videtur, quod Christiani nullo alio magis efficaci remedio, quam Dei timore salutem suam certam reddere possint, qui de ea semper sunt solliciti, & in angore vivunt, ne peccatum mortale committant, aut aliquo jam sint inquinati, qui jugiter, ac provide pavent, an fecerint omnia, quæ præcepta sunt eis, his profecto semper adest gratia Dei, ac in eadem firman-  
tur, quia haud minimum prædestinationis signum est, timere, an quis prædestinatus sit.

## P A R S II.

*Et præservat a peccato.*

**P**orro timor Dei, sicut hominem in gratia conservat, ita eundem præservat a peccato. Sane Deus ter optimus Maximus, ut ab hoc suos Israelitas præservaret, timorem suum saluberrimum eis incutiebat; cum enim supremus legislator legem Moisi dedisset, antequam eam promulgari juberet, cœpit horrendo tonitru aërem commovere, & totum montem Sinai fumo involvere. Cur Deus præmisit fulmina? aut præcepta sua servari voluit Deus, eapropter cum homines metuere solent fulmina, ac tonitrua, ea præmisit, ut timeret omnis populus, sicque præservaretur



tur a peccato: *timuit populus, qui erat in castris.* Exod. 19. v. 17. Eundem salutarem timorem impresserat Deus menti Adæ, ut hac ratione custoditus a peccato post lapsum non amplius rediret ad vomitum; nam ait Adam: *vocem tuam audivi, & timui.* Gen. 3. v. 10. Idem quoque timor Dei in peccati periculis a peccato præservabat Juditham, & Susannam, de quarum prima, quæ Holofernem prostraverat, dicitur: *quoniam timebat Dominum valde.* Judith 8. v. 8. de secunda, quæ tentationes Senum superabat, legitur: *Susannam pulchram nimis, & timentem Deum.* Dan. 13. v. 2. ideo omni studio intentus erat Senior Tobias. ut sua familia timorem Dei conservaret, eamque saluari hoc remedio a peccato præservaret, ait enim: *nulta bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Tob. 4. v. 23. Edic nobis Bethle-  
 hemitice Eremita S. Hieronyme, quis te præservabat a peccato? audio vocem timorati Hieronymi: ego peccatorum sordibus inquinatus diebus, & noctibus operor cum timore, reddere novissimum quadrantem, & quod mihi dicatur: Hieronyme veni foras. Et tu o homo peccator non times Deum, qui longissime distas a sanctitate Hieronymi? audi, quod dicitur Prov. 28. v. 14. *beatus homo, qui semper est pavidus.* Inculcanda proin sunt omnium animis verba, quæ loquebatur moriens B. Bernardus primus S. Francisci Seraphici Socius: nunc sentio, inquiebat ille, quid sit in Dei timore vixisse; nunc enim pro toto

mundo nollem me aliam vitam instituisse, nunc gaudeo, & exulto, quod mundum spreverim, quod in timore Dei Deo serviverim, quibus dictis placide in Domino exspirabat, documentum relinquens, quantum conducatur ad peccatum evitandum timere Deum. Unde ergo hic ita dissolutus in moribus, nonne, quia timor Dei non est in eo? unde hæc ita vana, immodesta, ac ad Venerem proclivis? timor Dei non est in ea, unde demum tanta inter homines malitia? nonne quia Dei timor longe abest?

Sequamur igitur consilium S. Pauli dicentis: *cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Philipp. 2. v. 12. Sic in gratia Dei per timorem conservabimur, & a peccato præservabimur; dicit enim Thomas Kempensis L. 1. de imit. Christi c. 21. *non est vera libertas, nec bona lætitia, nisi in timore Dei.* Timeamus in terris Deum tanquam Judicem severum, & habebimus Deum ut Patrem misericordiarum in cœlis. Amen.



DOM. XVI. POST PENTEC.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quinam sint similes Phariseis, de quibus mentionem facit hodiernum Evangelium?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Phariseis similes sunt, qui aliorum duntaxat facta considerant, 1. nam magna cœcitas est videre aliorum defectus, 2. non videre proprios.

T H E M A.

*Ipsi observabant eum. Luc. 14. v. 1.*

**B**ene de mundo dixerat in suis epistolis S. Joannes: *mundus totus in maligno positus est*, 1. Joann. 5. v. 18. Id est, omnis dominatur malitia, & immunditia in mundo immundo, simulata quidem sanctitas in mundo quandoque fulget, sed non omne, quod fulget, aurum est, non aurea, sed ferrea, & Pharisaica sanctitas, est, quæ tamen meliori titulo vocari debet malitia diabolica. ita erant constituti hodierni Pharisei, qui rectissimas Christi actiones non rectis observabant oculis: *ipsi observabant eum*, & talibus Phariseis ad-



huc hodiedum totus mundus plenus est, at-  
tamen quinam sunt ejusmodi homines, qui  
similes sunt Pharisæis, de quibus mentionem  
facit Evangelium? eos puto Pharisæis esse  
similes, qui aliorum solum facta considerant,  
1. nam magna cœcitas est videre aliorum de-  
fectus, 2. major autem, imo maxima non  
videre proprios.

## P A R S I.

*Magna cœcitas est videre aliorum defectus.*

**E**nimvero magna cœcitas est videre aliorum  
defectus, imo & magna stultitia, impu-  
dens, ac temeraria audacia; quid enim stul-  
tius, quid impudentius, quam sibi ipsi munus  
Judicis ante tempus attribuere, & proximum  
suum temeraria, ac Pharisaica censura per-  
stringere? cum tamen supremus omnium Ju-  
dex judicium suum ab hominibus præveniri  
nolit: *nolite ante tempus judicare, quoadusque  
veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita  
tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.*  
1. Cor. 4. v. 5. Hi alienorum defectuum ob-  
servatores cœci sunt, & duces cœcorum, simi-  
lesque ipsi Lucifero, dicentes cum eo: *ascen-  
dam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.*  
Isai. 14. v. 14. Per suum pravum judicium  
nubes transcendunt, & Dei similitudinem sibi  
arrogare præsumunt, dum internas hominum  
cogitationes, & intentiones investigant, &  
temerario ausu dijudicant, quorum tamen ju-  
diciu[m] sibi soli reservavit altissimus. Cœcum  
pari-

pariter dixeris Pharisæum illum, qui Christum ad suum convivium invitabat; cum enim Magdalena pro venia peccatorum acquirenda huc venisset, videbat ipse, & observabat Christi actiones, sinistro, ac temerario inferens iudicio: *hic si esset Propheta, sciret utique, quæ & qualis est mulier, quo tangit eum, quia peccatrix est.* Luc. 7. v. 39. Cœcutiebat videns externas aliorum actiones, quas in malam partem vertebat, iniquus erat Pharisæus ille; nam in hoc discernitur bonus a malo, quod bonus in proximo virtutes, & bona videat, non observans, si qui forte lateant nævi, malus autem in proximo ea, quæ bona sunt, non videat, sed umbras quoque defectuum consideret. talem perversum genium habebant Judæi, sanabat Christus paralyticum apud piscinam probaticam, cui licet esset dies sabbati, mandabat tollere grabatum; Joann. 5. nam ecce! subito hic homo sanatus vocatur ad concilium malignantium Judæorum, quæerunt: *quis dixit tibi: tolle grabatum tuum, & ambula?* v. 12. sed cur non interrogant, quis te sanavit? cur non indagant in ipsum opus miraculosum sanitatis? ah erant de numero eorum, qui aliorum virtutes non vident, sed defectuum etiam festucas in aliorum oculis observant: licet paralyticus hic respondisset, Jesum esse suum Medicum, ac Redemptorem optimum, perversi tamen Judæi bona non observabant, sed scrutantes scrutinio apparentem etiam defectum inquirunt, quæerunt de asportatione grabati in sabbato facta, ut hoc in



calumniam trahere possint, erant pessimi hi Judæi, licet paralyticus sanatus homo esset optimus, qui hoc se scire, vel vidisse dissimulabat, ne accusare videretur, sed sanitatem a Christo collatam ut opus bonum se vidisse testabatur. O deploranda cœcitas aliorum videre defectus! verum prohi dolor! quotquot hodiedum adhuc reperire est Pharisæos etiam inter Christianos, qui in hoc unice occupantur, ut in aliorum defectus studiose inquirant, eos male interpretentur, temerarie dijudicent, & sæpius etiam actus bonos pro malis reputent; at cœci sunt hi, & pessimi duces cœcorum, timeant illi severissimum Judicem Christum, cujus infallibile judicium nunc temerario suo judicio præveniunt.

## P A R S II.

*Major autem, & maxima non videre proprios.*

**M**agna cœcitas est notare aliorum defectus, sed major, imo maxima est, non videre proprios, hæc pessima cœcitas Deo omnia videnti ita displicebat, ut Pharisæis, qui ita cœci erant, *væ* minitaretur: *væ vobis Pharisæi hypocritæ, qui œdificatis sepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum.* Matth. 23. v. 29. Ergo o Domine, prohibes Sanctos tuos honorare? minime, imo hoc perquam laudabile est, cur ergo reprehendis Pharisæos, & eis *væ* intentas? respondet S. Chrysostomus?  
 „ ideo *væ* eis minatur Christus, quia cœci  
 „ Pharisæi considerabant opera suorum pa-  
 „ ren-



„ rentum, eos taxando, quod Prophetas oc-  
„ ciderint; ad damnandos ergo suos Patres,  
„ & ut se justos probarent, occisorum Prophe-  
„ tarum sepulcra ornabant, cum tamen ipsi-  
„ met actualiter Prophetas, & justos interfi-  
„ cerent, ut Stephanum, & similes, & ta-  
„ men hæc homicidia in aliis considerabant,  
„ in se autem non videbant., Quanta cœcitas!  
nonne maxima fuit in Moisis sorore, quod  
proprius non videret defectus, videbat qui-  
dem in fratre omnia, eumque ob uxorem  
æthiopiissam temerarie judicabat, proprios ta-  
men defectus non videbat, cœcutiebat non  
videns suam murmurationem adversus Moisen,  
donec a Deo gravi lepra percuteretur, ut men-  
tis suæ oculos aperiens, nunc melius proprias  
observaret maculas. Si quoque Amani, &  
Mardochei fata recenseo, illius sane cœcitas  
fuit maxima, dum enim pessime judicabat  
Mardocheum, eumque, quod illum speciali  
obsequio colere neglexisset, superbiam postula-  
bat, propriam suam non videbat arrogantiam,  
donec Deus, qui superbis resistit, eum humi-  
liaverit, & infami pœna patibuli multaverit.  
Non minorem deprehendo cœcitatem in Pha-  
risæo, qui plenis buccis se ipsum magnificabat  
dicens: *Deus Gratias ago tibi, quia non sum  
sicut ceteri hominum, raptores, injusti, adulteri,  
velut etiam hic publicanus.* Luc. 18. v. 11. non-  
ne cœcus erat, dum proprios defectus, pro-  
priam superbiam, jactantiam, & hypocrisisin  
non viderit; eapropter etiam factum est, ut  
publicanus, qui pectus suum, non alienum

percutiens propria sua crimina considerabat justificatus descenderit in domum suam. Certe mirum est, quod dentur homines superbi, qui tamen se humiles reputant, avari, qui tamen se providos, ac circumspectos dicunt, iracundi, qui tamen se Zelosos jactitant, libidinosi, qui tamen se homines fragiles, non autem peccatores graves fatentur, imo, qui se semper bonos Catholicos vocant, cum tamen peiores sint ipsis ethnicis. O quanta hæc est cœcitas!

Procul sit itaque a nobis hæc magna cœcitas, ut solum aliorum videamus defectus, recedat longissime maxima hæc cœcitas, ut non videamus defectus propios. O Deus, qui es lux mundi, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, illustra cœcitatem nostram, aperi oculos nostros, ut videamus proprias sordes nostras, & claude, ne videamus alienas. clamamus cum cœco secus viam: fac *Domine, ut videam*. Luc. 18. v. 41. Fac, ut hic per veram pœnitentiam, ac nostri cognitionem videamus defectus nostros, ut in coelis te intueamur facie ad faciem. Amen.





---

 QUÆSTIO SACRA II.

*Quid nobis faciendum, vel omittendum sit in die sabbati?*

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

In die sabbati, seu festivo 1. faciendum est omne bonum, 2. & omittendum omne malum.

## T H E M A.

*Si licet sabbato curare?* Luc. 14. v. 3.

**D**ies sabbati magna dies est, dies, quam fecit Dominus, ut exulemus, & lætemur in ea, est dies requietionis, ab ipso coelesti Opifice Deo institutus, qui Gen. 2. v. 2. & 3. *complevit die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat, & benedixit diei septimo & sanctificavit illum.* Hunc sabbati diem multis celebrabant ceremoniis Judæi; hinc & in Evangelio ad eos ait Christus: *si licet sabbato curare?* quod fuit Judæis dies sabbati, id sunt nobis dies Dominici, ac festivi omni quoque pietate colendi; est igitur quæstio, quid nobis faciendum vel omittendum in die sabbati? cui Christianam addo responsionem: in die sabbati, seu festivo 1. faciendum est omne bonum, 2. & omittendum omne malum.



## P A R S I.

*In die sabbati, seu festivo faciendum est  
omne bonum.*

Quemadmodum Domini directi feudorum, vel prædiorum in recognitionem exigunt a suis vasallis annum canonem, & pensum, sic Deus Dominus Dominantium in recognitionem beneficiorum suorum postulat a nobis in diebus festivis specialem cultum, ac pietatis homagium: olim quoque ejusmodi bonorum operum pensum exigebat Deus a Judæis, dum dixit ad Moisen; *præcipe filiis Israel, & dices ad eos, oblationem meam, & panes, & incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua.* Num. 28. v. 2. At quænam sunt hæc tempora? respondet Origenes: dies sabbati, dies festivi sunt hæc tempora. Si autem in veteri lege omne opus bonum erat faciendum in die sabbati, cur non & in nova, in qua major datur obligatio serviendi Deo? cur non omne pro viribus nostris bonum operemur in diebus festivis, cum instituti sint ad maximum animæ nostræ emolumentum, ut eam in hisce diebus magis piis operibus exornemus: ita enim loquitur S. Vincentius Ferrerius: „Deus „ divisit totum tempus in septem dies, de „ quibus dedit nobis sex ad laborandum, & „ lucrandum, & retinuit sibi septimum diem, „ ut pro anima laboremus, & faciamus omne „ bonum.„ Hanc obligationem faciendi bonum in die festo optime noverunt in primitiva  
Eccle-

Ecclesia Christiani, qui varia nomina dederant Dominicæ: vocabatur enim *dies panis*, quia in ea eucharisticum panem sumebant, *dies lucis*, quia in Dominica clarius agnoscebant divina beneficia, & cum peculiari gratiarum actione recolebant: *dies orationum*, quia in facellis & cryptis Martyrum insistebant orationibus, & pietatis operibus: *dies misericordie*, quia in Dominica plus dabant eleemosynæ: *dies verbi divini*, quia tunc concionibus præsententes erant, ecce! quomodo ordinabatur Dominica ad faciendum omne bonum; quapropter & laudabilis Ecclesiæ mos est, ut in præcipuis festis indulgentias concedat iis, qui præmissa sacramentali confessione sacram Eucharistiam receperunt, ut hoc medio omnes fideles ad bona opera, & abundantio-rem Spiritus sancti fructum invitet. Hanc legem operandi bonum in die Sabbati videtur ipse legislator divinus nobis insinuasse, dum in faciendo hoc præcepto alia usus fuerat ratione, quam in condendis reliquis mandatis; cum enim tertium hoc decalogi præceptum promulgaret, hoc verbum, *memento præmisit: memento, ut diem sabbati sanctifices*. Exod. 20. v. 8. non alio ex fine id factum arbitror, nisi ut homini intimet, in hac die potissimum gratiarum actiones pro beneficiis Dei esse exsolvendas, ita loquitur S. Thomas 1. 2. q. 100. ar. 7. ad 5. *dicendum, quod præceptum de sabbato ponitur, ut commemorativum beneficii præteriti: & ideo specialiter in eo sit mentio de memoria.* O Christiane, quomodo sanctificas diem sabbati,  
dies



dies festivos? invitat te Ecclesia, propinat e sacro suggestu Evangelicæ doctrinæ panem: offert in altari agnum immaculatum pro peccato: aperit templa tanquam totidem propitiatoria: effundit gratiarum thesaurum per tot plenarias peccatorum indulgentias, quomodo autem piis ejusmodi operibus defungeris, quomodo tot salutis tuæ occasionibus uteris? Hæc autem opera, si in die festo peragere neglexeris, memento, quod diem sabbati non sanctificaveris.

## P A R S II.

*Et omittendum omne malum.*

*Memento autem, ut diem sabbati sanctifices etiam omissione omnis mali; malum enim in die sabbati facere non est sanctificare diem sabbati; ait enim S. Augustinus in Lib. de decem chordis: „ melius faceret Judæus in „ agro suo aliquid utile, quam si in theatro „ seditiosus existeret, & melius foeminæ „ eorum die sabbati lanam facerent, quam „ quod tota die in neomeniis suis impudice „ saltarent. „ Hujus Africani Doctoris menti adstipulatur quoque fidelis ejusdem Discipulus S. Thomas Aquinas, qui 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3. ita loquitur: quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis sit corporale, ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit. Instituit enim Deus sabbatum, ut faciamus bona, & pia*




pia opera; debemus igitur in eo declinare a malo, quod ut docet S. Thomas, opus servile est, quia dicitur Joann. 8. v. 34. *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Quid ergo dicam de illis, qui in die festo imitantur Israelitas, ad quos Aaron dixerat: *cras solemnitas Domini est*, Exod. 32. v. 6. qui tamen solemnitatem pessime celebrabant; nam *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*, adorabant vitulum aureum, & omne malum patrabant, eandem certe impietatem faciunt Christiani, qui dies festos Veneri, Baccho, Iusui, & illicitis voluptatibus dedicant, cum tamen deberent in his diebus specialius omittere omne malum. Quid itaque mirum, si Deus scelerum vindex graves immittat poenas eis, qui dies festos colere negligunt: hanc in rem refert S. Gregorius Turonensis de quodam, quod cum festum diem S. Mariani exemplo aliorum concivium sanctificare abnuisset, ignis quidam cœlitus super domum ejus ceciderit, qui omnem ejus supellectilem, omnesque illius greges sine ulla Vicinorum vel minima læsione absumpsit. Imitemur potius pietatem S. Camilli de Lellis in cujus vita legitur, quod festivos dies tanto pietatis studio celebrarit, ut ne quidem Ecclesiam scopis emundari, aut altaria in eis diebus ornari permiserit, sed ejusmodi opera pridie fieri præceperit, quatenus sic omne opus, quod in se Dei cultum non saperet, omitteretur: bene ergo S. Philippus Neri dicere solebat, pessimum esse signum, si quis in illis festis majorem

rem

334 *Dominica XVI. post Pentecosten.*

rem spiritum, & devotionem non experiatur, o quid diceret S. Philippus, si nostra ætate cerneret in diebus festivis uberius Vino, ac potui indulgeri, choreas instrui, lusus non adeo honestos fieri, conventicula lasciva celebrari, & majori cum petulantia turpissima scelera perpetrari? hoc certe non est Deo, sed Diabolo festa celebrare.

Sanctificemus igitur diem sabbati, diem Dominicam, dies festos, faciamus omne bonum in eis, omittamus omne malum, ac omne peccatum: impendamus eos in operibus pietatis, ac devotionis, sic Pater cœlestis instituet nobis in cœlis sabbatum requietionis perenne, & præparabit convivium omne in se habens delectamentum suavitatis æternæ. Amen.



QUÆSTIO SACRA III.

*Quomodo corrigendus est proximus?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Corrigendus est proximus 1. in temporis opportunitate, 2. & mentis mansuetudine.



T H E M A.

*Non poterant ad hæc respondere illi. Luc. 14. v. 7.*

**Q**uemadmodum congruum fauciae corporis parti emplastrum est adhibendum, & morbo salubris medicina in tempore est præparanda, ita pariter curanda sunt vulnera mentis; fit enim quandoque, quod dæmon inimicus noster infligat proximo nostro vulnus animæ, eumque in spiritualem infirmitatem præcipitet, est igitur huic spirituali animæ vulneri emplastrum correctionis adhibendum, est applicanda huic mentis ægritudini medicina correctionis fraternæ, ad exemplum cœlestis Medici Christi, qui hodie in Evangelio Pharisæis spiritualiter infirmis convenientem correctionis fraternæ medicinam adhibuit, ita ut de veritate convicti eidem respondere nequiverint: *non poterant ad hæc respondere illi.* Verum hanc in rem quæstio movetur, quomodo corrigendus sit proximus? cui quæstioni respondendum reor, corrigendum esse proximum 1. in temporis opportunitate, 2. & mentis mansuetudine.

P A R S I.

*Corrigendus est proximus in temporis opportunitate.*

**S**icut omnia tempus habent, Ecclesiastis 3. v. 1. ita & tempus est corrigendi proximum, cujus opportunitas expectanda; quemadmodum



336 *Dominica XVI. post Pentecosten.*

dum enim macula in papyro non est statim eradenda, ne papyrus laceretur, nec etiam tardius, quam par est, relinquenda, ne profundius infideat, & demum absque lacerationis periculo amplius eradi nequeat, ita non est statim fervente adhuc peccantis impetu, peccati macula per correctionem eradenda, ne forte proximus exasperetur, nec tamen tardius redarguenda, ne postea forte tolli haud amplius possit, sed temporis opportunitas expectanda est, ut proximus corrigatur: nec enim medicinæ licet saluberrimæ quavis hora sunt porrigendæ, neque febris, dum in suo maximo ardore æstuat, compescitur, sed tempus congruum pro medicinæ sumptione est expectandum: multo minus ergo medicina correctionis fraternæ statim est adhibenda morali proximorum feбри, sed tempore opportuno nocivi calores, quando sperari potest sanitas animæ, restinguendi sunt: hanc ob rationem in lege veteri differebatur circumcisio usque ad diem octavum, quia tenerrimus erat foetus toto tempore, quod antecedit diem octavum, circumcidendus est quandoque proximus noster cultro correctionis, sed in temporis opportunitate, non ut sanguis eliciatur, sed ut sperari possit profutura ad emendationem spiritualis hæc circumcisio. Hac temporis opportunitate optime usus est Propheta Nathan, quando ad meliorem frugem per correctionem opportunam reduxit Regem Davidem, peccaverat Rex peccato grandi, grave receperat vulnus animæ, mittebatur Nathan a Deo,

Deo, ut infirmo Regi, ejusque vulnere salubrem correctionis medicinam adhiberet, injunctum sibi munus exequitur Propheta, expectat tempus opportunum, in quo proposita parabola de pauperis oppressore artificiose correxit Regem. 2. Reg. 12. talem quoque prudentiam prudentissima Abigail ostendebat, dum peccantem Maritum suum Nabal corrigeret, peccaverat ille, Davidis exercitui necessaria victualia ministrare detrectans, at Abigail excusabat apud Regem sui Mariti facinus, expectabat tamen tempus opportunum, ut virum corripere; temulento enim conjugii suo non prius exprobrabat illatam Davidi injuriam, quam sequenti die, tempore opportuno, ubi sensit eum vino vacuum, tunc in temporis opportunitate virum suum correxit. Ita ergo proximus corrigendus est, nempe in temporis opportunitate, quam pro facienda proximi correctione & ipse Christus docuit esse expectandam, volebat tunc proximum corripere, cum solus cum solo remotis omnibus arbitris conversatur, *si peccavit, inquit, in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum.* Matth. 18. v. 15. Et hoc ipsum, quod verbis docuit, Christus suo confirmavit exemplo, qui expectabat usque ad tempus ascensionis suae, & ibi suos Discipulos per correctionem fraternam increpabat de incredulitate eorum, hoc erat tempus opportunum, quia monitio facta ante alicujus discessum magis manet memoriae impressa. Hic habetis o Superiores omnes normam corrigendi vestros subditos,



338 *Dominica XVI. post Pentecosten.*

non in continenti defectus est obijciendus, sed opportunum tempus est expectandum, in quo proximus defectum suum recognoscit, expectandum pro correctione tempus est, ut interea excogitari possint media, quibus utiliter corrigatur proximus, non in continenti corrigendus est proximus; exasperabitur enim, & forte tempus non erit amplius opportunum, quo corrigatur.

P A R S II.

*Et mentis mansuetudine.*

**A**dhibeatur virga correctionis, sed in mentis mansuetudine, *virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Ps. 22. v. 4. Feriat virga correptionis in tempore opportuno, sed adjungatur baculus mansuetudinis, qui consoletur, & sustentet infirmum. Sit corrigens adinstar Samaritani, qui non tantum mordens vinum correptionis, sed & leniens oleum mansuetudinis vulneribus sauciati infudit. Sit instar cœli, quod cum tonat, in superiori tamen aeris regione tranquillitatem conservat, audiat quidem tonitru justæ iræ, ut proximus a malo absterreatur, sed fervetur mentis serenitas, & pax fraterna per mansuetudinem conservetur; ita enim nos hortatur S. Paulus animi, verborumque lenitatem corrigentibus inculcans: *fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Gal. 6. v. 1. ita quoque idem instruebat suum Timotheum dicens:



dicens: *argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* 2. Tim. 4. v. 2. Eandem hanc instructionem dat S. Augustinus de verbis Domini ita loquens: „ foris terribilis personet „ increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio.,, Hanc in correctione modestiam exigit a nobis Deus, qui & ipse correcturus Adamum de prævaricatione, venit ad auram post meridiem. Gen. 3. quid sol in meridie, nisi ira in fervore, quid aura vespertina, nisi spiritus lenitatis, & mansuetudinis? Sit nobis in exemplum S. Joannes Baptista, quomodo proximum in spiritu lenitatis corrigere debeamus, o cum quantâ mentis mansuetudine reprehendit ille Herodem Regem de crimine incestus, non dicebat: o Rex, adulter es, incestuosus, criminofus, sed in omni mentis mansuetudine suaviter loquitur ad Regem his verbis: *non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Marc. 6. v. 8. Audienda proin est doctrina, quam tradit S. Antonius, qui considerans factum miraculum Christi in illuminatione cœci ita nos instruit: ut in proximo mentis cœcitas auferatur, adhiberi oportet lutum, id est, commissi peccati mentio proximo est ingerenda, sunt ejus oculi liniendi, seu est adhibenda mentis mansuetudo, ut se recognoscat: non vero pungendus est, vel vulnerandus, sed humeris deportandus ad Natatoria Siloe, id est, aquam pœnitentiæ. Hanc, quam audistis doctrinam, vobis præcipue o Matresfamilias imprimite, dum famulas vestras corrigere necessum fuerit, limites iræ vestræ ponite; scriptum enim est:

340 *Dominica XVII. post Pentecosten.*

*irascimini, & nolite peccare. Pl. 4. v. 5. Ab-*  
*stinete a rixis, nolite contendere contumeliis,*  
*tunc primum, ubi primus fervor deferbuit,*  
*correctio vestra erit salutaris, in spiritu leni-*  
*tatis, & mansuetudinis speratum obtinebitis*  
*fructum, patientia vobis est oppido necessaria.*

Ut ergo proximum, & fratrem nostrum  
labentem erigamus de luto fœcis, ut illum  
Christo, ac nobis lucremur, corrigamus illum  
in temporis opportunitate, & mentis mansue-  
tudine, imitemur Christum, qui errantem  
ovem non verberibus ad ovile revocavit, sed  
humeris suis impositam deosculabatur: impel-  
lat nos charitas ad proximi correctionem, sic  
correctio proximo erit utilis, & nobis meri-  
toria vitæ æternæ. Amen.



DOM. XVII. POST PENTEC.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quare diligendus est Deus?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Diligendus est Deus, 1. quia est amabilis in  
se 2. & amabilis nobis.

THE-



T H E M A.

*Diliges Dominum Deum tuum.* Matth. 22. v. 37.

**N**on abs re dicebat Christus mundi salvator:  
*jugum meum suave est;* Matth. 11. v. 30.  
 jugum enim Christi jugum amoris est,  
 quod omnibus nobis imponit, dum in hodie-  
 no Evangelio ait: *diliges Dominum Deum tuum,*  
 jugum suave, nam inquit S. Augustinus L. 3.  
 confess. „verus amor non sentit amaritudines,  
 „ sed dulcedinem, quia soror amoris dulcedo.,  
 Et ideo ad hoc amoris jugum portandum tam  
 promptos offerebat humeros S. Bernardus  
 amore plenus, ut exclamaret in Lib. de dilig-  
 Deum: „o jugum sancti amoris, quam dul-  
 „ citer capis, gloriose laqueas, suaviter pre-  
 „ mis, delectanter oneras, fortiter stringis,  
 „ prudenter erudis! „ sed quæstio jam vol-  
 vitur, quare hoc jugum amoris ferendum,  
 quare Deus sit diligendus? responsio in prom-  
 ptu est, diligendum Deum esse, 1. quia est  
 amabilis in se, 2. & amabilis nobis.

P A R S I.

*Diligendus est Deus, quia amabilis in se.*

**Q**uis hominum Deum non diligat, cum in  
 se ipso sit summe amabilis, utpote sum-  
 mum bonum, omni amore dignissimum? huc  
 faciunt pulcherrima S. Bernardi ita in L. de  
 amore Dei loquentis verba: „vultis a me au-  
 „ dire quare, & quomodo diligendus est Deus?  
 „ & ego dico, quod caussa diligendi Deum



„ Deus est, modus sine modo, diligere ob  
 „ duplicem causam, dico Deum propter se  
 „ diligendum, vel quia nihil justius, vel quia  
 „ nihil fructuosius diligi potest. „ Et cujus  
 desideria non trahat Deus, cum in se sponfus  
 sit totus amabilis, prout de hoc divinissimo  
 sponso fatetur sponsa in canticis: *totus deside-*  
*rabilis?* Si enim diligimus viros sapientia con-  
 spicuos, cur non diligamus Deum uberrimum  
 omnis sapientiae fontem? si Saba Regina di-  
 lexit Salomonem ob stupendam ejus sapien-  
 tiam, & prudentiam, cur Deum non diliga-  
 mus in se amabilem, qui infinite plus est,  
 quam Salomon? si diligimus hominem, in  
 quo eximia Naturae, & Gratiae dona emicant,  
 cur non diligamus omnis boni largitorem Deum  
 plenum gratiae & veritatis, in quo, quidquid  
 rationem boni obtinet, eminentissimo quodam  
 modo continetur? *ego*, ait ipsemet amabilissi-  
 mus Deus ad Moisen, *ostendam omne bonum*  
*tibi.* Exod. 33. v. 19. Et haec infinita boni-  
 tas Moisis voluntatem ad intensissimum tra-  
 hebat amorem. Hanc rationem amandi Deum  
 in se amabilem B. Christina virgo dicta mira-  
 bilis manifestam fecit comiti Loensi Ludovico,  
 clamabat virgo amore aestuans: o quam spe-  
 ciosus es Domine! id milites audientes dice-  
 bant comiti, audisne Domine, ut te haec san-  
 cta praedicet? at comes, ego, inquit, novi,  
 quem laudet illa, non me, sed coelestem, &  
 immortalem Dominum laudat, a quo pulchri-  
 tudo omnis proficiscitur, quippe est omnium  
 pulcherrimus, tum illa reponit: verum dixisti;  
 tu

tu igitur quare illum non diligis? Tacebo eximium S. Xaverii amorem, qui diligebat Deum, non tantum, quia Benefactor erat optimus, sed quia summum bonum in se ipso amabile, silentio involvam insignem charitatem S. Ludovici, qui ita Dei amore accensus erat, ut diceret: omnis copia, quæ Deus meus non est, mihi inopia est, nihil loquar de maxima dilectione S. Ignatii Loyolæ exclamantis: Domine, quid volo, aut quid velim extra te Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum! quomodo satis deprædicem amorem S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quæ amabat Deum, quia summum bonum in se amabile est, & ideo aliquando pulsabat omnes monasterii campanas, convocatura omnes ad amorem Dei his verbis: excitemus mortales omnes, ut amorem hunc ament, o amor, si mihi ferrea vox esset, vehementissime profecto inclamarem: amate hunc amorem, mortales, amate, hinc unice dolebat, quod amor non ametur. Qualis est o Christiane tuus in Deum amor, diligisne Deum vera dilectione? nonne benedicis Domino, quamdiu te replet benedictionibus temporalibus, a cujus tamen amore recedis, tempora, si fuerint nubila? nonne te a charitate Christi separat levis quædam tribulatio, angustia, persecutio, aut infirmitas? o quoties præter Deum quid amas, & sic totum Deum in se amabilem non amas?



## P A R S II.

*Et amabilis nobis.*

**O** quisquis non traheris ad Dei amorem, quia summum bonum in se amabile est, dilige eum saltem, quia tibi amabilis Deus est, qui utpote infinitum bonum suam bonitatem etiam hominibus communicat, ut ad amandum eorum corda moveat. Nonne diligimus Regem aut Principem, qui se totum populo, bonoque publico impendit? ecurr non diligamus Regem Regum Deum, qui se totum nobis dedit, nobis factus amabilis, cum *solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos.* Matth. 5. v. 45. o summum bonum amabile nobis, de quo Jerem. 33. v. 4. scriptum est: *in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Si amor tendit in simile, quis non amet Deum, qui, ut nobis amabilis fieret, & ita diligeretur, similes nos sibi fecit? *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Gen. 1. v. 26. Imo ipse Deus, ut sui amoris ignem eo facilius accenderet, nobis similis factus in arida recumbere voluit stipula, & semetipsum nominavit fratrem nostrum, *primogenitus in multis fratribus.* Rom. 8. v. 29. quis non diligit Deum, qui traxit nos *in funiculis Adam, in vinculis charitatis?* Ose. 11. v. 4. Nonne dona naturæ, & gratiæ sunt illa vincula, & funiculi, quibus nos ad se suavi vi trahebat, ut diligeremus eum. Nonne pulcherrimi infantis speciem induit, quis autem infantem forma speciosissimum



mum non diligit? nonne amabilis factus est nobis, qui ut nobis similis fieret, naturam humanam assumpsit factus homo; quapropter S. Augustinus hanc Dei amabilitatem omnium oculis spectandam proponit dicens: „ quid tibi „ dedit, o anima, sponsus tuus, respice uni- „ versum mundum istum, & considera, si in „ eo aliquid sit, quod tibi non serviat. „ Hinc etiam B. Ægydius S. Francisci Seraphici Socius, ut sæcularem quemdam ad Dei amorem inflaminaret, hunc formabat discursum: erat aliquando nonnemo, qui nec manus, nec pedes, nec oculos habebat, qui, dum ab amico suo interrogaretur, an diligeret illum, si quis in mundo inveniri posset, qui ei daret manus, pedes, ac oculos? miser statim respondit, me ei omnibus diebus in servitutum darem, quo responso accepto ait Ægydius, ecce! Deus tibi hæc omnia dedit: *manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me.* Ps. 118. v. 73. modo considera, quantam dilectionem debeas divino Benefactori tibi ita amabili. O Christiane homo, sic te Deus amat, & quomodo tu eum amas? ecce! se totum tibi dedit, & quotidie adhuc dat in Eucharistiæ sacramento, & tu te nec dimidium vis Deo consecrare, ille te ex servitute Diaboli, in quam miser per peccata venisti, toties jam liberavit, & tu eundem Redemptorem tuum de novo offendis, tu tot commutabilia bona amas, quæ transeunt, & bonum incommutabile Deum non diligis, ecce! hic idem Deus qui modo ita tibi amabilis, erit tibi, cum venerit judicare

346 *Dominica XVII. post Pentecosten.*

care vivos, & mortuos, Judex formidabilis.

Quis igitur non exardescat amore, dum considerat Deum non tantum in se, sed & nobis amabilem factum, cujus cor ita durum sit, ut non ad instar ceræ liquefiat? e silice nos natos esse oporteret, si Deum, qui omnia bona continet, non etiam super omnia diligeremus. O ignis divine accende in me amorem, te cordi meo infere, ut ardeat cor meum, præsertim in amando Christum Deum. Amen.



## QUÆSTIO SACRA II.

*Quomodo Deus est diligendus?*

### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Diligendus est Deus 1. unice, 2. & efficaciter.

#### T H E M A.

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,  
& in tota anima tua, & in tota mente tua.  
Matth. 22. v. 37.*

**U**t quis amicus Dei sit, præcepta divina custodiat necesse est, dicente summo Legislatore: *vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Joann. 15. v. 14. Ut quis amicus Dei sit, Deum diligere debet, cum Dei dilectio maximum, & primum mandatum sit: *diliges Dominum Deum tuum . .*

*hoc*



hoc est maximum, & primum mandatum. Matth. 22. v. 37. hoc dilectionis præceptum toto vitæ tempore observandum est, in schola amoris divini oportet semper esse Discipulum, cum ars amandi semper magis, ac magis fit addiscenda, de qua ait S. Augustinus: „ars amandi non absolvitur, nisi in altero primum sæculo.” Quæstio proin excitatur, quomodo Deus sit diligendus? & respondendum esse videtur, Deum diligendum esse, 1. unice, 2. & efficaciter.

## P A R S I.

*Diligendus est Deus unice.*

Cum homo non nisi unum cor a Deo habeat, hoc unum supremus Dominus unice possidere desiderat, cum unice diligi velit: *diliges Dominum Deum tuum.* Et cur non unice Deum diligamus? ipsius enim genus sumus, *ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Pf. 99. v. 3. Deo in amore fidelem esse oportet adinstar militis, qui tunc fidelitatem Regi suo servat, cum stipendia omnia ab aliis oblata recusat, soli Regi obsequia præstans. Tunc quoque in amando fideles erimus Deo, si nemini alteri, nisi ipsi soli, & unico omnem nostram operam, & amorem consecramus, licet mundus, Diabolus, & caro stipendia offerant. Indivisibilis Deus est, indivisibilem amorem a nobis exigit, amor dividendus non est. Edicite, quare Deus unicam Jephthe filiam, quæ ei a Patre immolabatur, permisit paterna manu interfici,

cum



cum tamen Isaacum unicum Abrahæ filium, quem Pater iamiam Deo in sacrificium mactare parabat, mirabili quadam ratione vivum conservaverit? hoc dispari utriusque, Abrahæ, & Jephthe amori adscribite, Jephthe dividebat amorem suum, non solum Deum, sed & filiam suam nimis diligens, ideo eam videns primo sibi occurrentem scidit vestimenta sua, oblationem filiæ diu differens, at Abraham statim de nocte surrexit unicum Deo immolaturus filium, ut Deum unice diligeret. Ita est, amor dividi non vult. hanc in rem indagat S. Chrysostomus, cur Deus permiserit Petrum labi in peccatum negationis? & miserabilem hunc Petri lapsum tanquam poenam divisibili ejus amori attribuit, cum diceret in monte Thabor: *faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Elia unum.* Matth. 17. v. 4. sed quomodo hæc Petri verba divisibilem indicant amorem, qui optima intentione ea locutus est? verum dicit S. Chrysostomus, quod Petrus habuerit perversum judicium, & desiderium; volebat enim dare locum æqualem creatori, & creaturis, & sic amorem dividere, cum tamen Deus diligendus sit unice. Moveamur itaque ad Deum unice amandum præstantissimo exemplo, quod dederat nobis S. Ludovicus Rex Galliæ, de quo legitur, quod cum ipse a Machometanis captus detineretur, & Regina Mater, ac Fratres ejus ingentem pro illius lytro, & redemptione pecuniarum vim per navigium transmisissent, navis illa unacum omnibus, qui eadem vehe-

ban-

bantur, per validam tempestatem conquassata, tandem submersa fuerit, Rex autem Ludovicus percepto hoc tristi nuntio imperterritè responderit: nec hæc, nec alia quælibet adversitas a charitate Christi me poterit separare; sic unice dilexit Deum Ludovicus, ut omnia flocci habuerit, dumodo Deum non perdat. sed dicet fortasse aliquis: quomodo Deum unice diligam? sed audiat is S. Bernardum ita respondentem: „ perfecta erit charitas, „ cum sic amor Christi totum absorbuerit hominis affectum, ut negligens, & immemor sui non nisi Christum Jesum, & ea, quæ sunt Jesu Christi, sentiat. „ Audiatur & S. Bonaventuram in serm. de S. Magdalena ita loquentem: „ vis scire, si Deum perfecte diligas, vel aliud plus Deo ames? attende, „ si de Deo plus, quam de aliis rebus cogitas, quia de illo plus cogitas, quod plus amas, ubi enim thesaurus tuus, ibi cor tuum est, si plus cogitas de mundo, plus de lucro, plus de amico, vel socio, quam de Christo, non vertas in dubium, sed tibi certissimum sit argumentum, quod ames ista plus, quam Christum. „ Et sic demum concludere cum S. Augustino in Lib. confess. „ minus Domine te amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. „ Dicamus proin cum pio quodam Poeta: o Deus, aut nullo caleat mihi pectus ab igne, aut solo caleat legis amore tuæ. O Christiane, si ergo dicis, te Deum unice amare ut tuum amicum, quare ita adhæres Dei inimicis, Satanæ,



næ, mundo, & carni, quibus tamen in baptismo renuntiasti? cur ergo cor tuum illicitas voluptates amore inordinato prosequitur, cum tamen solus, & unicus Deus id satiare possit? cur tam inverso ordine diligis creaturas, quas tamen unice propter creatorem diligere deberes?

## P A R S II.

*Et efficaciter.*

**S**i Dei fideles amici sumus, *ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente*, id est, efficaciter, divinissimum nostrum amicum diligamus, nam ait de vero amico sapiens Prov. 17. v. 17. *omni tempore diligit, qui amicus est; quapropter venerabilis Beda ait: „qui Domi-*  
*„ num vere amat, omni tempore ejus custo-*  
*„ dit amorem, neque in angustia passionis*  
*„ deserit, quem in pacis tranquillitate confes-*  
*„ sus est.„* Plerumque amor Dei sub auri symbolo proponitur, quod per ignem probari debet, si verum, & genuinum est, non consumitur, sed perficitur, o Christiane, si per charitatem verum aurum es, constans eris, & efficaciter diliges Deum, licet exurgat adversus te ignis tribulationum, morborum, egestatum, & similia malorum. Sed audio te rursus obloquentem: desidero Deum amare, sed quomodo eum efficaciter diligam? ecce! dabo tibi signa efficacis amoris, ut per ea in cognitionem amoris tui pervenias: signa autem hæc sunt: primo, de Deo frequenter cogi-



cogitare: *ubi enim est thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum.* Matth. 6. v. 21. parum namque aut nihil amare creditur, qui nunquam de amico cogitat. Secundo, libenter cum Deo loqui; *ex abundantia enim cordis os loquitur.* Matth. 12. v. 34. tertio, libenter eum audire loquentem, quia, *qui ex Deo est, verba Dei audit.* Joann. 8. v. 47. quarto, mandata ejus servare; nam *qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Joann. 14. v. 21. Hæc si habeas signa, o Christiane, efficaciter Deum diligis. Disce efficacem amorem a sponso cœlesti, qui non solum cordi sponsæ suæ, sed & ejus brachio imprimi voluit: *pone me, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Cant. 8. v. 6. ut per hoc nobis insinuaret, quatenus non diligamus verbo, neque lingua, sed opere; brachium enim operationem efficacis amoris significat; disce proin & a sponsa ita amare, sicut illa a sponso edocta amabat, quæ ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente, id est, efficaciter diligebat sponsum suum, & licet pessime haberetur a custodibus civitatis, multis verberibus, & injuriis ab eis affecta: *invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum.* Cant. 5. v. 7. nec tamen hæc tribulationum aquæ poterant extinguere charitatem sponsæ; fortis enim ut mors erat ejus dilectio, unde dicebat filiabus Jerusalem, quas fortuito obviam habuit: *adjuro vos filia Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amo-*

352 *Dominica XVII. post Pentecosten.*

*amore lanqueo.* Cant. 5. v. 8. enimvero efficacem sponsæ amorem, quæ nullam prorsus vulnerum, & acceptarum injuriarum apud filias Jerusalem mentionem facit, quia ardentè, sincere, & efficaciter diligens in delitiis habebat omne id, quod propter amatum sustinet, & patitur. Proba te jam o Christiane, an tuus amor efficax sit, nonne plures dies decurrunt, in quibus nequidem cogitas de Deo? nonne per integram quandoque hebdomadam nullas ad illum dirigis preces, sed totus terrenis negotiis, ac Mammonæ servis? nonne impatiens sæpe es, si aliorum spiritualia colloquia audire contingit? nonne libere, & sæpius sine omni prorsus rubore aut remorsu mandata Dei, & Ecclesiæ violas? quid ergo mirum, quod cor tuum non sit ardens in via? amor tuus, quem habere te quidem dicis, factis non probatur, non est efficax, & verax, nec primum adimplet præceptum, ut diligas *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.*

Procul itaque absint ab amore nostro creaturæ omnes, creator Deus unice diligendus est amore prorsus indiviso, ac insimul ferventer operatorio, ad pientissimum hoc exercitium fortiter nos moveant verba S. Joannis, qui in prima sua Epistola c. 3. v. 18. omnes in visceribus paternæ charitatis hortatur: *filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* 1. Joann. 3. v. 18. hæc sit resolutio nostra, & irrevocabilis conclusio,  
ut



ut cum Davide dicamus Ps. 17. v. 2. & 3.  
*diligam te Domine fortitudo mea, Dominus fir-  
 mamentum meum & refugium meum, & libe-  
 rator meus. Amen.*

---

QUÆSTIO SACRA III.

*Quomodo proximum diligere debeamus?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Diligendus est proximus, 1. propter Deum,  
 2. & post Deum.

T H E M A.

*Diliges proximum tuum. Matth. 22. v. 39.*

**D**ilectio Dei sine dilectione proximi subsistere  
 nequit: sunt quidem præceptum dilectio-  
 nis Dei, & proximi duo mandata, sed  
 similia in obligatione, & paria in auctoritate,  
 quia ambo a Deo, non vero ab hominibus  
 emanarunt, ambo absoluta sunt, non vero con-  
 ditionata; eodem quippe modo, quo amare  
 Deum, etiam proximum diligere præcipimur,  
 & sub eadem pœna, & ejusdem præmii pro-  
 missione, sicut dilectio Dei, sic & proximi  
 nobis imponitur: *diliges proximum tuum. Si*  
*vere diligimus proximum, totam Christi le-*  
*gem adimplemus, eoquod simul etiam diligi-*  
*mus Deum, in quo sensu Apostolus loquitur:*  
*qui diligit proximum, legem implevit. Rom. 13. v. 8.*

*P. Friderici a Jesu P. Dom. Tom. II. Z Jam*



354 *Dominica XVII. post Pentecosten.*

Jam volvitur quæstio, quomodo proximum diligere debeamus? huic quæstioni respondet S. Hieronymus in c. 10. Matth. „ama creaturas, sed post Deum, & propter Deum., Diligendus itaque proximus est, 1. propter Deum, 2. & post Deum.

P A R S I.

*Diligendus est proximus propter Deum.*

**B**onitas Dei, sicut infinita est, ita non potest non esse rectissima mensura, ac regula, juxta quam oportet amorem proximi regulari; eadem enim Dei bonitas in se amabilis est objectum dilectionis Dei, & simul proximi, eadem subjecta, quæ diliguntur diversa sunt, idem autem motivum diligendi utrumque, & simul proximi est, subjecta solum, quæ diliguntur, diversa sunt, idem autem motivum est, diligendi Deum, & proximum, prout discurret cum Theologis Theologorum Princeps S. Thomas, qui 2. 2. q. 25. ar. 1. in c. ita prosequitur: *ratio autem diligendi proximum Deus est; hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit: unde manifestum est, quod idem specie actus est, quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus: & propter hoc habitus charitatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi.* Ad hoc idem collimant etiam S. Augustini verba: „si ista terrena diligis, ut subjecta dilige, ut famulantia dilige, ut arrham sponsi, ut munera amici, & beneficia Dei., Nonne arrha, seu annulus diligitur ab accipiente, quia

quia a sponso est, & propter sponsum; imperfecte enim dilecta dilectum amaret, si diligeret anulum, quia ex auro, vel argento est: inde vero inferendum, quomodo diligas proximum; proximus enim tuus divini sponsi anulus est, sponsum magis, quam anulum dilige, seu anulum dilige propter sponsum coelestem, quia hujus anulus est, proximum dilige, quia Dei est. Nonne quis munera diligit propter amicum, a quo recepit? amor non tam respicit datum, quam dantem, infer rursus, quomodo proximum diligas, munus Dei est ille, dilige hoc munus propter ipsum amicum, qui dedit, & inunificentissimum largitorem Deum, amando respice. In hac veri amoris schola se nobis magistros exhibent Angeli in coelis, qui non alia ex ratione diligunt homines, nisi propter solum Deum, utpote in cuius similitudinem facti sunt, non rapiunt Angelos in amorem nostrum nostra dona, ac eximiae naturae dotes, quas illi possident in gradu longe excellentiori, sed sola Dei bonitas, quae sola in proximo diligenda est. Sane quemadmodum imago Regis, vel Principis honore afficitur, non quia pictura est, aut statua, sed propter solum Principem, cuius repraesentatio, & similitudo est, ita proximus noster diligendus est non solum, quia benefactor noster, sed quia imago summi Regis est, eumque repraesentat. Hunc modum diligendi proximum ipse supremus in amore Magister Christus docuit suos Apostolos, dum bina vice eis spiritum amoris, Spiritum sanctum de-



356 *Dominica XVII. post Pentecosten.*

dit, primo, post resurrectionem suam, dicens: *accipite Spiritum sanctum.* Joann. 20. v. 22. secundo in die Pentecostes, quando *factus est repente de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes.* Act. 2. v. 2. Hocque non alio ex fine, nisi ut ad amorem Dei, & proximi commonerentur; nam percipite desuper moralia S. Gregorii verba: „ duo sunt præcepta „ charitatis, dilectio Dei, & proximi, in ter- „ ra datur spiritus, ut diligatur proximus, e „ cælo datur spiritus, ut diligatur Deus, unus „ autem, & idem datus est spiritus, quia uter- „ que amor ab eadem radice procedit, sicut „ diligitur Deus propter ipsum Deum, ita & „ proximus diligendus est propter Deum. „ Audiamus ulterius verba Magistri cœlestis Christi, ut magis in arte amandi instruamur, dicebat ille: *quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Matth. 25. v. 40. Ecce! innuit nobis Christus amorem proximi propter Deum, fratrem nostrum nimirum proximum commendat diligendum propter Deum, perinde ac si diceret cœlestis animarum amator: si proximum dilexistis, me dilexistis, cum dilectio proximi sit propter Deum, & simul dilectio Dei: *mihi fecistis.* Neutiquam proinlaudabilis est dilectio eorum, qui diligunt proximum suum, quia benefactor est, amicus, adjutor, aut protector, quia ulteriora ab eo sperant beneficia, aut ejusdem genii, ac indolis est, hic sane eorum amor, cum potius in motivo quodam naturali, quam superiori divi-



divinæ bonitatis fundamentum habeat, non est verus amor, nec præceptum dilectionis: *diliges proximum tuum*, hoc amore adimpletur.

P A R S II.

*Et post Deum.*

Ut porro amor proximi sit bene ordinatus, hunc amor ipsius Dei præcedat, necesse est. Cor nostrum utpote totius amoris sedes principalis se hac in re habeat adinstar cytharæ, in qua, utut plures & diversæ sint chordæ, ad ordinatum nihilominus eorum pulsum amoena exsurgit harmonia, ac mira pro concentu musico consonantia. Sic quidem diligendus Deus est, diligendi sunt parentes, & consanguinei, diligendus quicumque demum proximus noster, ast servato ordine quodam, & modo, qui dignitati objecti proportionatur, cythara cordis nostri præprimis in amando Deo resonet altissime, postea in amandis parentibus sit tonus remissior, ac demum infimus in quocunque proximo, uno verbo, proximus post Deum diligendus est. Hunc ordinatum proximi amorem docuit Christus in Evangelio, dum instruit parentes, quomodo diligant filios, hosque vicissim, qua ratione parentes diligere debeant, ait Christus ad parentes: *qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Matth. 10. v. 37. ait ad filios: *qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* v. 37. non prohibebat Christus parentes, ne diligerent liberos, nec

hos, ne parentes amarent, sed commendabat utrisque amorem ordinatum, ne eos plus diligere, quam Deum, sed post Deum. Ignis ea est natura, ac virtus, ut prius agat in materiam sibi magis propinquam, postea vero in remotiorem, sibi tamen convenientem, amor noster sit adinstar ignis, & charitas nostra prius exardescat in Deum, utpote nobis maxime propinquum, nosmetipsos inhabitantem, postea in proximum dirigatur. Sit charitas nostra, ut cum S. Augustino loquar, unquentum, quod primo effunditur in ipsum caput (id est) Christum, & ab hoc descendit in barbam, seu ad majores, dein in oram vestimenti, id est, ad minores. Præterea ordinati amoris exemplum inspicere licet in Abraham Gen. 22, hic, postquam multis annis cum Sara uxore sua in matrimonio sine prole vixisset, tandem post multas preces Sara filium Isaac genuit, hunc cum Abraham intensissimo prosequeretur amore, venit Deus nocte, & ait ei: *tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, Et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Gen. 22, v. 2, enimvero durissimum pro paterno corde præceptum, cur ergo Deus, cujus natura bonitas est, istud imposuit? dicunt SS. Patres: tentatum est cor Abrahæ, an Deum diligeret ex tota anima; voluit enim Deus experiri, num plus diligeretur, quam ejus filius, sed Abrahami amor inventus est justus, ac rectus coram Deo, siquidem statim abiit cum filio, eumque, mandate



dato Dei morem gessurus, propria manu abs dubio immolasset, nisi per Angelum fuisset impeditus. Spectate quoque heroinam illam matrem Machabæorum, quæ septem habuit filios, quomodo dilexerit filios post Deum, hi omnes sub Rege Antiocho in uno die mortem atrocissimam sustinere, quia nolebant carnes porcinas comedere, sed obedire legi Dei: Mater eorum tormenta, & mortem eorum siccis spectabat oculis, vel ut ait sacer textus 2. Mach. 7. v. 20. *bono animo ferebat*, quia scilicet in ea vincebat amor Dei amorem filiorum, amabat quidem filios suos tenerrime, sed magis Deum. Considerate denique S. Saturnum, quomodo proximum dilexerit post Deum; hic cum urgeretur, ut Arianam sectam amplecteretur, primo opibus, & honoribus, dein tormentis tentatus fuit, ille vero omnia contemnebat, accedit demum uxor cum liberis, ad mariti genua advolvitur, & enixe obsecrat, ut sui, suorumque misereatur filiorum, & Arianorum sectam amplectatur, at ille respondit ei: tanquam una ex insipientibus mulieribus locuta es, si vere maritum diligeres, non ita allaborares eum hisce blanditiis in damnationem præcipitare, age, distrahant liberos, auferant uxorem, diripiant facultates, ego hanc Christi tenebo doctrinam: si quis non dimiserit uxorem, filios, agros propter nomen meum, non potest meus esse Discipulus. Dilexit Saturnus uxorem, dilexit filios, sed post Deum. Væ vobis parentes, qui non raro plus liberos vestros diligitis,



360 *Dominica XVII. post Pentecosten.*

quam Deum, vae vobis, hujus sæculi amatores, qui diligitis vanitatem, & quaeritis mendacium, qui plus diligitis bona temporalia, quam Deum, cum libentius velitis Deum per peccatum mortale, quam bona temporalia perdere. Per me, licet, amate quoque creaturas, sed simul amate creatorem, amate amore ordinato post Deum.

Diligamus ergo proximum propter Deum, qui solus summa in se amabilis bonitas est, diligamus proximum post Deum. O sponse coelestis, ordina in nobis charitatem, sicut in sponsa ordinasti: *ordinavit in me charitatem.* Cant. 2. v. 3. ut te in omnibus, & super omnia diligentes etiam proximum nostrum diligamus hic ut nostrum in via comitem, & demum in patria tanquam consortem aeternae gloriae. Amen.



DOM. XVIII. POST PENTEC.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quare Christus paralytico sanitatem corporis petenti det etiam sanitatem animæ?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus per hoc voluit ostendere huic paralytico, & nobis, 1. quod radix infirmitatum corporis sit infirmitas animæ, nempe peccatum, 2. hancque esse primo tollendam, ut redeat sanitas corporis.

T H E M A.

*Remittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9. v. 2.

**V**erissimum est: spes plerumque plus impetrat, quam sperat, maxime si collocatur in eo, qui potest, scit, & vult juvare. Sic in hodierno Evangelio sperabat paralyticus corporis sanitatem, qui tamen plus impetrabat, quam sperabat, siquidem dum sanitatem corporis impetrabat dicente Christo: *surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, & surrexit, & abiit in domum suam.* Matth. 9. v. 7. &c. etiam simul impetrat sanitatem animæ: *remittuntur tibi peccata tua.* v. 2. sed quare Christus paralytico sanitatem

corporis petenti dat etiam sanitatem animæ? existimo, Christum per hoc voluisse ostendere huic paralytico, & nobis, 1. quod radix infirmitatum corporis sit infirmitas animæ, nempe peccatum, 2. atque adeo hanc esse primo tollendam, ut redeat sanitas corporis.

## P A R S I.

*Radix infirmitatum corporis est infirmitas animæ, nempe peccatum.*

**L**icet quidam contrahant infirmitates suas ex parentum prava corporis habitudine, quæ etiam in foetum persæpe derivatur, licet alii ex quadam intemperire, & humorum inter se dissidentium pugna, vel ex aeris injuria, & cœli inclementioris influxu corporalibus infirmitatibus subjiciantur, omnes tamen ex peccato originali, potissimi vero ex actuali, quod infirmitatum corporis radix est, multis ægritudinibus afficiuntur. Consulite desuper Apostolum, qui Rom. 5. v. 12. ait: *sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Ecce! peccatum radix mortis est, ergo & infirmitatum corporis, quæ prodromi, & præviæ dispositiones sunt ad mortem: quamdiu protoparens noster Adam fuit in statu innocentiae, nullas sentire habuit miseras, & corporis infirmitates, ubi autem peccavit, per justam Dei sententiam variis corporis afflictationibus, ac ipsius mortis poenæ olim subeundæ adjudicabatur, tum demum, postquam justitiæ originalis gratiam amisit, statuit



statuit Deus, quod scriptum est Job. 14. v. 1. homo natus de muliere repletur multis miseriis, scilicet variis infirmitatibus, prout loquitur Oleaster: „ firmiter crede, caussam infirmitatum nostrarum, quas hic patimur, esse „ peccatum; „ quænam enim fuit radix, ut Maria soror Moïsis ex improvise a Deo lepra fuerit punita: apparuit candens lepra, quasi nix. Num. 12. v. 10. caussam hujus infirmitatis sacer textus assignat peccatum, locuta est Maria contra Moïsen v. 1. ecce! ejus lepra non a cibis nocivis, aere, loco, aut persona, sed a sua peccaminosa murmuratione proficiscebatur. Eoquod Rex Afa prophetam Hanani injuste carceri mancipaverit: jussit eum mitti in nervum, diro podagræ malo ægrotabat, ac dolore pedum vehementissimo. 2. Paral. 16. v. 12. percutiebatur, equidem vocabantur Medici, qui curarent Regem, at ejus peccatum omnis medicamenti virtutem sustulit, donec efflaret animam. Edic nobis Ezechia, nunc peccatum radix erat infirmitatis tuæ corporalis, qua usque ad mortem ægrotasti? ita est, ita sane affirmat S. Hieronymus: „ tradunt „ Judæi, ideo Regem Ezechiam ægrotasse, „ quoniam post auditam victoriam Judæorum, „ & Assyrii Regis interitum non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moïses Pharaone submerso, & Debhora interfecto Sisara. „ S. Hieronymo adstipulatur Lyranus inquires: „ ideo Deus Ezechix immisit hanc infirmitatem, quia de victoria dignas Deo laudes „ non retulit, sed in sua superbia evanuit. „

Undenam ortum trahebat Regis Antiochi morbus, nisi a peccato; testantur enim sacrae literae, quod *Deus percusserit eum insanabili & invisibili plaga*, 2. Mach. 9. v. 5. vermesque, & putredo in eo creverint, mox vero mali origo assignatur: *quippe qui multis, & novis cruciatibus aliorum torserat viscera*. v. 6. ecce! quia Antiochus impius tantam erga alios exercebat crudelitatem, gravissima a Deo corporis infirmitate multatus est. Quis ergo inficietur maximam infirmitatem animae peccatum esse, quod corpus tot infirmitatibus, & doloribus afficit. Examina o homo, unde originem ducant tuæ febres frequentiores, dolores podagrici, aliaque infirmitates, invenies certe, quod oriantur ex immoderata cibi, potusque sumptione, ex vehemēti ira, libidine effræni, vel ut paucis dicam, ex vita in vitiis enutrita; vive ergo sobrie, iuste, & pie in hoc sæculo, & bene quoad corpus & animam vives.

## P A R S II.

*Atque adeo primo tollendam, ut redeat  
sanitas corporis.*

**S**i vis, o homo infirme, sanus fieri, sanitatis impedimentum amove, tolle primo infirmitatem animae tuæ, nempe peccatum, ut redeat sanitas corporis; quapropter Christus in sanatione paralytici se probabat ut optimum Medicum, dum primo mali radicem sustulit. Erat paralytico infirmitas hæc inflicta propter peccatum, & ideo Christus primo removet morbi



morbi radicem dicens: *confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, ut iisdem plene remissis huic paralytico, & infirmo redeat salus corporis. Hanc omnis infirmitatis corporalis radicem idem coelestis Medicus tollendam esse insinuabat, cum quondam ad piscinam venisset, & vidisset hominem jam per triginta octo annos ibi jacentem, cui misericordia motus dixit: *surge, tolle grabatum tuum, & ambula, & statim sanus factus est homo ille.* Joann. 5. v. 8. hic ergo sustulit grabatum, & ambulabat, postea Christus eundem hunc hominem invenit in templo, & ait ad eum: *ecce! sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* v. 14. quibus verbis ostendebat Christus, quod sublato peccato, tanquam morbi radice, deinceps sit cavendum, ne dum corporalis sanitas benigne reddita sit, morbus antea sanatus rursus invalescat. Ergo præprimis anima Christiana, tolle peccatum, & morbos tolles, id est, impedies, ne te amplius affligant; hanc enim a morbo securitatem jam dudum promiserat Deus electo populo suo: *si audieris vocem Domini Dei tui, & quod relictum est, coram eo seceris, & obedieris mandatis ejus, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te, ego enim Dominus sanator tuus.* Exod. 15. v. 26. tollendus est morbus animæ, qui peccatum est, ut cesset infirmitas corporis, cessante causa cessabit effectus; ait enim Ecclesiasticus c. 38. v. 9. *fili in tua infirmitate ne despicias te ipsum,* addit glossa, negligendo quærere remedium, quale



quale autem sit illud remedium, mox his verbis indicatur: v. 10. *averte a delicto, & ab omni delicto munda cor tuum*, id est, munda cor tuum a peccatis pia confessione, & dolorosa lacrimarum effusione, & tibi salus corporis restituetur: eapropter provide Catholicis Medicis injungitur, ut ad infirmos vocati præprimis eos admoneant, quatenus hi prius sacra exomologesi suas animæ maculas abstergant, ac per confessionem sacramentalem auferant, morbi radicem, seu peccatum, ita statuunt sacri Canones, qui dicunt: „ ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur. „ Hæc insuper testimonio confirmantur Thomæ Cantipratani, qui refert, quod vir nobilis in Burgundia suam juventutem in vitæ innocentia transegerit, ast in virtutis fervore tepescens cœperit in pejus degenerare: incidit hic tandem in gravem corporis infirmitatem, quam tamen peccati poenam esse haud agnoscens mala malis accumulabat, sed cum nulla proficeret medicina corporalis, tandem in se reversus spiritualem poenitentiae medicinam sumebat, ac conscientiae suæ sordes coram sacerdote eluit, & ecce statim accepta absolutione sacra convaluit. Legitur quoque in vita S. Philippi Nerii, quod vir quidam gravi morbo correptus, diu noctuque nullam quietem habuerit, neque etiam ullum pro infirmitate corporis remedium repererit; huic S. Philippus spirituale suadebat medicamentum, nimirum confessionem sacramen-

mentalem, mox autem infirmus recuperata animæ sanitate etiam corporis recepit valetudinem. O peccator, quereris, quod corpus tuum continuis crucietur doloribus, pro quibus adhibes quidem corporales Medicos, irritato tamen successu, ergo animæ Medicum accede, sume medicinam spiritualem sacramenti pœnitentiæ, tolle peccati morbum, & ipsa corporalis medicina majorem virtutem recipiet, ut sanet tuas corporis infirmitates, cessa peccare, & ægritudo cessabit corpus tuum vexare.

O gravis sane animæ infirmitas, peccatum, quod omnium corporis infirmitatum persæpe radix est; igitur divinissime hominum Medice, tolle hanc mentis infirmitatem, tolle peccatum, ut mentis, & corporis sanitate gaudeamus, confidimus & nos filii tui, sicut paralyticus, ut remittantur nobis peccata nostra, sicque Beati simus hic, & in perpetuum. Amen.



QUÆSTIO SACRA II.

*Quare Christus paralytico ante sanitatem corporis dedit sanitatem animæ dicens: confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus per hoc voluit insinuare, prius curandam esse animam, quam corpus; 1. nam sanitas corporis sine sanitate animæ est maxima infirmitas, 2. sanitas autem animæ cum infirmitate corporis maxima sanitas.

T H E M A.

*Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9. v. 2.*

Cum homo sæpius perverso ordine plus sit sollicitus de corpore, quam anima, Christus optimus Redemptor, ac Medicus hodie paralytico prius dedit sanitatem spirituales, & demum corporalem, ut doceret, prius salutem animæ esse quærendam, & majorem curam habendam de anima, quam corpore; inverso enim ordine orationem suam instituebat paralyticus in Evangelio, qui duntaxat sollicitus erat de sanitate corporis acquirenda, cui tamen Christus prius dedit sanitatem



tatem animæ, peccata ei condonando, ut firmitior quoque fieret sanitas corporis, ipso facto eum instruens, prius spiritualia, postea corporalia a Deo petenda esse beneficia, ex quo jam eruitur responsio ad quæstionem, cur Christus paralytico ante sanitatem corporis dederit sanitatem animæ? dicendum enim videtur, Christum per hoc voluisse insinuare, prius curandam esse animam, quam corpus; 1. nam sanitas corporis sine sanitate animæ est maxima infirmitas, 2. sanitas autem animæ cum infirmitate corporis maxima sanitas.

## P A R S I.

*Sanitas corporis sine sanitate animæ est maxima infirmitas.*

Ita est, prius curanda est anima, quam corpus, sanitas enim corporis sine sanitate animæ est maxima infirmitas; ita scriptum est, quod peccaminosus affectus divitiarum maculet, & inficiat animam, de quo sapienter dixit sapiens: *est & alia infirmitas pessima, divitiarum conservatæ in malum Domini sui; Ecclesiastici 5. v. 12.* Quid enim juvat sanitas corporis, si divitiarum inordinatus affectus utpote maxima, & infirmitas pessima ægrotare faciat animam. Considerat Hugo Cardinalis, quod Spiritus sanctus filios Israel, qui in Ægypto plurimum multiplicati sunt, non homines, sed animas appellet: *erant omnes animæ eorum, qui ingressi sunt de semore Jacob, septuaginta.* Exod. I. v. 4. Et ait purpuratus hic Præsul:

*P. Friderici a Jesu P. Dom. Tom. II. Aa „Do-*

370 *Dominica XVIII. post Pentecosten.*

„ Dominus homines vocat animas potius,  
 „ quam corpora, per hoc insinuans, curam  
 „ animarum potius, quam corporum esse ge-  
 „ rendam, unde Dominus primo venit pro-  
 „ pter animas., Descendit cœlestis Medicus  
 de coelis in terram, non ut sanaret corpora,  
 sed animas; quid enim iuvisset corporis sani-  
 tas, si defuisset salus animæ? Equidem La-  
 zarus in Evangelio carebat sanitate corporis,  
 erat ulceribus plenus, *canes veniebant, & lin-*  
*gebant ulcera ejus.* Luc. 16. v. 21. Erat qui-  
 dam homo Dives, ulcera tamen mentis ha-  
 bens plenus sordidis peccatorum morbis, &  
 tamen hæc ipsa sanitas corporis sine sanitate  
 animæ in hoc divite erat maxima infirmitas,  
 ex qua & *mortuus est Dives, & sepultus est in*  
*inferno.* v. 22. cum tamen Lazarus portatus  
 sit *ab Angelis in sinum Abrahamæ.* v. 22. nonne  
 sanitate corporis gaudebat ille quoque Dives  
 in Evangelio, qui dixit ad se ipsum: *habes*  
*multa bona posita in annos plurimos, requiesce,*  
*comede, bibe, epulare.* Luc. 12. v. 19. at iste  
 Epicuræus ita infirmus erat quoad animam,  
 ut illi diceret Deus: *stulte hac nocte animam*  
*tuam repetunt a te, quæ autem parasti, cujus*  
*erunt?* v. 20. Nonne habebat sanitatem cor-  
 poris Angelus Laodicæ Ecclesiæ, qui frueba-  
 tur omnibus corporis bonis: *Dives sum, &*  
*locupletatus, & nullius egeo.* Apoc. 3. v. 17.  
 at erat hæc sanitas corporis sine sanitate ani-  
 mæ, & ideo in eo erat maxima infirmitas,  
 quam Joannes ex Dei præcepto ei ut bonus  
 Medicus nuntiaverat: *tu es miser, & misera-*  
*bilis,*



*bilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Ecce! quam frequentem infirmitatem comitetur sanitas corporis sine sanitate animæ. Hac de re persuasus Magnus ille Angliæ Cardinalis Reginaldus Polus, corpus suum & sanitatem corporalem ita flocci faciebat, ut diceret, eum, qui sibi vitam eriperet mortalem, nihil esse facturum amplius, quam quod illi cubitum eunti servus facere soleat, dum eum vestibus suis exiit. O Christiani hæc audientes, ac hoc intuentes exemplum, qua ratione tam solliciti estis de corpore vestro? habetis fors nauseam ciborum, & statim advocantur Medici, ut salubris ciborum fames recuperetur, sentitis levem molestiam in corpore ex malignis humoribus, & illico ad pretiosa suspiratur pharmaca. Verum anima vestra plena est infirmitatibus spiritualibus, & ne quidem de spiritali cogitatis remedio; quid ergo mirum, quod accumulentur in vobis infirmitates corporis, cum tam parum solliciti estis, ut tollatis infirmitates mentis.

P A R S II.

*Sanitas autem animæ cum infirmitate corporis maxima sanitas.*

Quid prodest homini sanitas corporis, si non adsit sanitas mentis, neutiquam obest homini corporalis infirmitas, dummodo spiritalis animæ sanitas conservetur, imo dicit Ecclesiasticus c. 31. v. 2. *infirmitas gravis sobriam facit animam.* Enimvero plurimum animæ



proficua est corporis infirmitas; hæc quippe multa impedit peccata, quæ alias forte committerentur, si corpus sanum foret; sanitas ergo animæ cum infirmitate corporis plerumque maxima est sanitas, hæc enim corporis infirmitas sanam conservat animam, ut medicina præservativa dicente S. Laurentio Justiniano L. 2. de spirit. Resurrect. animæ:

„ optima animæ medicina est corporis infirmitas. Hinc ait S. Gregorius magnus 3. past. „ plerumque, quando caro infirmitate „ premitur, mens concipit cogitationes bonas „ cognitionis Dei. „ Hanc in rem juvat ex sacris paginis proponere exemplar & patientiæ & infirmitatum corporalium perfectissimum, Jobum nempe, quem dæmon percussit *ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ejus.* Job. 2. v. 7. erat Job vir dolorum, a vertice capitis usque ad plantam pedis non erat in eo sanitas, maxima tamen gaudebat sanitate animæ, quam his verbis describit sacer textus: *vir simplex, rectus, ac timens Deum, & recedens a malo, & adhuc retinens innocentiam.* v. 3. seu sanitatem animæ cum infirmitate corporis. Aliam vobis exhibeo corpore imbecillem, anima autem validam Virginem S. Petronillam D. Petri filiam, quæ premebatur continuis corporis infirmitatibus, & quamvis Genitor ejus S. Petrus, cui Deus miraculorum, ac curationum gratiam contulit, suæ filiæ sanitatem impetrare sæpius ab aliis rogaretur, noluit tamen eidem precibus suis restituere corporis sanitatem, dicens: quod infirmitas

corporis sanam conservet animam. Nonne S. Clara per viginti & octo annos corpore infirma erat, *diutinis perplexa languoribus*, ut Romanum testatur Breviarium, at hæc corporis infirmitas sanam adeo conservabat illius animam, ut *carne depressa spiritu convalesceret*. Quid dicam de corporalibus S. M. Theresiæ languoribus, laborabat piissima Virgo, ac reformati Carmeli Mater per tot annos paralyti, aliisque corporis miseris, sed in suis omnibus infirmitatibus corporis gaudebat Theresia, cum semper animæ sanitatem conservaret, quam cum continua corporis infirmitate conjunctam in ea maximam fuisse, ipsamet suis verbis testatur L. in via perfect. c. 10. „ fecit mihi „ Dominus magnam misericordiam, quod mihi „ hi corporis infirmitates immiserit. „ Non minus S. Maria Ægriacensis animæ suæ sanitatem magis, quam corporis ægritudine augeri posse reputabat, cum post toleratam quadraginta dierum infirmitatem unice in votis haberet, ut hi dies de novo inciperent, imo postquam percepisset, quod pius quidam amicus pro leniendis illius doloribus preces ad Deum funderet, eidem insinuari fecit, ut a sua oratione desisteret, ne imminutis corporis afflictionibus imminueretur animæ salus, vitæque meritum. Quippe teste S. Paulo Apostolo: *virtus in infirmitate perficitur*, 2. Cor. 12. v. 9. seu sanitas animæ, quæ licet corpus infirmum sit, maxima tamen sanitate roboratur. Felices proin dixero eos, qui continuis infirmitatibus laborantes, & lecto affixi, pie, so-



374 *Dominica XVIII. post Pentecosten.*

brie, & iuste vivunt, hi certe, si voluntati divinæ omnino sese committunt, in suis corporis infirmitatibus maxima gaudent animæ sanitate, indeque maximum recipiunt beneficium, dum per corporis infirmitatem animam suam a spiritualibus morbis liberam conservant.

Quid jam superest, nisi ut maxima solitudine animam nostram sanam, & incolumem conservemus, *quid enim proderit homini, si lucratur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat?* Marc. 8. v. 36. Solliciti simus de sanitate animæ, quæ licet corpus adversa prematur valetudine, maxima tamen fruitur sanitate, esto itaque, moriatur corpus, dummodo anima vivat per gratiam Dei. Amen.

\*\*\*—————\*\*\*

### QUÆSTIO SACRA III.

*In quonam peccarunt Pharisei dicentes:  
hic blasphemat?*

#### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Peccabant Pharisei ferentes iudicium temerarium, illud ergo fugiendum est, 1. quia ex se gravem continet iniquitatem, 2. & plerumque falsitatem.



T H E M A.

*Quidam dixerunt intra se: hic blasphemat.*  
Matth. 9. v. 3.

**N**eutiquam in dubium vocari potest, quin Pharisei fuerint homines pessimi, utpote quibus ipse Christus Salvator optimus *væ* minatur, *væ vobis scribae, & Pharisei.* Matth. 23. v. 39. alio autem in loco illos appellat *serpentes, genimina viperarum.* v. 32. Hi, cum undique perniciosum malitiae suae venenum diffunderent, etiam in hodierno Evangelio prodebant rursus subdolam iniquitatem suam, cum ingens Christi miraculum, miramque paralytici sanationem in sinistram partem verterent: *quidam dixerunt intra se, hic blasphemat.* Erant profecto ex classe illorum, de quibus Ecclesiastes c. 10. v. 3. dicit: *in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat.* At lubet jam scire, qua ratione peccarint Pharisei dicentes intra se: *hic blasphemat?* non multum aberravero dicens: peccasse Phariseos ferentes iudicium temerarium, quod ergo fugiendum est, 1. quia ex se gravem continet iniquitatem, 2. & plerumque falsitatem.

P A R S I.

*Temerarium iudicium ex se gravem continet iniquitatem.*

**Q**uod temerarium iudicium plerumque gravem in se contineat iniquitatem, nemo est, qui ignorat, quid enim? si graviter delinquit,

quit, qui in Principis, vel Episcopi jurisdictionem involare, aut in alieno territorio jus dicere præsumit? sane hoc ipsissimum facit, qui temerarium fert iudicium; involat enim temerario ausu in jurisdictionem summi Principis Judicis Dei, cui soli cognita sunt cordium secreta, huic quantum in se est, jurisdictionem abripere, sibi que impie arrogare attentat, dum proximum suum iudicat. Nonne grandis injuria fit Domino, si quis servum ejus per summum nefas omni destitutus jurisdictione iudicaret? pari autem ratione divinam auctoritatem inique sibi usurpat ille, qui temerario iudicio perstringit suum proximum, utpote ipsius Domini Dei servum. Audi, quisquis talia audes, audi, quid dicat S. Paulus: *tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.* Rom. 14. v. 4. audi, quomodo Apostolus hoc tuum delictum exaggeret, dum ait: *inexcusabilis es, o homo omnis, qui iudicas; in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas.* Rom. 2. v. 1. nonne gravis est noxa ipsam Dei charitatem, sine qua tamen impossibile est placere Deo, in corde extinguere? per temerarium autem iudicium, cum pessime de proximo cogitat, e corde deturbatur, quia teste Apostolo *charitas non cogitat malum.* 1. Cor. 13. v. 6. quis itaque ab hoc pessimo crimine sibi non caveat, quod Christus in Evangelio suo fugiendum esse insinuat, ut observat S. Paschasius, dum considerat parabolam illam de Zizaniis in agro seminatis; accedebant famuli ad Patrem familias volentes eradi-



eradicare Zizania: *vis, imus, & colligimus ea.* Matth. 13. v. 28. at ait Paterfamilias: *non, ne forte colligentes Zizania eradicetis simul cum eis & triticum, finite utraque crescere usque ad messem.* v. 29. & 30. cur ergo Paterfamilias non concessit Zizania colligere? respondet S. Paschasius: quia triticum & Zizania erant tunc simul conjuncta, ac vix crescere incipiebant, proin erat valde difficile judicare, quodnam esset bonum, & quodnam malum; jubebantur ergo famuli usque ad tempus messis expectare, ut triticum a Zizaniis absque erronei judicii periculo possent discernere. Hac etiam agendi ratione utitur coelestis Paterfamilias Deus in agro Ecclesiæ suæ, finit adhuc crescere Zizania, id est, peccatores, necdum vult separari ea a tritico, seu justis: sibi judicium reservat usque ad messem, seu usque ad judicii diem, nec vult, ut in tempore sui famuli judicent, quodnam sit triticum, & quodnam Zizanium, *finite utraque crescere,* non ferte temerarium judicium, sed meum expectate. Quapropter illis, qui temerarie judicant proximum, hanc reliquit doctrinam: *quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Luc. 6. v. 41. attamen quantum hodie a divina hac doctrina alieni sunt, qui tam frequenter temerario suo judicio etiam justitias judicare præsumunt! exercet quis pietatis, & devotionis opera, sed tanquam impius, ac Pharisæicus notatur, ac judicatur, operatur hic multa bona propter Deum, sed ea propter



hominem fecisse dicitur, frequentat alius templa, & Ecclesiæ sacramenta, sed ea ex vanæ gloriæ, hypocrisis, vel otii studio facta fuisse spargitur. O detestabile temerarii iudicii crimen!

## P A R S II.

*Et plerumque falsitatem.*

**A**t non solum gravem iniquitatem, sed & plerumque falsitatem, & mendacium continet iudicium temerarium, testem hujus veritatis habemus Psalmistam in suo Psalmo 61. v. 10. *mendaces filii hominum in stateris.* Enimvero errabat in stateris suis populus Judaicus, cum Susannam honestissimam Matronam nefandi cum viris commercii ream habebat, cujus tamen postea innocentiam Daniel Spiritu sancto repletus manifestam reddidit. Non minus falsum erat iudicium vesanæ plebis Judæorum, qui in die Pentecostes Apostolos ebrios, & musto madentes judicabant: *musto pleni sunt isti.* Act. 2. v. 13. cum tamen eos non vinum, sed Spiritus sancti gratia repleverat, qui illos in vinaria divinorum charismatum ducebat: *non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt.* v. 15. quemadmodum autem de Apostolis, ita etiam de eorundem Magistro, ac Christo Domino, hujusque præcursores sanctissimo falsum ferebant iudicium: *venit Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: dæmonium habet; venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: ecce! homo vorax & potator*

tor vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Matth. II. v. 18. & 19. o falsissimum Judæorum iudicium, Christus ipsum æternum Dei verbum est plenum gratiæ, & veritatis. Joann. I. v. 14. de Joanne ipsa æterna veritas Christus ait: *non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista.* Matth. II. v. 11. a Judæis haud absimilem in temerario iudicio se manifestabat Simon magus, obtulit ille Apostolis pecunias, ut acciperet potestatem dimittendi peccata: *obtulit eis pecuniam, dicens: date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Act. 8. v. 18. cur audeat Simon offerre pecuniam pro emendis Dei donis? ambitio valde cœca est, cumque ipse esset admodum ambitiosus, Apostolos quoque taliter temerarius iudicabat. Sed falleris Simon, falleris, *in quo iudicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quæ iudicas.* Rom. 2. v. 1. Apostoli sunt viri sancti, audi Petrum dicentem: *pecunia tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* v. 20. Attamen adeo periculosum est temerarii iudicii venenum, ut illud quandoque etiam ipsos justos, & pios, si non inficit, ac perimit, saltem molestat, prout ipsemet sua experientia sanctus Henricus Imperator testari posset. Hic viderat per triduum egredi e thalamo conjugis suæ Cunegundis aliquem in specie militis, unde illum suspicatus, esse ejus Amasium, suspectam habere conjugem cœpit, & tamen delusum se a dæmone apprehendit, qui speciem militis  
allum-



assumpsit, ut conjugis virginitatem infamiae nota aspergeret. O quoties Christiane homo falleris in tuis stateris, in tuis judiciis, vides hunc raro cum hominibus conversantem, & mox superbum judicas, cujus tamen cor humile Deus respicit: audis hunc possidere divitias multas, & mox illum fugillas, perinde ac si serviret Mammonae, & divitiis cor apponeret, cum tamen magis affectu remotus sit a divitiis, quam tu ipse, qui illis cares, vides in aliis bona, & mala reputas, ah non esto tam praecipuus in judicando, ne sis ita frequens in errando.

Cum igitur temerarium judicium ex se contineat gravem iniquitatem, & plerumque falsitatem, & mendacium, fugiamus illud, cogitantes, quod dicit Ecclesiasticus c. 18. v. 20. *ante judicium interroga te ipsum*, alii legunt, *explora te ipsum*, id est, antequam alios judices, te ipsum scrutare, & sic neminem temerarie judicabis, sed v. 20. *in conspectu Dei invenies propitiationem.* Amen.





DOM. XIX. POST PENTEC.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quare invitati ad nuptias neglexerint venire?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Invitati ad nuptias neglexerunt venire, quia toti terrenis erant impliciti 1. cum tamen terrena multas miseras includant, 2. & a nuptiis cœlestibus excludant.

T H E M A.

*Illi autem neglexerunt. Matth. 22. v. 5.*

**C**hristus Jesus non abs re intelligendus venit sub nomine hominis Regis, de quo hodiernum Evangelium facit mentionem: *simile factum est regnum calorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. v. 4.* hic enim Rex æternus homo factus nuptias parat cœlestes filiis hominum, servos suos, Angelos administratorios spiritus & custodes nostros emittit, ut vocarent invitatos ad nuptias, ad quas Deus omnes per benignissimam auxiliorum supernaturalium colationem vocat. Sed o magna hominum sordicia! negligunt aliqui venire ad nuptias, *illi*

382 *Dominica XIX. post Pentecosten.*

*autem neglexerunt.* Quid vos, o filii hominum, retardat a tam solemnibus nuptiis. Ah pudet dicere: impediunt bona terrena, *abierunt* ait Evangelium v. 5. *alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.* Ex his jam respondeo ad hodiernam quæstionem: quare invitati ad nuptias neglexerint venire? & dico, invitatos ad nuptias neglexisse venire, quia toti terrenis erant dediti, 1. cum tamen terrena multas miseras includant, 2. & a nuptiis cœlestibus excludant.

P A R S I.

*Terrena multas miseras includunt.*

**N**on mirum, quod negligent venire ad nuptias cœlestes, qui terrena sapiunt, utpote quæ multas includunt miseras, & a cœlestibus retardant. Edic nobis Princeps regie Jonatha, hanc, de qua loquimur, veritatem, nonne tandem didicisti, hæc omnia, quæ videntur dulcia, nimis esse amara, & miseriis plena, cum ita exclamas: *gustans gustavi paululum mellis, & ecce! ego morior.* 1. Reg. 14. v. 43. o quantas cogebatur sustinere miseras miser ille, qui a Jerusalem descendens ivit in Jericho, *incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt semivivo relicto.* Luc. 10. v. 30. Idem tibi contingit o homo, cum a Jerusalem, a bonis cœlestibus, ad Jericho, ad terrena descendis, non ille, qui ascendit ad cœlestia, sed qui descendit ad terrena, corde eis inhærendo, incidit in multas miso-

miserias; invadunt enim eum infernales latrones, per crebras tentationes despoliant illum pretiosis virtutum bonis, infligunt peccatorum plagas, tandemque supernaturalem gratiae vitam adimunt. Spectate etiam in suis miseriis miserrimum filium prodigum, ut inde discatis, quantum terrena omnia plena sint miseriis, descendebat ille a Jerusalem a bonis omnibus paternae domus suae in Jericho mundanarum vanitatum *vivendo luxuriose*. Luc. 15. v. 13. Sed eo tandem devenit miseriae, ut compelleretur pascere porcos, & implere ventrem suum de filiquis, quas porci manducabant. v. 16. exclamat demum, *ego hic fame pereo*. v. 17. considerate miseras Divitis Evangelici terrenis bonis penitus immergi, *cogitabat intra se dicens: quid faciam? quia non habeo, quo congregem fructus meos*. Luc. 12. v. 17. Miser homo de praesenti nil habuit nisi multas miseras anxietatum, & curarum terrenarum, quibus implicatus denique dicit: *hoc faciam, destruam horrea mea, & majora faciam, dicam animae meae: anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*. v. 18. & 19. quaerit desuper S. Chrysologus, quem interrogaverit dicens: *quid faciam?* & ait sanctus hic Pater, „cum nullo alio loquebatur, „ & nullum alium interrogavit, quam ipsum „ diabolum, qui per amorem terrenorum ingressum ad animam illius invenit. „ Ecce! in quantas miseras inducant terrena. Haec miseriae rerum caducarum ipsis etiam non poterunt non Ethnicis innotescere Philosophis  
natu-



natura luce, & duce, nam cum olim Philosophi coram Philippo Macedonum Rege disputassent, quænam res in mundo maxima esset, & alii montem Olimpum, alii solem, alii mare dicerent maximum, postremus, ac sapientissimus, animum terrena omnia despicientem maximum esse cum veritate edicebat. Concludendum proin est, contemnenda esse terrena omnia. *Solve*, dicebat aliquando Deus ad Moisen, *calceamentum de pedibus tuis*. Exod. 3. v. 5. Solvenda sunt calceamenta affectuum terrenorum, ait venerabilis Beda, ut digni efficiamur nuptiis cœlestibus; nolite ergo filii hominum cum tanto affectu divitias terrenas quærere, quæ non aliter quam cum multis anxietatibus possunt possideri, vana sunt omnia. Nihilominus tamen adeo multi studiose mundo serviunt, & demum se a mundo deceptos deplorant. Non pauci illicitis voluptatibus fruuntur, in quibus tandem mortem inveniunt. O abyssum miseriarum, in quam terrena hæc suos dejiciunt amatores.

## P A R S II.

*Et excludunt a nuptiis cœlestibus.*

**V**erumtamen parum dixi, major, quin & maxima miseria est, quod etiam excludant a nuptiis cœlestibus; confidentes enim in bonis terrenis adinstar fatuarum Virginum non invenient oleum bonorum operum in vasis cordium suorum, sicque a sponso divino excludentur a nuptiis cœlestibus: ita jam dudum  
vati-

vaticinatus est Propheta Regius: *dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Pf. 75. v. 6. hoc quam verum sit, cum maximo suo detrimento expertus est Pharao Rex, quem Deus in mari rubro submersum ab æterna felicitate exclusit, sed cur Pharao in tantam miseriam lapsus est? Pharaonem a nuptiis cœlestibus excludebant bona terrena; nimium enim terrena quærebat plenus cupiditate ad thesauros Judæorum, *persequar, ait Exod. 15. v. 9. & comprehendam, dividam spolia.* Ab hac cupiditate ita excæcabatur, ut mare rubrum sit ingressus cum manifesto corporis, & animæ periculo, ita terrenarum rerum fluctibus agitat, ut in fluctibus maris merito perierit. Quis Absalonem Principem exclusit a festivis cœli nuptiis? exclusit inordinatus ad bona terrena affectus, crines ei fuerunt funes, queis in quercu infamis pependit, Hugo Cardinalis per crines, qui in corpore humano superfluum quid sunt, intelligit terrena, & superfluas eorum curas, & hæc nimia ad bona temporalia cupiditas, & amor terrenorum pro fluxis divitiis, & dignitate regia fuerunt Absaloni fatalis laqueus ad interitum. Habetis figuram in S. literis, quomodo Deus excludat a bonis cœlestibus eos, qui terrestribus cor totum apponunt: jubebatur Gedeon viros suos bellatores ducere ad profluentem, ut frigidam sumant, & bibant. Jud. 7. Deus illos ad præliandum elegit viros, eosque triumphare fecit, qui aquas lambebant, eos vero, qui in




ventrem projecti plenis buccis aquas hauriebat, rejecit, nec ad bellandum admisit. Lyranum jam desuper loquentem percipite: aquæ sunt bona temporalia, per eos, qui bibebant, manu aquam ad os levantes significantur homines, qui de bonis hujus mundi accipiunt, quantum eis sufficit ad necessitatem, per illos autem, qui bibebant aquas in terram prostrati, denotantur homines terrenis rebus inhiantes, & tales rejicit Deus, ut ineptos ad regnum Dei, & indignos nuptiis cœlestibus. Interrogate demum Ananiam, quantum damnum ex affectu rerum terrenarum sit passus, nonne invenerat dæmon aditum in cor ejus per rerum terrenarum cupiditatem, ut hic fraudaret agri pretium, nec illud integrum ad pedes Apostolorum afferret? ast reprehensus a Petro, *cecidit, & exspiravit* Act. 5. v. 5. utinam non etiam a divino connubio exclusus. Quare putatis reprobos a nuptiis cœlestibus extorres in magno judicii die collocandos fore ad sinistram, nonne in poenam, quod in hoc sæculo quæsierint sinistram, qua significantur bona terrena, propter quæ perdiderunt cœlestia? cur ergo o homo tam avide inhias temporalibus, quæ si possides, modico tempore tenes, ac in æternum carere cœlestibus cogeris? cur tam tenaci manu divitias captare vis, quas certe tamen violenta mors e tuis manibus extrahet, & quis scit, cujus erunt? utere terrenis, non fruire, utere illis; nam media sunt, non finis, utere in tuam necessitatem, & utilitatem, in solatium pauperum, ad causas



fas pias, & hospes aliquando eris inter cœlestes convivas.

Vocanti igitur ad nuptias cœlestes divino sponso obsequamur, contemnamus terrena, quæ multas includunt misérias, arbitremur ea ut stercora, quia excludunt a nuptiis cœlestibus, induamus per dolorosam peccatorum confessionem nuptialem vestem charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum, & sic sponsus cœlestis admittet nos ad nuptias perennaturas in cœlis. Amen.



QUÆSTIO SACRA II.

*Quare pauci sint electi?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Pauci sunt electi, 1. quia pauci vivunt pie.  
2. multi autem impie.

T H E M A.

*Pauci vero electi. Matth. 22. v. 14.*

**M**argaretha Aufriaca Philippi III. Regis Hispaniarum conjux Augustissima brevi ante obitum in regio atrio deambulans quamdam tabulam videbat, in qua erant pictæ angustæ scalæ in cœlum erectæ, per quas Angelus custos quosdam ducebat in cœlum, ex altera parte videbat largiores ejusdem scalæ gradus, per quos homines turmatim ad

tartara descendebant præcedentibus diabolis, qui tympanum, & cytharam tenebant. Regina, hæc cernens, amare cœpit flere, & cum ab honoraria matrona, quæ præsens, & ei a cubiculis erat, fuisset interrogata, cur fleret, respondit: o foror, in hoc ancipiti bivio collocata sum, dubia prorsus, num anima, ubi e corpore excesserit, huc, an illuc, an cum paucis in cœlum, vel cum pluribus in infernum deferatur. Jam si quis nostrum ea, qua par est, attentione consideret in hodierno Evangelio essatum Christi, dum dicit: *pauci vero electi*, sane eandem, aut majorem habebit caussam, ut cum pientissima ista Regina pariter in amaras diffuatur lacrimas, sibi que timeat, num inter vocatos duntaxat, vel electos quoque partem habeat; multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Si porro de hac electorum paucitate rationem inquiram, ea enimvero alia non est, nisi 1. quod pauci vivant pie, 2. multi autem impie.

## P A R S I.

*Pauci sunt electi, quia pauci vivunt pie.*

**I**ta est, pauci sunt electi, & pauci quoque sunt, qui pie, ac juste vivunt in hoc sæculo. Cum ultrix flamma Sodomam, & Gomorrham una cum vicinis urbibus absumeret, solus erat Loth, qui commune incendium cum sua uxore, & duabus liberis evasit salvus, & illæsus, cur autem tunc tam multi periere? non alia ex ratione, nisi quia pauci vivebant bene;



bene; in tanto enim numero hominum nequidem decem iusti fuerunt, qui bene agerent; ait namque Deus ad Abraham Gen. 18. v. 33. *non delebo propter decem.* verum prohi dolor! nequidem decem inventi sunt, qui pie viverent, quid igitur mirum, si pauci electi, cum pauci vivant bene? quapropter Christus electos suos merito vocat pusillum gregem Luc. 12. v. 32. *ne lite timere pusillus grex.* Et Matth. 7. v. 14. ait: *quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Quia pauci sunt, qui operantur pietatem, & vivunt bene, ideo, ait Hugo Cardinalis, timendum esse Christianis, ne eo modo introeant in regnum cœlorum, quo filii Israel in terram promissionis, in quam duntaxat duo ingressi sunt, sed cur tam pauci? quia ex Filii Israel pauci admodum erant, qui bene viverent, & præcepta Dei custodirent. Ut autem hæc veritas timorem Dei magis ingerat cordibus vestris, vosque vel in pietatis studio conservet, vel per veram poenitentiam conjungat illis, qui bene vivunt, unam vel alteram percipitote historiam: legetis in vita S. Bernardi, quod cum ex hac vita migrasset, anno 1153. horrenda visio Lingoniensi Episcopo facta sit, apparuit ei Eremita quidam mortuus, quem viventem olim noverat, qui divino timore compunctus ante aliquot annos, cum esset Decanus dives, omnia contemnens eremitorium pro Christi amore intrabat, hunc cum de animæ suæ, & divini iudicii severitate interrogasset, ille respondit: ea hora, in



qua ego de corpore migravi, triginta hominum millia ex hac mortalitate exiere, ex quibus Bernardus, qui eadem hora obiit, una mecum ad cœlos evolavit, tres alii ad purgatorium missi sunt, ceteri omnes per sententiam justi Judicis condemnati ad infernum perpetuo cruciandi descenderunt, hocque ideo, quia ex tanto numero tam pauci erant, qui bene viverent. Simile quid perceperat Innocentius VI. summus Pontifex, cum adhuc esset Cardinalis, hic cum sæpius invisisset eremitam Ordinis Carthusiani, aliquando ad eum cum suis veniens, ad ejus cellæ januam pulsari mandavit, nemine autem respondente ejus famuli cellæ fores persregerunt, & sanctum eremitam morti proximum, atque in terra invenerunt jacentem, & alta voce exclamantem: o, o, o, vidi mirabilia, vidi terribilia: causam rogatus a Cardinali, respondit: vidi animas sicut nives densissimas aerem obnubilantes decidere in infernum, ad purgatorium vero sicut nivem rarissimam, sed ad paradysum tres tantum vidi introire animas, quas nomine vocabat, cujusdam scilicet Episcopi, sui Prioris Carthusiani, & alterius viduæ Romanæ; itaque Cardinalis vir prudentissimus, ut de veritate hujus visionis certior fieret, mittebat nuntios, per quos re ipsa comperiebat, horum animas eodem tempore solutas fuisse corpore: ex hoc autem facinore colligebat Cardinalis, tam paucos fuisse salvatos, quia tam pauci in mundo pie vivunt, paucique electi sunt. Quam necessaria itaque est hominibus

nibus vita ad pietatem composita, quam ut assequantur, terrena omnia relinquunt, vel si utuntur rebus terrenis, ita utantur, quasi non utantur. Proin felices illi, qui semper memori mente mortem præveniunt, omnesque suas cogitationes, verba, & opera ad cœlestia dirigunt, qui in perpetuo Dei timore vivunt, ut cum venerit sponsus, parati sint cum eo introire ad nuptias cœlestes.

P A R S II.

*Multi autem impie.*

**E**nimvero quid mirum, paucos esse electos, cum multi vivant impie? Nonne quia malitia plurimorum hominum prævalebat, ideo Gen. 7. in diluvio salvati sunt duntaxat Noe cum septem aliis, & reliqui omnes perierunt? ait enim sacer textus Gen. 6. v. 12. *omnis quippe caro corruerat viam suam super terram.* Quid mirum, quod tam pauci sint electi; cum teste Salviano Episcopo Massiliensi, pene omnis cœtus Christianorum sit sentina vitiorum? de quibus dici potest, quod Psalmista dicebat Ps. 13. v. 1. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Et v. 3. *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est, usque ad unum.* Ob hanc adeo frequentem perversorum multitudinem querebatur Deus apud Prophetam suum Jeremiam: c. 5. v. 1. *circuite vias Jerusalem, & aspiciate, & considerate, & quærite in plateis ejus, an in-*



392 *Dominica XIX. post Pentecosten.*


*veniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem.* Sed nec unicus fuit repertus, ideo bene dictum est ab Osea: *non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra, maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inunda- verunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Ose. 4. Ecce! multi male, imo pessime vivebant, quid ergo mirum, Si pauci fuerint de numero electorum? vera proin, ac verissima est illa visio, quam Apocalypticus Aquila S. Joannes habuit, & hisce verbis descripsit: *projectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & satanas, qui seducit universum orbem.* Apoc. 12. v. 9. omnis amplam satanæ potestatem! ergone orbem seducat universum? ita sane, nam in eo plures est invenire reprobos, quam electos; in consideratione igitur, quod major pars hominum vitiis infordefcat, & in fine pereat, idem S. Joannes scribere potuit: *mundus totus in maligno positus est.* 1. Joann. 5. v. 19. desine ergo mirari, quod Jesus Christus Pastor divinus tam paucas veras oves, & electos cognoscat, qui vocem ejus audiunt; Apostolo enim teste, & plurimorum induratam malitiam prævidente: *omnes quæ sua sunt, quærun- non quæ Jesu Christi.* Philipp. 2. v. 21. porro in confirmationem eorum, quæ hætenus dicta sunt, juvat adhuc percipere S. Vincentium Ferrerium, qui ait: „licet ante Christi nati- „ vitatem per aliquot mille annos stetisset mun- „ dus, totus tamen damnabatur, exceptis  
 „ pau-



„ paucis de populo Israel, qui ibant ad lim-  
 „ bum, nam quot idololatriæ, quot atrocissi-  
 „ ma crimina dominabantur in mundo.,  
 Ecce pauci electi, quia multi perversam tra-  
 hunt vitam. Et tu o Christiane, speras sa-  
 lutem æternam, desideras esse de numero ele-  
 ctorum, qui tamen volutaris in impudicitiiis,  
 adulteriis, injustitiis, furtis, detractionibus,  
 contumeliis, ira, avaritia, gula, invidia, ace-  
 dia, & aliis vitiis? confiteris quidem hæc  
 peccata in sacramentali iudicio, sed reverte-  
 ris ad vias tuas pessimas: quapropter valde  
 timeo, ne te improvisa mors in his delictis  
 deprehensum detrudat ad tartara, ubi sero  
 nimis agnosces, quod pauci sint electi, quia  
 multi vivunt male; si ergo justus vix salvatur,  
 quid tecum erit, qui ita impie, & male vivis?

O Christe Domine, dic ad nos quoque,  
 quod dixisti ad Discipulos tuos: *ego elegi vos,*  
*& posui vos, ut eatis, & fructum asseratis, &*  
*fructus vester maneat.* Joann. 15. v. 16. O Pastor  
 divine, inter oves locum præsta, & ab hædis  
 nos sequestra, ut qui sumus a te vocati, simus  
 etiam per te electi. Amen.





QUÆSTIO SACRA III.

*Unde sperare possimus, nos esse de numero electorum?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Sperare possumus, nos esse de numero electorum, si vocantem Deum sequimur, 1. nam cum Deus sit misericors in vocando 2. homo sit velox in sequendo.

T H E M A.

*Multi sunt vocati, pauci vero electi. Matth. 22. v. 14.*

**T**erribilem hodie sententiam Christus magnus Dominus, terribilis super omnes Deos. Ps. 95. v. 4. enuntiat in S. Evangelio: *multi sunt vocati, pauci vero electi*, abs dubio vocat nos hisce verbis ad scholam timoris Dei Magister coelestis: *venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Ps. 33. v. 12. ut exin salutarem timorem ingerat cordibus nostris: *timete Dominum omnes sancti ejus.* v. 10. & profecto quis non timeat venturum sponsum, qui quidem omnes vocat ad nuptias coelestes, ad eas autem paucos admittit? quis non timeat, an sit de numero electorum? ita est, in timore Dei ambulandum, cum teste S. Bernardo super Cant. serm. 37. „initium „salu-

„ salutis sit timor Domini. „ Sed spes committetur timorem, nec spes sine timore, nec timor sine spe sit; idem enim Psalmista, qui timorem commendat, pariter monet: *sperate in Domino*. Pf. 4. v. 6. est itaque etiam sperandum, & dicendum cum S. Bernardo serm. 9. super qui habitat &c. „ tu es Domine spes „ mea: quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid operandum, tu es Domine spes mea. „ movetur autem quaestio, unde sperare possumus, nos esse de numero electorum? respondendum censeo, quod sperare possumus, nos esse de numero electorum, si vocantem Deum sequimur, 1. nam cum Deus sit misericors in vocando, 2. homo sit velox in sequendo.

## P A R S I.

*Deus est misericors in vocando.*

**C**onfidite filii hominum, & sperate in Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus, *multi sunt vocati*, misericors Deus per benignam gratiarum suarum collationem vocat omnes; plena enim solatii sunt ipsa Christi verba: *ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae*. Joann. 8. v. 12. notate verba, signate mysteria, dicebat benignissimus salvator: *lux mundi*, non hujus singularis Provinciae, aut Judaeae, sed universi, qua late patet, orbis, quem totum Deus ad se vocat,  
&



396 *Dominica XIX. post Pentecosten.*

& beneficiorum suorum lumine perbenigne illustrat. Nec contenta est magna Dei misericordia, ut hominem vocet, sed ipsamet facit, ut homo vocantem sequi possit; vocaverat aliquando divinus Paterfamilias plurimos ad coenam magnam, imo & nuntios misit, qui vocarent ad convivium, cum autem invitati nollent comparere, denuo alios emisit servos, qui per compita, & suburbia exirent, ut ad coenam introducerent pauperes, ac debiles, & cœcos, & claudos: *pauperes, ac debiles, & cœcos, & claudos introduc huc.* Luc. 14. v. 21. ait desuper S. Ambrosius: „ex eo, „ quod etiam hi vocentur, ipsa divina vocatio impedimentorum vincula solvit, cœcos visu donat, debiles erigit, claudos consolidat, ut vocantem sequi, & vocationi cooperari valeant, dummodo velint.„ Ita Deus misericors est in vocando. Simile solatium continent verba S. Hieronymi, qui in persona Dei ita loquitur: „te o homo, te voco cum „ electis meis ad cœleste convivium, tuæ sit „ tantum voluntatis sequi vocantem, & cooperari vocationi, quod si feceris, sperare „ poteris, te esse de numero electorum.„ Accedite, si lubet, ad domum Lazari, ibi videbitis, quam misericors, & miserator Dominus sit, & quam benignus in vocando quocunque peccatore: ægrotabat graviter Lazarus, mittebant sorores supplicem epistolam ad Jesum, ut sanaret illum, venit Christus, & invenit eum jam mortuum, jamque per quatuor dies in monumento: queritur Martha:

*Domi-*

*Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Joann. 11. v. 21. petit resuscitari fratrem suum: misertus Christus accedit monumentum, & magna voce clamat: *Lazare veni foras.* v. 43. ast nec Lazarum ad vitam revocat, nec vincula solvit, nisi prius illum vocet: *Lazare veni foras*, quia dum vocat, ipsa simul vocationis virtute & vivificat, & de sepulcro ruptis vinculis extrahit Lazarum, ut vocantem sequeretur; discas proin ex hac Dei voce, o homo, quod cum te vocat, jam sublata sit omnis difficultas, nullum obstet impedimentum, a quibus posses retardari. Quis non credidisset, optimam fuisse Petri petitionem dicentis: *bonum est nos hic esse.* Matth. 17. v. 4. & tamen a S. Luca Petrus arguitur magnæ ignorantiae: *nesciens quid diceret.* Luc. 9. v. 34. quare hoc? audite desuper S. Paschasium: „ vocavit Dominus Petrum, & erat miseri- „ cors in eo vocando, ut eum sequeretur, & „ hamo evangelicæ prædicationis, ac virtu- „ tum homines caperet, Petrus autem ineffa- „ bili transfigurati Domini sui transfiguratione „ totus irretitus illa æternaliter frui optabat, „ velut oblitus vocationis suæ, ideo ipse mo- „ netur, ut suæ vocationi cooperaretur. „ O peccator, quam benigne te vocat Deus, quot internis illustrationibus te illustrat, quot bona aliorum exempla ante oculos tuos ponit, ut sequaris, quot monita auribus tuis ingerit, ut a via impietatis revertaris ad semitam pietatis, quot tribulationes tibi non raro immit- tit, ut te per has ad se trahat, quot infirmita:



mitatibus corpus tuum cruciat, ut animam fanet, imo ipsis Angelis suis, tuo præcipue Angelo custodi, mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis? ecce! ita misericors est Deus in te vocando.

## P A R S II.

*Homo sit velox in sequendo.*

**C**um Deus sit misericors in vocando, etiam homo promptus sit in sequendo: exhibeo vobis misericordiam Dei in illa piscina probatica in Jerosolymis, de qua narrat S. Joannes, quod adeo validam habuerit virtutem, ut quoslibet, quacunque demum infirmitate tenebantur, sanaret, sed actu hæc aqua saluberrima illum solum curabat, qui ad motum illius piscinæ quantocyus se undis immittebat, & motum aquæ sine interposita mora sequebatur. Infinita Dei misericordia ejusmodi est piscina, motus in hac sunt vocationes, Dei inspirationes, ac conscientiaæ stimuli; ille ergo homo, qui, quamprimum divinae misericordiae motum, id est, vocantem Deum in corde advertit, statim ac prompte sequitur, bonasque inspirationes opere complet, sanabitur. audite jam vocem Davidis, qui vos omnes ad hanc divinam piscinam vocat, ut sequamini motum ejus: *hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Pf. 94. v. 8. o filii Adæ, sumite exemplum in protoparente vestro, ut prompte vocem Dei sequamini: *audiverat ille, cum vetitum pomum gustasset,*  
vocem



vocem Dei deambulantis in paradiso: *Adam ubi ei?* Gen. 3. v. 9. & ecce obedivit Adam; vix enim vocem vocantis Dei audierat, subiit de loco, in quo se abscondit, vocantem prompte sequitur, & se coram eo sistit, totamque rei seriem exponit: *vocem tuam audivi in paradiso, & timui, eoquod nudus essem, & abscondi me.* v. 10. en! dum promptus fuit Adam in sequendo Dominum, ac vocationi ejus cooperatus est, gratiam invenit, & unus de numero electorum Dei factus est. Insuper conside-  
rate promptam Samuelis in sequendo voluntatem, Deus Samuelem senuel vocabat, 1. Reg. 3. qui tamen mox vocantis voci respondens dixit: *Ecce ego!* v. 5. vocatur iterum, atque iterum, ast rursus ille quantocyus vocantis vocem secutus clamat: *ecce ego.* v. 5. hac autem veloci obedientia Samuel promeruit, ut Deus amplius illum non pertransiret, sed ei clementer præsens assisteret. Silentio involvam promptam Apostolorum sequelam, qui statim relictis omnibus secuti sunt Dominum. O Christiane, Christi ovis es, ovis vocem pastoris cognoscit & sequitur, audi, quid dicat S. Augustinus: „ramum viridem „ ostendis ovi, & trahis illam, nuces puero „ demonstrantur, & trahitur, si ergo ista, „ quæ inter delicias terrenas revelantur aman- „ tibus, trahunt, quoniam verum est, trahit „ sua quemque voluptas, non trahat revela- „ tus Christus a Patre? „ promptos proin nos ad sequendum cum S. Paulo exhibeamus dicentes: *Domine quid me vis facere?* verum  
quam

quam tardi sumus ad sequendam vocantis Dei  
 vocem, renuimus sequi Deum, monitis suis  
 nos etiam trahentem, procrastinamus poenitentiam,  
 ac robustæ ætati nimium confisi, sæpe fat  
 temporis adhuc superesse nobis promittimus  
 ad Dei servitium, & tamen quis scit, an illud  
 impetrabimus? nunc autem tempus habemus,  
 ergo nunc operemur, *cras*, ait Thomas Kempensis  
 L. 1. de imit. Christi. c. 23. *est dies incerta, & qui scis, si crastinum habebis?*

Cum ergo Deus ita misericors sit in vocando,  
 prompti simus in sequendo; ipsemet enim  
 Christus dicit: Joann. 8. v. 12. *ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vite*, nempe æternæ,  
 sequamur prompte misericordissimum vocantem  
 Dominum, & deducet nos per vias rectas,  
 ostendetque nobis regnum Dei. Amen.



DOM. XX. POST PENTEC.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quidnam nos facere oporteat, si cum  
Evangelico Regulo corripimur?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Dum nos corripimur, 1. debemus tacere,  
2. nec nos excusare.

T H E M A.

*Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.*  
Joann. 4. v. 48.

**M**ansuetissimus Dominus corripit hodie in Evangelio Regulum ad se venientem, qui petebat pro filio suo infirmo sanitatem; dicit enim ad eum Christus: *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis*, corripit hominem sed in charitate, ut errantem corrigat, & tanquam Medicus optimus vulnera mentis ejus sanet: *quem enim diligit Dominus, corripit.* Prov. 3. v. 12. est correptio saluberrima procurandis animæ infirmitatibus medicina, ne peccati mors præveniat, hoc nobis insinuat Apostolus, dum ait: *a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*, 1. Cor. 11. v. 32. at quidnam facere oportet, si cum  
*P. Friderici a Jesu P. Dom. Tom. II. Cc evan-*



evangelico Regulo corripimur? opinor, quod cum corripimur 1. debeamus tacere. 2. nec nos excusare.

## P A R S I.

*Quando corripimur, debemus tacere.*

**T**aciturno animo correptio est excipienda ad exemplum Reguli evangelici, increpabat eum Christus, quod perfectam fidem non haberet: *nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Et quid ad hæc Regulus? culpam tacens excipit, & suam petitionem strenue prosequitur, unde & a misericordiarum Patre exaudiri meruit. Bene o Regule taces, qui juste corripis, nam & illos tacere oportet, qui injuste subjiciuntur correptioni; quippe justus erat ex Patriarchis tuis Joseph, erat innocens, & licet esset castissimus Juvenis, accusabatur tamen apud Dominum suum Putipharem, quasi turpe cum conjuge ejus adulterium committere attentasset, Gen. 39. corripitur injuste justissimus Joseph, sed tacet, nec ullum respondet verbum, imitandum sane Josephi silentium, quod eum postea ad regale solium sublimabat. Verum potius Christiani omnes inspicite exemplum Christi, ut ad correptiones silere addiscatis, introite atrium Pilati Judicis, audietis ibi agglomerari falsissimas adversus Christum accusationes, corripitur justus injuste, sistitur iniquo Judici Christus innocentissimus, & ecce! tacet: *Jesus responsum non dedit ei.* Joann. 19. v. 9. O  
Isaia,

Isaia, hic vide adimpletum vaticinium tuum, qui de Christo prædicebas: *non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Isa. 53. v. 7. videamus jam, quomodo Christi Discipuli reprehensi de culpis, licet etiam falso accusati taceant: agnoscit Petrus reatum suum, reprehenditur intus, dum foris a Christo respicitur, *egressus foras flevit amare.* Luc. 22. v. 62. Cur taces o Petre, cur in tanto silentio egrederis, cur non potius ad Christum accedis, & veniam petis? respondet desuper S. Ambrosius: „ recte Petrus „ flevit, & tacuit, quia quod fleri potest, non „ solet excusari, & quod defendi non potest, „ ablui potest, „ erat Petrus in schola Christi edoctus, quod silere Christi Discipulos deceat: videamus & Apostolorum Discipulos, quomodo & illi reprehensi, aut accusati tacere ab Apostolis didicerint, sit nobis exemplo silentium S. Stephani: statuitur in medium impii concilii Judæorum, afferuntur adversus eum contumeliosæ accusationes, proclamatur tanquam seductor populi, at Stephanus Apostolorum Discipulus, dum corripitur, tacet, nec os suum aperit: advocantur falsi testes, qui dicebant: *homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum, & legem.* Act. 6. v. 13. at ille tacet, intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli, nempe innocentia Levitæ per illius silentium inter calumnias comprobata in Angelicum prodiit fulgorem. Præ-



terea non possum silentio præterire admirabile S. M. N. Theresiæ silentium, quæ cum veluti impia seductrix per universum Hispaniarum Regnum traduceretur, licet ejus honor vehementer lacefferetur, ac prorsus innocentissima esset, nihil tamen opponebat, sed cum corriperetur, tacebat. Quid jam dicam de nostri ævi moribus, imitamur quidem Regulam in nostræ fidei imbecillitate, nec tamen illum imitamur in silentii sui studio, quod, cum corriperetur, exhibuit: corripit & nos mansuetissimus Dominus per multas tribulationes, sed solvitur os nostrum in multas murmurationes, corripimur quandoque juste, & erumpimus in injustas querelas, & contentiones, verum hæc loquela non manifestos facit genuinos Christi Discipulos, qui injuste accusati tacere didicerant.

## P A R S II.

*Nec nos excusare.*

**U**t nobis magis adhuc sit proficua fraterna correptio, locum non inveniatur excusatio, sed potius hac in re imitemur rarum Davidis Regis exemplum; hic enim, cum a Nathan Propheta ob patrata sua scelera increparetur, lubenti animo audiebat corripientem, nec se excusabat, sed potius ingenue fatebatur culpam: *peccavi Domino.* 2. Reg. 12. v. 13. hac autem submissione tantum promeruit David, ut peccatorum veniam a Deo consequeretur: quapropter Rex in se reversus sæpius clama-  
bat



bat ad Dominum: *non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Ps. 140. v. 4. econtrario quam magnum afferat detrimentum peccatorum excusatio, experti sunt primi Parentes nostri Adam, & Eva, qui justissimam Dei correptionem audientes peccatum excusatione a se amovere fatagebant, & quidem prior Adam totam culpam retorquebat in uxorem: *mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Gen. 3. v. 12. idem faciebat & Eva, quæ pariter increpata a Deo: *quare hoc fecisti?* v. 13. respondebat: *serpens decepit me, & comedi.* v. 13. sed justissimus scelerum vindex Deus utrique bene meritam statuebat pœnam, ita locutus ad Adam: *in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Gen. 3. v. 19. *mulieri quoque dixit: multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios &c.* v. 16. pessime igitur sibi prospiciunt illi, qui peccata peccatis accumulantes iniquam Protoparentum imitantur excusationem, de quibus ait Gregorius Magnus: „ dum verba prædicationis audiunt, „ nullis salutiferæ correctionis jaculis se pe- „ netrari permittunt, quia in omni peccato, „ quod faciunt, scutum superbæ defensionis „ opponunt, quod si factum excusare nequeant, „ excusant animum. „ De his jam dudum loquebatur Salomon, dum ait Prov. 26. v. 19. *vir, qui fraudenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus, dicit: ludens feci, id est, „ cum „ non possint, ait desuper Lyranus, excusare „ mali-*

„ malitiam facti, quæ patens est, negant ma-  
 „ litiam intentionis, quæ est latens. „ Imo  
 reperire est nonnullos, qui si nec factum, nec  
 intentionem excusare, nec culpam in alios  
 detorquere possunt, deposito omni rubore scu-  
 tum audaciæ pro excusatione opponunt: ex  
 hoc numero fuerat perfidus Christi Discipulus  
 Judas, dicebat Christus ad suos: *unus vestrum*  
*me traditurus est.* Matth. 26. v. 21. percutiuntur  
 quidem singuli hoc verbo quasi fulmine,  
 interrogant: *nunquid ego sum Domine?* v. 22.  
 solus tamen Judas innocentiam simulans cum  
 petulanti audacia lætus quærit: *nunquid ego*  
*sum Rabbi?* v. 26. o Juda, cur ita perverse  
 interrogas? nonne vides, reliquos omnes pu-  
 dore suffundi, ac contremiscere? cur audes  
 solus in paropsidem mittere manum, cum ta-  
 men id veluti detegendæ proditiōis inditium  
 a Domino fuerit datum? *qui intingit mecum*  
*manum in paropside, hic me tradet.* v. 23. at pessi-  
 mus Judas hac audacia nitebatur excusare,  
 & abscondere suam malitiam, noverat Judas,  
 quod nec factum, nec intentio proditiōis la-  
 teret omniscium Dominum, audiebat quoque  
 a Christo signum proditiōis, sed tamen au-  
 dax interrogat de proditore, quia cum nullo  
 modo se excusare posset, audaciam opposuit:  
 utinam adhuc hodie non darentur, qui Judæ  
 malitiam imitantur imprudenter vociferantes:  
 quid? egone hoc feci? ego hoc dixi? per  
 effrontem audaciam sæpe sæpius malitiam  
 suam excusare attentant: non sic impii, non  
 sic, sequamini potius exemplum Publicani,  
 qui





scriptor, non assignat intermedium tempus vivendi inter nativitatem, & mortem, sed solum memorat *tempus nascendi, & moriendi*. Veritatem hujus dicti expertus est hodie Reguli filius, cui jamjam in primævo ætatis flore appropinquabat *tempus moriendi; incipiebat enim mori*. Joann. 4. v. 47. imo & a quolibet nostrum non ita longe distat *tempus moriendi*, vix quippe orimur, morimur, & statim etiam cum Reguli filio incipimus mori, ex quo haud obscure patet responsio ad quæstionem: quando, vel qua hora nos quoque incipiamus mori? dicendum enim videtur: quod unico tantum gradu vita nostra a morte distet, 1. cum vita nostra brevis vita sit, 2. imo continua mors.

## P A R S I.

*Vita nostra brevis vita est.*

**S**i sacrum piissimi Jobi librum perscrutor, plane convincor, quod brevis, ac velox sit vita hominis; ait quippe vir sanctus: *homo natus de muliere brevi vivens tempore fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet*. Job. 14. v. 1. &c. quid brevius eo, quod *fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet*, & ecce! ita continuo mutatur homo, & de una ad alteram ætatem citissime transit, unde Poeta canit: quam breve tempus homo vitali vescitur aura! mox puer, est juvenis, masque, senexque subit. Hinc idem S. Job velocitatem, ac brevitatem vitæ humanæ

considerans eam vento quoque comparavit: *memento, quia ventus est vita mea.* Job. 7. v. 7. quid autem velocius vento, aut brevius? celerrime transit, & vita hominis celerrime avolat, & dies ejus citissime transeunt. cum eodem S. Jobo teste velociores sint cursore: *dies mei velociores fuerunt cursore.* Job. 9. v. 25. inhæreo adhuc sacræ lectioni ejusdem patientissimi Doctoris, & rursus lego: *quasi flos egreditur, & conteritur.* Job. 14. v. 2. quid brevius decore floris? hic cum sole oritur, in meridie aperit folia sua, vespere autem marcescit, & de nocte perit: hæc ipsissima autem est conditio vitæ humanæ, oritur adinstar floris, modico virescit tempore, sed subito mortis vesper advenit, & gloriam ejus demetit, ut profus decidat; eapropter jure merito exclamabat S. Petrus: *omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni, exaruit fœnum, & flos ejus decidit.* 1. Pet. 1. v. 24. hanc humanæ vitæ brevitatem sibi quoque optime perspectam habuit prudentissima Thecuitis, dum dixit: *omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* 2. Reg. 14. v. 14. Ecce! vitam humanam similem proponit aquis fluvii, quid brevius illo, qui semper currit, & nunquam subsistit. usque dum a mari absorbeatur? ita adinstar fluminis currit citissime vita humana, donec tandem abscondatur in sepulcro. Edic nobis demum, & tu S. Paule Apostole, quid sit vita humana? hanc vocabat cursum: *cursum consummavi.* 2. Tim. 4. v. 7. ut nobis significaret velocitatem,



410 *Dominica XX. post Pentecosten.*

tem, brevitatemque vitæ humanæ, quæ vix oriens jam currit ad occasum. Hunc quoque cursum, quam brevis sit, cognovit primum Ezechias Rex, cum jam ad finem curreret vita ejus, qui infirmitate jam correptus querebatur apud Prophetam Isaiam: *præcisa est velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me, de mane usque ad vesperam finies me.* Isa. 38. v. 12. perinde ac si diceret: sicut radius textorius cito trajicitur per texturam, sic dies mei transierunt, sic denique proprio experimento didici, quod quantum vita proficit, tantum deficit: optime proin S. Viator Episcopus Brixensis, postea Bergomensis vitam hominis appellabat peregrinationem ab utero matris ad uterum terræ, & sepulcrum. Si ergo adeo brevis est vita hominis, noli, o juvenis, confidere in ætatis tuæ firmitate, vel corporis robore, & pulchritudine, levis infirmitas, maligna quædam febris, mortem accelerabit, & flos vitæ tuæ emarcescet: noli, o adolescens, spem ponere in tuis viribus, quæ cito deficient, tua corporis sanitas res nimium fragilis est, quæ cras forte non comparet, cura, non ut diu, sed ut pie vivas; nam scriptum est in aureo illo de imitatione Christi libello L. I. c. 22. *væ illis, qui diligunt hanc miseram, & corruptibilem vitam.*



## P A R S II.

*Imo continua mors est.*

**S**ed quid dico vitam? continua potius mors vocanda est vita hominis; nam a natiuitate, ait Sylveira noster, homo incipit mori, & accelerato cursu tendit ad mortem; quam ob rem Salomon inquit: *nos nati continuo desivimus esse.* Sap. 5. v. 13. & quid ni vitam hominis appellem mortem continuam? nam ipse natus calor, qui est in homine, sensim depascit humidum radicale, quo deficiente homo paulatim deficit, & continua morte moritur; appropinquante enim pueritia, moritur infantia, florente adolescentia moritur pueritia, ingrũente juventute moritur adolescentia, prævalente senectute, moritur juvenus, appropinquante morte moritur omnis ætas. Noli jam mirari, quod sapientissimus Salomon dixerit Sap. 7. v. 6. *unus introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus*, memorat duntaxat de introitu & exitu, de mansione autem in hoc mundo nullam facit mentionem; quia, ut & ipse Ethnicus Seneca loquitur, vix in vitam ingredimur, statim alia porta exire incipimus. Hæc continuæ mortis pœna ab ipso Deo statuta est peccato, quando dixit ad Adam: *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 2. v. 17. peccavit Adam, & mortuus est, sed quid dico mortuum, qui adhuc nongentis annis vitam traduxerat? sed tamen haud incongrue dictum est; quippe peccavit Adam,

412 *Dominica XX. post Pentecosten.*

Adam, & etiam mortuus est; „ a quo enim  
 „ tempore, ait S. Chrysostomus, Adam au-  
 „ divit: *pulvis es, & in pulverem reverteris.*  
 „ Gen. 3. v. 19. sententiam mortis accepit,  
 „ & ex illo tempore mortuus est, quia mor-  
 „ talis factus est, & etiam habebatur pro  
 „ mortuo; „ eapropter, ni fallor, Patriar-  
 „ chæ in veteri testamento semetipsos vocarunt  
 „ pulverem; dixit enim Abraham: *loquar ad*  
 „ *Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis.*  
 „ Gen. 18. v. 27. David quoque agebat: *recor-*  
 „ *datus est, quoniam pulvis sumus.* Ps. 102. v. 15.  
 „ quia, ut cum S. Gregorio loquar, „ etsi vi-  
 „ ventem carnem mors necdum in terram  
 „ resolvisset, hoc tamen se ipsos jam esse re-  
 „ putabant, quod se futuros absque dubita-  
 „ tione prævidebant. „ Hos sanctissimos Pa-  
 „ triarchas imitabatur S. Paulus, ac se nonnisi  
 „ pulverem iudicans in assidua mortis memoria  
 „ versabatur; eapropter de semetipso fatetur:  
 „ *quotidie morior.* 1. Cor. 15. v. 30. & alibi al-  
 „ tum ingemiscit: *infelix ego homo, quis me libe-*  
 „ *rabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7. v. 24.  
 „ S. Augustinus ait L. de civit. Dei: „ quidquid  
 „ temporis vivitur, de spatio vivendi demi-  
 „ tur, & sic continuo morimur. „ Adstipu-  
 „ latur S. Augustino moralium Doctor S. Gre-  
 „ gorius dicens: „ quotidianus defectus corru-  
 „ ptionis quid est aliud, quam quædam  
 „ prolixitas mortis? hanc quoque veritatem  
 „ ipsemet Ethnicus Seneca agnovit, dum ait: li-  
 „ cet in instanti mors contingat, quotidie mori-  
 „ mur, quia quotidie demitur aliqua pars vitæ,  
 „ vide,

vide, prosequitur Seneca, vide clepsydræ, si vertitur, statim incipit fluere, sic quamprimum homo incipit vivere, incipit mori. Optime proin Alexis ethnicus Poeta, qui lento morbo consumebatur, interrogatus, quid agat? respondit: paulatim morior. Cur ergo, o homo, tanta sollicitudine vitam tuam protrahere satagis, imo longævos vitæ annos peroptas, qui ita misere vivis, ut continuo moriaris? Verum hoc funestum vitæ nostræ fatum ex singulari Dei providentia constitutum est; quis enim vellet mori, ac dissolvi, & esse cum Christo cuperet, si vita nostra immunis esset ab omni infirmitate, adversitate, dolore, tribulatione, angustia, aliisque miseriis? potius igitur mori cogita, quia continua mors indies corporis tui fores pulsât; hinc non recedat e tua memoria monitum Thomæ Kempensis L. I. de imitat. Christi. c. 23. *valde cito erit tecum hic factum, vide igitur, quomodo te habeas: hodie homo est, & cras non comparet.*

O misera hominis vita, quæ vix nomen vitæ meretur, cum adeo brevis sit, & instabilis, ut potius continua mors dici mereatur; sit itaque vita nostra abscondita in Christo Jesu, ita vivamus in hoc sæculo, ut quotidie mori cogitemus, sic vita nostra felici morte claudetur, & vivemus in sæcula sæculorum. Amen.





---

 QUÆSTIO SACRA III.

*Quid nos doceat Reguli filius, incipiens mori?*

## RESPONSIO CONCIONATORIA.

Reguli filius incipiens mori docet nos mortis memoriam, 1. qua homo moritur peccato, 2. & vivit Deo.

## T H E M A.

*Incipiebat enim mori. Joann. 4. v. 47.*

*Statutum est, ait Gentium Doctor S. Paulus Heb. 9. v. 27. hominibus semel mori: omnes mori debent, clari, non clari, nobilitate pari, etiam Reges, Principes, omnesque Judices terræ, Juvenes & Virgines, tenes cum junioribus mortis sententiæ obnoxii sunt, Reguli quoque filium in Evangelio mors cæca invadit, incipiebat enim mori. Hæc audientes, quidnam ad nostram instructionem ex hac mortis schola hauriamus, quem pium affectum ingerat mentibus nostris hic morientis Principis aspectus? quid docet nos Reguli filius mori incipiens? respondendum censeo, quod Reguli filius incipiens mori, doceat nos mortis memoriam 1. qua homo moritur peccato, 2. & vivit Deo.*

## P A R S I.

*Memoria mortis facit hominem mori peccato.*

**O** mors, est quidem *amara memoria tua*, Ecclesiastici 4. v. 1. sed simul salutaris, utpote, quæ tantum efficis, ut homo moriatur peccato. hanc in rem Ethnicus Plinius quamdam apes fors toto agmine ab alveari erumpentes ad priora tecta revocandi artem tradebat, quæ ejusmodi erat, ut pulvere a serpentibus relicto, ac studiose collecto apes conspergerentur, quo facto in priorem locum revertentur omnes. Simili quodam modo homo peccator, dum semel ad liberio rem peccatorum viam avolavit, ad priorem vitæ Christianæ semitam est revocandus, sume pulverem, & cinerem, accipe pauxillum terræ, in quam primævi anguis dolo reversus es, atque ea frontem, memoriamque perfrica, ut ad meliorem frugem ex memoria mortis redeas, ac peccato moriaris. Equidem mirum cuique videbitur, quod Rex David, qui Philistæis Bethlehem obsidentibus aquam Cisternæ Bethlehemiticæ sitiebat, a tribus militibus inimicas phalanges penetrantibus allatam bibere noluerit, sed eam Domino libaverit dicens: *propitius sit mihi Dominus, nec faciam hoc, num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* 2. Reg. 23. v. 17. at hujus rei rationem assignat S. Ambrosius dicens: „suavitatem bibendi habere non poterat, quæ propositæ mortis horrore constaret.”

„staret., O quisquis es, non habebis suavitatem bibendi aquas voluptatum illicitarum, sed peccato protinus morieris, si in memoria mortis eris assiduus; nam teste S. Antonio Paduano, quemadmodum anchora navem retinet, ne ad saxa allidatur, sic memoria mortis vitam nostram retinet, ne ruat in peccata. Hæc quam vera sint, propria experientia didicit S. Margaritha de cortona, grandis olim peccatrix, sed maxima demum poenitens. Quid enim eam eo perduxit, ut vitam emendaret in melius, & peccato prorsus moreretur, nonne memoria mortis? siquidem cum multo tempore in continuo concubinato vivens nobili cuidam populari suo tanquam turpissimum Veneris mancipium deserviret, tandem aliquando factum est, ut Amasius ille unacum catello e domo secedens ambulatum iret, expectat anxia Margaritha redeuntem juvenem, sed frustra, multis sollicitudinibus obruta suspirat dilectum suum, at non redit, post aliquos demum dies catellus gemens revertitur, & Margaritham veste apprehensam extra domum protrahere conatur, quæ rei novitate percussa catellum sequitur, donec ad quamdam lignorum congeriem canis subsisteret, ligna respiciens, ac attingens, quasi Dominam suam, ut ea amoveret, admonens, Margaritha, cum aliquot ligna amovisset, Amasium suum mortuum, jamque vermibus corrosus videt, quo spectaculo adeo commota est, ut peractæ vitæ poenitens domum paternam repeteret, ac vitam inciperet valde asperam, quam postmodum



dum per viginti annos strenue prosequabatur, & peccatis omnibus mortua sanctam mortem obibat. Juvat hic etiam commemorare, quæ in vita S. Philippi Neri leguntur, hic quemdam juvenem pessimis moribus imbutum ad meliorem frugem reduxit, cum ei jugem mortis memoriam instillasset; rogaverat enim vir sanctus perditum hunc juvenem, ut quotidie septies diceret *Salve Regina*, & postea terram deoscularetur, dicens: *cras mori possem*: & ecce! adolescens saluberrimum hoc consilium secutus ad sanctissimam tandem conversus est vitam peccatis, quibus jam assueverat, omnino mortuus: nempe efficax est mortis memoria. Quid igitur mirum, quod aliqui tam impie vivant, cum per totum annum non recogitent se aliquando fore morituros, qui si de morte quid audiunt, hanc a se longe adhuc distitam credunt, dico ego talibus ex L. I. de imitat. Christi c. 23. *ah stulte, quid cogitas te diu victurum, cum nullum diem habeas hic securum?* O si tales sæpius cogitarent mortem, certo peccatis morerentur, & bonam mortem consequerentur.

P A R S II.

*Et vivere Deo.*

O felix mors, qua morimur peccato! sic enim mortui vivimus Deo, & vita nostra abscondita est in Christo! o saluberrima mortis cogitatio, quæ nos soli Deo vivere facit! in hujusce veritatis testem adduco illum vete-

ris testamenti Patriarcham Abrahamum, hunc fane Deus tempore, quo illius uxor Sara adhuc in vivis erat, crebris dignabatur apparitionibus, & colloquiis, ne sæculi curis, aut matrimonii oneribus distentus exerraret a via virtutis, vel ad aliã prorsus suum in Deum amorem divideret, ubi autem Sara devixit, ac ipse Abraham mortuæ uxoris mortem deploravit, illi Deus exinceps non apparuit, abs dubio ob nullam aliam causam, quam quod memoria mortis jam esset sufficiens medium conservandi Abrahamum in vita gratiæ, qua soli Deo viveret. Unde putatis, quod Magdalena abjectis omnibus sæculi curis absconditam in Deo vitam ducere edocta sit? nonne ex memoria mortis? de ea enim dicitur Matth. 28. v. 1. *vespere autem sabbati venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrum.* Ecce altera Maria, non quidem, ut sancti Petrus Chrysologus, Laurentius Justinianus, & alii loquuntur, altera naturæ, sed morum diversitate, altera per gratiam, sed unde altera morum diversitate? sacer textus ait: *venit videre sepulcrum*, memoria mortis fecit eam alteram, effecit, ut soli viveret Deo; Magdalena enim, quæ inter sepulcra, & ossa mortuorum obambulabat, ita & moribus immutata est, ut altera venisse videatur: imo erat profecto altera, quæ toto subsequenti vitæ tempore in Massiliensi solitudine soli suo cælesti sponso vivebat. Interrogate S. Arsenium, quis eum ad tam sanctum vitæ genus permoverit, ut relictis mundi delitiis, & contempto

Impe-

Imperatorum, ac Principum favore Monachorum habitum induerit? ecce! mortem quotidie meditabatur Arsenius, ideoque ad eum agonizantem veniens Theophilus Patriarcha Alexandrinus inquebat: Beatus es Abba Arseni, qui semper hanc horam ante oculos habuisti. disce proin o Christiane frequenter meditari mortem, quæ tibi non eripiet vitam, sed mutabit in melius. de Basilisco memoriæ proditum est, quod si prior viderit quemque illum occidat, si autem hominis aspectu fuerit præventus, visu perit basiliscus, ecce! mors basiliscus quidam est, qui mortem præmeditatur, & semper cogitat de ea, non occidetur a basilisco isto, sed semper vivet Deo, *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Ps. 115. v. 15. quia justus mortem prior videt, mortem superat, & vivit Deo, cum tamen peccator prior a morte videatur, & vincatur. O quam pie viverent homines, si mortem, hunc basiliscum, prius meditarentur, & viderent. Sed quam multos est reperire, qui etiam in gravissimis infirmitatibus constituti, nullam sibi volunt mentionem fieri de morte, unde & contingit, quod nequidem sacramentis Ecclesiæ præmuniti decedant, & avertat Deus, ne moriantur in morte peccati, inculco talibus doctrinam V. Thomæ Kempensis L. 1. de imit. Christi c. 23. *stude nunc taliter vivere, ut in hora mortis valeas potius gaudere, quam timere.* Disce nunc mori mundo, ut tunc incipias vivere cum Christo.



Incipiamus ergo & nos per piam mortis meditationem mori ante mortem, maneat in nobis memoria mortis, qua incipiamus mori peccato, obversetur ante oculos nostros mors corporis futura, ut vivamus Deo, sic aliquando mors nostra erit pretiosa in conspectu Domini, & erit vita nostra Beata in coelis. Amen.



## DOM. XXI. POST PENTEC.

### QUÆSTIO SACRA I.

*Quinam sint similes malo, & impio servo evangelico?*

### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Malo, & impio servo evangelico similes sunt,  
1. qui in Superiorum præsentia duntaxat videntur esse pii, 2. in quorum autem absentia sunt impii.

### T H E M A.

*Serve nequam. Matth. 18. v. 32.*

**F**icta, & simulata pietas, duplex impietas est, prout videre licet in hodierno servo evangelico, qui debitorum pondere gravatus, & non habens, unde solveret, proci- dit ad pedes Domini sui, oratque eum: *pa- tien-*

*tientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*  
 Matth. 18. v. 26. miser hujus servi misertus  
 Dominus totum ei debitum dimisit, *debitum di-*  
*misit ei.* v. 27. Ast videamus, quam impius  
 fuerit erga conservum suum ipsissimus hic ser-  
 vus: *serve nequam*, qui antea pius videbatur  
 servus, jam conservum, & suum pariter de-  
 bitorem, misit in carcerem, donec redderet  
 debitum; o crudelis impietas! quæritur jam,  
 quinam sint similes malo, & impio huic servo?  
 accuratius inspicite servum hunc, & facillima  
 erit responsio, ecce! quamdiu servus ille in  
 Domini præsentia erat, pium præseferbat,  
 at dum Domini sui oculos evaserat, ipsumque  
 absentem noverat, in servum impium dege-  
 nerat, omnemque malitiam exercet, dicen-  
 dum proin est, eos malo & impio servo evan-  
 gelico similes esse, 1. qui in Superiorum præ-  
 sentia duntaxat, videntur esse pii, 2. in eorum  
 autem absentia impii sunt.

P A R S I.

*Malo, & impio evangelico servo similes sunt,*  
*qui in Superiorum tantum præsentia*  
*videntur esse pii.*

**V**erum quot dantur subditi, qui in Superio-  
 rum præsentia non minus pii videntur,  
 quam servus ille evangelicus, qui Domino  
 præsentem demissam humilitatem, ac externam  
 pietatem mentiebatur: talem se servum simu-  
 labat Aaron Frater Moisis, qui individuus  
 Moisis comes, in externis pietatis officiis

422 *Dominica XXI. post Pentecosten.*

ferventissimus, strenue eum adjuvabat in regimine populi, sed hoc duntaxat, ut brevi infra videbimus, in præsentia Moisis Ducis, ac Superioris sui: interea intrate coenaculum, in quo Christus simul cum Discipulis suis ultimam coenam fumebat, & invenietis ibi ejusmodi servum nequam ipsi Dominicæ mensæ assidentem, Judam scilicet, videtur hic esse pius, modestus, devotus, sanctus, ac fidelis Discipulus in præsentia Christi Magistri sui, fingit se omnium innocentissimum: *nunquid ego sum Rabbi?* Matth. 26. v. 25. demissis oculis in profundissima humilitate & maxima devotione sumit cum aliis ferculum eucharisticum, promittit sicut ceteri se ex amore Jesu mille mortes fore subiturum, dum enim Petrus dicit: *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo, similiter & omnes Discipuli dixerunt.* Matth. 26. v. 35. ecce! quam pius erat Judas in præsentia Christi Superioris sui: & tamen extra Magistri sui oculos positus illius mortem machinatur: vere suspecta plerumque videtur esse pietas duntaxat ad præsentiam Superiorum restricta; dum enim Job magnas suas opes, & omnia bona, simul & filiorum, filiorumque numerum recenseret, commemorat quoque optimam prolium suarum societatem: *ibant filii ejus, & faciebant convivium per domos unusquisque in die suo.* Job. 1. v. 4. mutuis se conviviis fratres provocabant, nec unus alteri in hoc officii genere cedere voluit, interea pia Jobi cura eo tendebat, ne quam ex illis iteratis congressibus, & conviviis maculam,



lam, aut morum pravitatem filii contraxissent, hinc transacto septem dierum spatio, quo septem fratres quilibet de more convivium celebrabant, *sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis; dicebat enim, ne forte peccaverint filii mei.* v. 5. sed cur eos sanctificat? an timet forte licentiosam conventionem, excessumque in epulis, & potu? nonne eos semper pios esse probaverat? verum noverat Jobus, quod, licet in præsentia parentum filii sint morigeri, in absentia tamen eorum sæpius in præceps ruerent, ideo sanctificabat eos, ne forte, dum eo præsentē boni essent, illo absente in licentiosam vitæ dissolutionem degenerarent. Talis ficta pietas, & in Superiorum duntaxat præsentia subsistens erat, quam externe quidam ostendebat juvenis, cujus meminit S. Lucas, adibat ille Christum supplicans, ut eum in suam societatem susciperet: *sequar te, quocunque ieris.* Luc. 9. v. 57. sed Christus non annuebat petitioni ejus, quia optime noverat, eum duntaxat in illius præsentia apparere pium ac religiosum, quapropter dixit ei, *vulpes foveas habent,* v. 58. intimans ei latentem in corde impietatem. Vulpinam hujus Juvenis malitiam imitantur hodie quamplurimi, qui deforis, dum videntur ab aliis, religiosam fingunt pietatem, humiles, ac modesti apparent, quamdiu in conspectu Superiorum versantur, ovinam bonitatis Christianæ pellem coram hominibus exhibent, sed similes sunt servo nequam in evangelio, utpote interius lupi rapaces.

## P A R S II.

*In eorum autem absentia impii sunt.*


**N**on est vera pietas, quæ solum Superioribus, quos constituit Dominus, ut invigilent animabus subditorum, placere desiderat. Redeamus igitur ad Aaronem Fratrem Moisis, ejusque subditum, inspiciamus, qualis sit pietas ejus, qualis pro lege Dei fervor: constituerat Moises ascendere montem, ut divinis fruere colloquiis, subrogabat tanquam vicarium suum Aaronem, subditi Moisen in monte longius morari videntes postulant ab eo, ut illis faceret idola, ac Deos. Exod. 32. jam tempus est, o Aaron, ut vera tui fervoris specimina edas, & injustas populi preces virili fortitudine repellas, sed Aaron animadvertens Moisen Superiorem suum abesse, in apertam prorumpit impietatem, annuit blasphemis populi votis, fecitque vitulum conflatilem, & cum vidisset turbam lætantem, & clamantem: *hi sunt Dii tui Israel, ædificavit altare coram eo, & ipse Præconis voce clamavit dicens: cras solemnitas Domini est.* Exod. 32. v. 4. & 5. *& sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* v. 6. Ecce impietatem Aaronis in absentia Moisis manifestatam! vertamur quoque ad Judam Christi Discipulum, videamus, quam constans sit ejus erga Magistrum pietas, ac fervor, attamen non ultra inveniemus eum in cœnaculo, sed jam impie militum turbæ aggregatum, his infidelis servus tradit Dominum suum Christum, sed unde tanta Judæ mali-

malitia? S. Joannes ait c. 13. v. 30. *cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo.* Quamdiu in Magistri præsentia erat, pius videbatur Judas, at dum a Domino exivit, novum hominem, omnemque cum illo malitiam induit factus pessimus proditor Magistri sui. intueamini denique detestabilem Putiphari uxoris impietatem, simulabat se astuta mulier innocentem columbam in præsentia mariti sui, at eo absente moribus dissoluta, & nacta occasionem, ut sola cum solo absque arbitris esset, omni abjecto pudore ut lupa ferox involat in castissimum juvenem Josephum Ægyptiacum, apprehendit laciniam vestimenti ejus, & ait: *dormi mecum.* Gen. 39. v. 12. sed vicit Josephi castitas impudentissimam mulieris licentiam, dum relicto in manu ejus pallio fugit gloriosus victor. O tempora, o mores! dantur adhuc hodie, qui servi evangelici impietatem imitantur: est hic famulus bonus, & fidelis, sed e domo egrediatur Dominus ejus, & jam videbimus servum nequam, qui multam in domo exercet malitiam, est hæc filia una de numero prudentum in conspectu parentum, at horum oculis subducta mox prodit se esse virginem fatuam, est hæc famula, hæc puella innocens columba in conspectu Dominæ suæ, sed extra ejus oculos posita se turpe Veneris mancipium manifestat.

Abominemur ergo impietatem servi evangelici, sit virtus nostra solida, & firma non



solum in Superiorum præsentia, sed & in eorum absentia simus servi boni, & fideles, ut cuilibet nostrum dicat aliquando Dominus Matth. 25. v. 24. *intra in gaudium Domini tui.* Amen.



## QUÆSTIO SACRA II.

*Quare in Evangelio Dominus se adeo severum exhibuerit servo suo?*

### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Dominus se in ita severum exhibuit erga hunc servum ob malum ejus exemplum, quod reprobabat, 1. nam mala exempla trahunt alios quoque ad malum, 2. bona autem ad bonum.

### T H E M A.

*Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus.*  
Matth. 18. v. 34.

**Q**uemadmodum *miserericordia Domini plena est terra*, Ps. 32. v. 5. ita etiam *justitia plena est dextra ejus*. Ps. 47. v. 11. præstabat Dominus misericordiam servo evangelico petenti a se patientiam: *patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*. v. 26. donec redderet debitum, *miserus autem Dominus servi illius dimisit eum, & debitum dimisit ei*. v. 27. exhibebat quoque severam justitiam eidem ser-

servo, dum postea *iratus tradidit eum tortoribus*. v. 34. at unde hæc mutatio dextræ excelsi? quare Dominus ita severus, qui prius tam pius erat, quare se adeo severum exhibuit servo suo? existimo ego, causam fuisse malum servi exemplum; hic enim conservo suo pariter a se patientiam roganti non dimisit, sed detrusit illum in carcerem, utut ipse a Domino suo plenam debiti remissionem obtinuerit; sit itaque responsio nostra: Dominus se adeo severum exhibuit erga hunc servum ob malum ejus exemplum, quod abominationi habebat, 1. eoquod mala exempla trahant alios quoque ad malum, 2. bona autem ad bonum.

P A R S I.

*Mala exempla trahunt alios quoque ad malum.*

**E**st commune Brocardicon: verba movent, exempla trahunt, si mala sunt, alios quoque ad malum pelliciunt; quis enim apostatas Angelos in extremam trahebat ruinam, nisi malum Luciferi exemplum, qui omnis malitiæ antesignamus concupivit similis esse altissimo, & dum ascendere voluit super nubes ad Thronum Majestatis, ipse cum affeclis angelis descendit in inam inferni abyssum? Quis pariter protoparentem nostrum Adamum trahebat ad superbiæ, & inobedientiæ peccatum, nisi malum uxoris Evæ exemplum, quo sollicitatus vetitum fructum comedit, hacque transgressione sibi, & nobis justitiam originalem

lem deperdidit? discamus ex sacris literis, quam fortiter, & efficaciter malum exemplum alliciat ad malum: narratur Dan. 3. quod statim, ut audierunt omnes populi sonitum tubæ, cadentes adoraverint statuam auream, quam constituerat Nabuchodonosor Rex; at quo medio populus ducebatur ad tantum nefas, tamque nefandum idololatriæ crimen? per malum Procerum exemplum, ait enim sacer textus v. 3. *tunc congregati sunt Satrapæ, Magistratus, & Judices Duces, & Optimates, qui erant in potestatibus constituti, & universi Principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor Rex,* Legitur etiam Matth. 2. quod tribus Magis Jerosolymam introeuntibus turbata sit universa civitas, omnesque cives fuerint conterriti, sed cur turbantur, cum tamen Christo nato gaudeant Angeli, Pastores, & Reges advenæ? malum Herodis exemplum pertrahebat omnes in communem perturbationem, Regis ad exemplum tota Jerosolyma turbata est: *Herodes Rex turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo.* Matth. 2. v. 3. denique enarrat S. Lucas, quod Jesus in aula Herodis ab omni homine fuerit illusus? sed quid mirum? Regis exemplum tota aula sequebatur: *sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo.* Luc. 23. v. 11. cur clamabat universus Judæorum populus, ut Jesus crucifigatur: *crucifige, crucifige eum?* Luc. 23. v. 21. nonne ob malum Pontificum exemplum, de quibus scribit Matthæus c. 26. v. 4. *consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent,*



*Et occiderent.* Eapropter Dominus, ac Magister noster multam sæpe sæpius adhibebat sollicitudinem, ut e medio tolleret malum exemplum, bene gnarus, vix non omnia mala ex eo pullulare. considerate Regem Evangelicum, qui Christi typus est. Hic, cum filio suo nuptias parasset, & invitati jam mensæ assiderent, Rex conclave ingreditur, rotat oculos, singulos aspicit convivas, deprehendens autem unum non ornatum amictu nuptiali, mox eum ejici jubet: *mittite eum in tenebras exteriores*, Matth. 22. v. 13. dictum, factum, sententia vix prolata mox ejicitur miser, eccur autem tam præceps severæ fit sententiæ executio? malum exemplum convivis præbebat homo ille; erat itaque periculum in mora, ne & alios in malum pertraheret, sedebant alii justitia, fide, castitate, humilitate splendidi, at ille indutus erat peccatorum habitu deformatis, ne ergo totam hanc sacram societatem pessimo suo exemplo coinquinaret, mandabat Rex, eum mox conjici in tenebras exteriores. spectate quoque, cum quanta vigilantia, & sedulo labore quæsiverit pastor divinus errantem oviculam, Luc. 15. segregabat se ovis ab aliis per campos, & montes vagabunda, at pastor sollicitus relictis in solitudine nonaginta novem quærit eam. Divinissime Pastor! cur tantopere fatigaris, cur unicæ oviculæ inhias? utique adhuc residuas habes nonaginta novem, quæ vocem tuam audiunt? at respondet Pastor optimus: hæc ovis jugum coercionis meæ excussit, per nemora, & montes,

prout

prout illi licentiosæ vitæ amor dictat, vagatur, hanc ergo, si non quæsero, & revocavero, reliquæ omnes, etsi eas vigilantissime custodiero, malo pessimæ vitæ exemplo attractæ jugum disciplinæ meæ facile excutient, ejusque perversum vivendi modum sequentur, ne igitur mali exempli venenum, & lues in totum ovium mearum gregem irreat, ideo tantopere quæro, nec ulli sudori, vel labori parco. O exitiosa proin pestis, malum exemplum! quot primævum adhuc suæ innocentiae per sacrum baptismum receptæ florem incorruptum conservassent, nisi vidissent in socio suo hunc vel illum pessimum actum, malum edocti in pejus ruebant! quot ascendissent ad coelos, si non pernicioso aliorum exemplo tracti fuissent ad tartara! vae illi, per quem malum exemplum venit, audiat verba S. Augustini Lib. de Past. „ qui in conspectu populi „ male vivit, quantum in illo est, eum, a quo „ attenditur, occidit. „

## P A R S II.

*Bona autem exempla ad bonum.*

**N**on minus potens est in genere boni exemplum bonum, ac efficax est in linea mali exemplum malum: hanc veritatem manifestabat Angelus magno Dei servo Loth; cum enim eum una cum uxore, & duabus filiabus e Sodoma educeret, in itinere hortabatur pium Loth, ne respiceret post tergum: *noli respicere post tergum.* Gen. 19. v. 17. cur soli Loth,


Loth, & non etiam ejus familiæ hoc dabat mandatum? quia Loth erat Dominus domus, qui si mandatum servaverit, facile universam familiam bono suo exemplo trahet ad æquale pietatis studium, quod revera factum est; quamdiu enim præsens erat Loth, post tergum uxor pariter non respexit, postquam autem Loth ingressus est Segor, & se suo bono exemplo ad breve tempus subduxit, respicit curiosa mulier, & mox etiam inobedientiæ suæ poenas dat. Enimvero etiam Regulus in Evangelio, postquam Christus miraculose ejus filio sanitatem restituerat, non solum ipse, sed & universa ejus familia se evangelicæ legis jugo subjecit: *credidit ipse, & domus ejus tota.* Joann. 4. v. 53. si autem tantæ conversionis rationem quæritis, bonum exemplum Domini fuit, qui & reliquos ad fidem in Christum movebat, viderant ceteri in Regulo magnam fidem, & fiduciam, quam in Christo ponebat, *credidit ipse, & hoc tam eximium pietatis exemplum totam ejus domum ad parem fidem alliciebat: credidit - - - & domus ejus tota.* Quantum valeat bonum aliorum exemplum, testis esse potest S. Afra Augustanæ Diœcesis Patrona, quæ prius infamis peccatrix, subito facta est gloriosissima Christi Martyr, unde autem tam mirabilis mutatio? bonum S. Narcissi Episcopi exemplum alliciebat Afram ad conversionem; cum enim apud eam adhuc ethnicam S. Narcissus divertisset, usque adeo virtutum exemplis, quæ ille præbebat, commota est, ut & ipsa baptizari peteret,



teret, & paulo post pro fide ad rogam condemnata propter Christum vitam suam daret. Quis S. Thomam Aquinatem in virtutum, ac sanctitatis bono conservavit? conservavit bonum exemplum, nam acta sanctorum Patrum assidue in manibus, & pectore ferebat, ut ex eorum recordatione & exemplo ad imitationem virtutum accenderetur, o efficax bonum exemplum, quod & malos ad bonum trahit! nam cum Ludovicus Granatensis quadam die acriter se disciplinis castigasset, duo lascivi adolescentes, qui casu prope ejus cubiculum præteribant, adeo pio Ludovici exemplo sunt immutati, ut a meditato scelere abstinerent, & sequenti die ad confessionem accurrentes ex toto se emendarent. Habes hic, o Christiane, normam, quomodo facili negotio Deo animas lucrari possis: institue honestos, & pios discipulos, ac crede sis, etiam alios ad similia pietatis verba fore trahendos: nota sit modestia tua omnibus hominibus, & saltem aliquos alliciet ad currendam virtutum semitam, esto mitis, & humilis corde, & proximum tuum ad parem mansuetudinem, ac humilitatem perduces, in omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, & multa bona in proximo tuo procurabis, aut saltem multa mala impedies.

Non ergo moveant nos mala exempla, quæ videmus in aliis, ne & nos ad malam viam declinemus, sint potius in conspectu nostro exempla bona, ut nos pelliciant ad bonum

bonum virtutis, æmulemur charismata meliora, ut nos trahant ad coelestem patriam. Amen.



QUÆSTIO SACRA III.

*Quiniam sunt illi, qui suffocant proximum?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Detractores proximum suffocant, imo & se ipsos, 1. nam multum nocent proximo, 2. plus sibi.

T H E M A.

*Tenens suffocabat eum.* Matth. 18. v. 28.

**S**icut *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, Matth. 5. v. 7. ita infelices sunt immisericordes, quia misericordiam non consequentur: ejusmodi immisericordem hominem nobis hodiernum Evangelium ante oculos ponit in servo nequam, qui conservum suum tenuit suffocans eum: *tenens suffocabat eum*, ideo etiam a Domino suo nullam misericordiam consecutus est, qui dixit ad hunc servum malum: *nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum.* v. 33. sed *iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus*, v. 34. at quiniam sunt illi, qui nostra adhuc ætate hunc servum

*P. Friderici a Jesu P. Dom. Tom. II. E e ne-*

nequam imitantes adeo sunt immisericordes, ut suffocent proximum suum? dicendum puto, obtrectatores esse, qui proximum suffocant, imo & se ipsos, 1. nam multum nocent proximo, 2. plus sibi.

## P A R S I.

*Detractores multum nocent proximo.*

**V**os, o calumniatores impii, estis simillimi servo nequam in Evangelio, qui conseruum suum suffocabat, vos estis, qui pariter suffocatis proximum vestrum, eique multum nocetis; quid enim nocivum magis, quam serpens venenosus, qui exitiosum suum venenum evomens, eo hominem intoxicat? vos maledici estis tam perniciosi serpentes, ut noxia vestrae obtrectationis veneno proximis vestris irreparabile damnum non raro inferatis. Hinc de vobis ait Psalmista Regius: *acuerunt linguas suas, sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum.* Pf. 139. v. 4. vos estis, qui tam nocivos dentes habetis, ut proximum vestrum crudelem in modum mordeatis: *dentes*, ait David Pf. 3. v. 8. *peccatorum contrivisti*; quinam enim sunt dentes peccatorum, nisi Lividorum verba mordentia, & proximo nociva, quae ideo vocantur dentes, quia sicut illi cibos atterunt, ita & isti opiniones hominum corrodunt calumniis? quapropter conqueritur apud suam Psalmistam Christus Dominus, quod multum nocivos ab his obtrectantium dentibus morsus receperit: *circumdederunt me canes multi.* Pf. 21.



v. 17. id est, Judæi, canes pessimi per maledicentiam oblatrantes, & mordentes, ideo in hos immanissimos canes, qui Christum mordendo suffocabant, acerbis verbis invehitur S. Augustinus tract. super Psal. in Ps. 63. ad v. 2. unde occidistis? gladio linguæ. O quot vulnera, obtrectatores pessimi, infligitis proximo vestro per mordacem linguam vestram, qua multum proximo nocetis, de vobis recte ait Jeremias Propheta c. 9. v. 8. *sagitta vulnerans lingua eorum.* Necdum satis, ulterius progreditur malitia calumniantium; de illis enim Clarevallensis Abbas Bernardus hæc profert: „lingua detractoris crudelior est lan-  
 „ cea, quæ Christi latus perfodit; quia lan-  
 „ cea illa Christi jam emortui latus transfixit,  
 „ lingua autem illa transfigit membrum vivum  
 „ Christi, & transfigit animam, pro qua Chri-  
 „ stus sanguinem fudit, & mortuus est. „ O  
 nociva pestis detractio, cujus iniqua verba, sicut pestis totum perimere potest corpus, suffocant bonam proximi opinionem. O magna detractorum crudelitas, de qua ita fatur S. Bernardinus: „Leo Leoni parcit, lupo lu-  
 „ pum non comedit, solus autem detractor  
 „ similes sibi satagit devorare. „ O magnum,  
 & non raro irreparabile nocumentum, quod ex obtrectandi studio provenit, de quo dixerat sanctus David: *linguæ eorum gladius acutus.* Ps. 56. v. 5. Lingua enim maledica uno ictu vulnerat illos, quos livido dente lacerat, simulque illos, qui audiunt calumniantem, ac denique seipsam suffocat lingua detrahens. O

gravissimum malum obtrectatio! & tamen, quid hoc tempore usitatum magis, quam alios dente maledico carpere, vix datur colloquium, in quo proximi non læditur existimatio, vix instituitur amicabile alias convivium, in quo non simul invido dente lacerantur carnes hominum, optarem sane talium mensis inscriptum esse illud Augustini dictum: *quisquis amat dictis alienam rodere famam, hanc mensam vetitam noverit esse sibi.* sed proh dolor! adeo jam invaluit detractionis vitium, ut homines id nequidem crimen esse reputent, dicentes: vera sunt, quæ loquor, cum tamen verum etiam crimen proximi absque gravi, & prudenti ratione aliis id ignorantibus non liceat revelare, ne proximi famæ noceatur.

## P A R S II.

*Plus sibi.*

**S**ed quid pluribus dissero de damno, quod obtrectatores inferunt proximo? plus utique sibi nocet lingua maledici; se enim ipsum quoad animam occidit, & quod sane gravissimum est, se pariter exosum reddit Deo teste Apostolo, qui dicit: *detractores Deo odibiles.* Rom. i. v. 30. percurrite pia lectione sacras literas, in iis sat comprobatum invenietis, quod detractores semper sibi metipsis plus nocuerint, utpote gravissimis a Deo pœnis merito castigati. Sic legitur Num. 16. quod Dathan, Core, & Abiron Moisis contemptores impii a terra absorpti sint, sic eodem Num. Li-  
bro



brov. 21. habetur, quod omnes illi, qui Moisis famam læserant, a serpentibus fuerint vexati, imo nec Aaroni, nec Mariæ ejusdem forori pepercit Deus, cum hi fratrem suum Moisen lingua in obtreccationes soluta opprimere vellent; Deus enim valde iratus punivit eos: *quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moisi? iratusque contra eos abiit.* Num. 12. v. 9. sic quoque in libris Machabæorum scriptum legimus, quod ille, qui Judæ Machabæo detrahebat, subito apoplexia obmutuerit, & expiraverit 1. Mach. 9. v. 55. nil dicam de irreparabili damno, quod sibi fecit impiissimus Judas, qui opus pietatis, quod fecerat Magdalena, sinistre interpretatus, eam velut prodigalitatæ ream arguebat, cum pretium unguenti hujus pauperibus dari posse diceret. Veritatem hanc etiam ex historiis colligite, ut caveatis vobis a malo detractiõnis, quo licet proximo, plus tamen vobis nocementi affertis. Narrat S. Bernardus, quod ille, qui sancto Malachiæ detrahebat, ita a Deo fuerit punitus, ut ei intumuerit, & computruerit lingua vermibus ex ea succrescentibus. Profecto si Deus adhuc hodie hanc pœnam detractoribus statueret, quantum in mundo silentium foret. Et quid ni plus sibi nocere dicendus est detractor, cujus damnum plerumque est æternum? percipite in argumentum hujus id, quod narratur de quodam nobili, hic interrogabat quondam Patrem Magistrum Franciscum de Victoria Doctorem Universitatis Salmanticensis Ordinis S. Dominici, qua ratione satisfacere



obstringatur ob detractiōnem insigni cuidam personæ factam? respondebat Doct̃or, se nescire aliud medium, nisi ut recta pergat ad infernum: nobilis hoc dicto consternatus accedit ad Patrem Dominicum Soto hæc eidem narrans, Soto autem dicebat, optimum fuisse responsum P. Francisci; nam medium non est, nisi ut famam restituat, & quia hoc exequi renuet, nil ipsi supersit, nisi infernus. O vulnus insanabile, quod detractio ipsi detrahenti infligit! facile quidem volat ex ore verbum detractorium, sed cum magna difficultate verbum hoc revocatur, adeoque relinquitur vulnus in anima per peccatum sauciata, quot audiuntur detractiōnes, cum tamen vix ullæ percipiuntur calumniarum revocationes, ac convitiōrum retractationes! vos igitur detractores his verbis adhortor, quibus olim S. Hieronymus Celantiam admonuit: „nulli unquam omnino detrahas, & si aliorum vituperatione te laudabilem videri velis, magis tuam vitam amare disce, quam alienam carpere.

Cum igitur detrahentes multum noceant proximo, plus autem sibimetipsis, fugiamus hoc abominabile vitium; ad id enim admonemur Sap. I. v. II. *a detractiōne parcite linguæ.* Audiamus quoque monitum S. Jacobi Apostoli c. 4. v. II. *nolite detrahere alterutrum fratres;* absit ergo a cordibus nostris pestifera hæc lues, detractio nociva, sit diffusa potius charitas in cordibus nostris. Amen.

DOM.

DOM. XXII. POST PENTEC.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quomodo vivendum in hoc sæculo, ut  
Deo reddantur, quæ sunt Dei, &  
Cæsari, quæ sunt Cæsaris?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Ut reddamus Deo, quæ sunt Dei, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris, vivendum est, 1. ordinabiliter tibi, 2. sociabiliter proximo, 3. & humiliter Deo.

T H E M A.

*Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22. v. 21.*

**P**ræceptum Domini est, ut reddamus Deo, quæ Dei sunt, & proximo, quæ sunt proximi: *reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Eapropter Christus Luc. 22. v. 37. ubi dixit: *diliges Dominum Deum tuum.* mox v. 39. subjunxit: *diliges proximum tuum, sicut te ipsum, in his duobus mandatis universa lex pendet: hoc est compendium totius vitæ Christianæ, si Deum diligimus, reddimus Deo, quæ sunt Dei, si diligimus proximum, reddimus Cæsari, quæ sunt Cæsaris: quæstio jam volvitur, quomodo vivendum*

dum in hoc sæculo, ut Deo reddantur, quæ sunt Dei, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris? deduco responſionem ex S. Bernardi verbis, qui ſerm. 1. in feſto ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ita loquitur: „bene vivis, ſi vivis „ ordinabiliter, ſociabiliter, & humiliter: or- „ dinabiliter tibi, ſociabiliter proximo, humili- „ ter Deo. „ Ut ergo reddamus Deo, quæ ſunt Dei, & Cæsari, quæ ſunt Cæsaris, vivendum eſt 1. ordinabiliter ſibi, 2. ſociabiliter proximo, 3. & humiliter Deo,

## P A R S I.

*Vivendum eſt ordinabiliter ſibi.*

**U**t bene vivamus in hoc ſæculo, vita noſtra ordinata charitate exornetur, ſimus in vivendo ſimiles ſponſæ in canticis, cujus vitam ipſe ſponſus ordinabat eo pietatis ordine, ut dicere potuerit: *ordinavit in me charitatem.* Cant. 2. v. 4, ſed quid faciendum nobis, ut cœleſtis ſponſus ordinet in nobis charitatem? audiatur deſuper Clarevallenſis Abbas citat. loc. „vive ordinabiliter, ut in omni conver- „ ſatione tua ſolicitus ſis obſervare vias tuas, „ & in conſpectu Domini, cavens & tibi a „ peccato, & illi a ſcandalo. „ Hanc ordinatæ vitæ normam edocuit Magiſter cœleſtis Chriſtus ſuos Diſcipulos, cum dixit ad eos: *luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona.* Matth. 5. v. 16. inſtruebat eos, ut caverent ſibi & a peccatorum tenebris, *luceat lux veſtra,* & illi ſcilicet proximo a ſcandalo,



dalo, cum lumen bonorum operum nostrorum  
 Deus velit etiam proximo per bonum exemplum  
 esse accensum, *coram hominibus*, ut paucis di-  
 cam, sit quilibet Christianus *lucerna ardens*,  
 & *lucens*. Joann. 5. v. 5. qualis erat S. Joannes  
 Baptista, quem ipse Deus, ut luceat om-  
 nibus, qui in domo sunt Ecclesiæ, spiritu  
 charitatis suæ accenderat, de quo ita fatur  
 S. Bernardus in ejus festo serm. unic. „ardens  
 „ erat in se ipso vehementi austeritate conver-  
 „ sationis erga Christum, intimo quodam, &  
 „ pleno fervore devotionis erga proximos, con-  
 „ stantia liberæ increpationis erga impios luxit  
 „ exemplo, digito, verbo.,. Ita pariter Doctor  
 gentium instruebat ad ordinabiliter sibi viven-  
 dum suos Discipulos Timotheum, & Titum,  
 quorum primum his verbis instruebat: *exem-  
 plum esto fidelium in verbo, in conversatione.*  
 1. Tim. 4. v. 12. Titum autem hoc documen-  
 to imbuebat: *in omnibus te ipsum præbe ex-  
 emplum bonorum operum.* Tit. 1. v. 7. id est,  
 ut interpretatur S. Anselmus: „ita vive,  
 „ ut sis omnibus forma bene vivendi, & qui  
 „ te viderint, legant in operibus tuis velut in  
 „ libro, quid agere debeant.,. Et hanc vi-  
 tam ordinabilem rursus ita complexus est S.  
 Bernardus super Ezech. hom. 5. his verbis:  
 „ qui in occulto bene vivit, sed alieno profe-  
 „ ctui minime proficit, carbo est: qui vero  
 „ in imitatione sanctitatis positus lumen recti-  
 „ tudinis ex se multis demonstrat, lampas  
 „ est; quia & sibi ardet, & aliis lucet.,. Qua-  
 lis jam est vita tua, o Christiane, vivis ne or-

dinabiliter tibi? cavesne tibi a peccato, & proximo a scandalo? sed eheu quam prone in peccata proruis, quot scandala proximo præbes? verbo, nulla est in te fuga peccati, nullus ordo charitatis, nulla pietas, nulla devotio, imo nulla præceptorum Dei, & Ecclesiæ observatio, non reddis Deo, quæ Dei sunt, nec Cæsari, quæ sunt Cæsaris.

## P A R S II.

*Sociabiliter proximo.*

**V**ita bona sit quoque socialis, id est, verba sunt melliflui Magistri: „sociabiliter proximo, ut studeas amari, & amare, blandum te, & affabilem exhibere, supportare non solum patienter, sed & libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum, quam corporum.„ In hunc ferme modum quoque hortatur omnes S. Paulus: *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, Gal. 6. v. 2. & *in omnibus*, ait idem Apostolus 2. Cor. 6. v. 4. *exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia*, nam *charitas patiens est, omnia suffert*. 1. Cor. 13. v. 7. *confideremus, cum quanta charitate & patientia quæserit divinus Pastor errantem oviculam, quam bonus, & affabilis erat ovi inventæ! ego sum Pastor bonus*. Joann. 10. v. 11. *imponit in humeros suos gaudens*. Luc. 15. v. 5. *quam patiens erat in perferendis oviculæ erratis, quam sedulus in quærendo, quam suavis in inveniendo, revera habemus in Pasto-*

re bono exemplum vitae sociabilis: summum Pastorem imitata est principalissima ejusdem ovis B. Virgo Maria, quæ nos etiam docet socialem vitam cum proximo, ac patientiam in sufferendis ejus nævis, vocatur quippe hæc omnis perfectionis Magistra ab Ecclesia: *Rosa mystica*, sed cur appellatur rosa? dices forte, quia rosa est Regina florum, rosa flos florum, decus hortorum, & oblectamentum hominis, ita etiam Beatissima Virgo est Regina Angelorum, decus paradisi cœlestis, & delitiæ hominum, bene, optime, sed aliam percipite rationem ex purpurato Hugone inc. 24. Ecclesiastici: sicut rosa rubra est in suo colore, & candida in sua natura, ita etiam Maria tanquam mater pulcræ dilectionis rubra erat ob eminentem ejus charitatem in proximum, cujus imbecillitates patienter sufferebat, erat candida per candidam, suavemque socialis vitæ rationem, & sicut rosa amœnissimum emit tit odorem, ita Maria lætificabat omnes suavissimo virtutum suarum odore, quin imo sicut rosa admittit consortium spinarum, in quorum medio florescit, sic mystica rosa Maria, licet sanctissima, admittit ad consortium suum peccatores, morales has spinas, quorum refugium vocatur: o pulcherrimum socialis vitæ symbolum, tales socialis vitæ fructus exigit a nobis Ecclesiasticus c. 39. v. 17. dicens: *quasi rosa plantata super rivus aquarum fructificate: esne talis rosa o Christiane, estne in te rubor charitatis proximi, & candor sinceritatis? an non potius cor tuum est merum spinetum, quod multa*



444 *Dominica XXII. post Pentecosten.*

multa impatientia pungit proximum? quot spinæ societatis meræ politiæ humanæ, & pacis simulatæ in te progerminant, sic non es sociabilis proximo, cum charitas tua quærat, quæ tua sunt, non quæ Jesu Christi, & proximi, hoc non est dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris.

P A R S III.

*Humiliter Deo.*


**D**emum, ut vita nostra conservetur rite ordinata, & socialis, simul humilis sit oportet, ita rursus loquitur præfatus Doctor Bernardus „humiliter Deo, ut cum hæc omnia „feceris, spiritum vanitatis studeas exfufflare... Hunc in finem adeamus scholam humilitatis, in qua ipse Magister humilitatis docet in hæc perorans verba: *discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Matth. II. v. 29. hanc autem doctrinam suam non tantum ore, sed etiam opere docuit, siquidem Joann. 10. v. 11. summa cum demissione animi de se ipso loquitur: *ego sum pastor bonus*, non se ibidem appellat Regem Regum, aut Dominum universonum, non se vocat Judicem severum, sed simplicem Pastorem, abs dubio humilem vitam nos edoctrurus, qui *semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Philipp. 2. v. 7. huic humilitatis prototypo Christo simillima erat vita B. V. Mariæ Matris suæ, hæc utut esset creatura perfectissima, Regina cæli, & terræ, Domina dominantium, & Angelorum Princeps,

ceps, nihilo fecius tamen se humilem profitebatur ancillam: *ecce Ancilla Domini*. Luc. 1. v. 38. bene gnara, quod sponsus cœlestis humilem concupiscat sponsam, & propterea in canticis canticorum non sine mysterio descendisse dicatur in hortum nucum, ut videret poma convallium: *descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium*. Cant. 6. v. 10. Divinissime sponse! quare desideras videre *poma convallium*? nempe placet sponso humilitas; descendit ergo ad convallem humilitatis, & ibi fructus & poma propriæ demissionis quærit videre; humilia enim Deus respicit, hinc ait S. Augustinus serm. de ascens: Domini: „ altus est Deus, humilias te, & descendit „ ad te, erigis te, & fugit a te; „ quapropter idem Hipponensis Antistes interrogatus, quænam esset via ad perfectionem? respondebat: „ humilitas, humilitas, humilitas, & „ si millies me interrogares, semper responderem: humilitas. „ Insuper optime ad propositum nostrum dicebat Bethlehemiticus Eremita Hieronymus: „ quantumcunque te humilies, humilior Christo non eris. „ Laudemus ergo viros gloriosos, qui se ipsos his S. Pauli verbis alloquuntur: *quid habes, quod non accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis*. 1. Cor. 4. v. 7. qui ipsam suam scientiam reputant ignorantiam ea V. Thomæ verba recogitantes: *si tibi videtur, quod multa scis, & satis bene intelligis, scito tamen, quia sunt multo plura, quæ nescis*. L. 1. de imit. Christi c. 2. qui suas virtutes semper suspectas habent, cum eodem

446 *Dominica XXII. post Pentecosten.*

eodem spiritualis vitæ Magistro concludentes:  
*omnes fragiles sumus, sed tu neminem fragiliorem  
te ipso tenebis.*

Ecce! habemus methodum vivendi in hoc  
sæculo, ut Deo reddamus, quæ Dei sunt, &  
proximo, quæ sunt proximi, *reddite, quæ sunt  
Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, viva-  
mus ordinabiliter nobis, sociabiliter proximo,  
humiliter Deo, faciamus, quod faciendum  
commendat Apostolus Tit. 2. v. 12. *sobrie,  
juste, & pie vivamus in hoc sæculo, si ita vita  
nostra ordinata fuerit, per humilitatis viam ad  
æternæ vitæ societatem ascendemus. Amen.**



QUÆSTIO SACRA II.

*Quomodo censum Deo reddere debeat  
Christianus?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Censum reddit Christianus Deo, si promissio-  
nes Deo factas servet 1. fideliter, 2. &  
hilariter.

T H E M A.

*Reddite, quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22. v. 21.*

**D**ebitores Dei sumus, quotquot in hoc sæ-  
culo vivimus homines, hoc nobis insi-  
nuat Paulus Apostolus Rom. 8. v. 12.  
*fratres, debitores sumus non carni, ut secundum  
carnem*



*carnem vivamus, sed Deo, quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. v. 14. & de quolibet Christiano dicit: debitor est universæ legis faciendæ. Gal. 5. v. 3. multa Deo promissimus in baptismo, in quo nos ad universam Christi legem obstrinximus; hunc censum igitur, has promissiones Deo factas servare oportet. Sed quomodo Christianus censum Deo reddere debet? opinor ego, quod censum reddat Christianus Deo, si promissiones Deo factas servet 1. fideliter, 2. & hilariter.*

P A R S I.

*Promissiones Deo factæ sunt servandæ fideliter.*

**S**i miles terreno Regi aut Principi militans tenetur Domino suo præstitum fidelitatis juramentum servare, si locator domus necessitatem contrahit censum dandi annuum Domino domus, si demum vasallus ad fidelitatem directo Domino suo juratam adstringitur, ne felonix crimen incurrat, quid ni miles Christi Domini exercituum juratam in baptismo summo Principi Deo fidem observet? quid ni assumptus ad magnam Ecclesiæ Dei domum teneatur ad censum observantiæ præceptorum? quidni Vasallus homo Domino dominantium Deo teneatur promissam fidelitatem observare fideliter? dicit enim Ecclesiastes c. 5. v. 4. *multo melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Præbuit nobis hac in re eximium fidelitatis exemplum  
Abra-

Abraham fidelium omnium Pater, ac Patriarcha, apparuit ei Deus dicens: *clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis*, Gen. 18. v. 20. ut vindictam clamet, & deleantur peccatores universi: pius Abraham hoc nuntio territus interpellatorem agit, ac paciscitur cum Deo, ut si inventi fuerint in tota Pentapoli quinquaginta, quadraginta, triginta, viginti, ac tandem saltem decem iusti, civitates non destruerentur, cumque Dominus promississet, se non deleturum urbes propter decem justos, Gen. 18. substitit Abraham in sua deprecatione, nec ad minorem numerum precando descendere ausus est; volebat enim vir sanctus potius vehementiam suæ charitatis reprimere, quam a pacti fide recedere; quippe promiserat Abraham, semel duntaxat se adhuc locuturum: *obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel, quid si inventi fuerint ibi decem?* Gen. 18. v. 32. cum ergo Abraham deprecans ad numerum denarium venit, promisit se amplius non locuturum, ut fideliter servaret, quod promiserat. Hunc ergo imitentur Christiani omnes, & sint fideles in verbo supremo Numini dato, recogitent, quid Deo in sacro baptismatis fonte, quid toties in sacramento poenitentiae sancte promiserint, servent ea fideliter, ne aliquando in ultimo Iudicii die accusentur, quod debitum summo Domino censum per observantiam præceptorum non præstiterint. Miramini forte, quod Christus specialiter Petrum, cum dormiret reliquis etiam

etiam dormientibus Discipulis reprehenderit dicens: *sic non potuistis una hora vigilare mecum.* Matth. 26. v. 40. sed reprehendit Petrum tanquam minus fidelem in promissionibus servandis, qui mori promiserat, & una hora non poterat cum Christo vigilare, hæc Petri infidelitas ita displicuit Deo, ut eam sine omni reprehensione non potuerit dissimulare; ipse enim Deus, de quo ait Apostolus 2. Cor. 1. v. 18. *fidelis autem Deus*, servos bonos & fideles habere desiderat, & propterea eis etiam singularia suæ fidelitatis reliquit documenta. Quæretis fortasse, cur Christus tertia die resurgere voluerit, cur non prima die? nonne hoc cessisset ad majorem sui corporis gloriam, quam quod illud inanimatum sine gloria in tumulto usque ad diem tertium relinqueret? sed notate, quid Christus ad vendentes in templo dixerit Joann. 2. v. 19. *solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Dicebat hoc de templo corporis sui; quia ergo Dominus hoc promiserat, elegit potius, ut suum corpus sine gloria in sepulcro remaneret, quam quod prima, vel secunda die resurgendo promissioni suæ aliquantulum adversari videretur, atque ideo tertio die resurrexit, ut verbo suo stare, & relinqueret documentum Christianis, ne in promissis Deo factis fallaces, & infideles inveniantur adinstar Ananiæ, & Saphiræ, qui morte puniti sunt, eo quod promissiones suas integra fide non servarunt, verum quam multi, adinstar Petri, mori pro Christo parati plurima promittunt Deo, sed pauca servant, multipli-



cant promissiones, sed accumulunt infidelitates, nuncupant plura vota, quæ tamen vel petunt relaxari, vel eadem omnino non servant, hoc non est esse fidelem Dei promissorem, aut bonum Dei servum, hoc non est dare censum Deo.

## P A R S II.


*Et hilariter.*

**I**nsuper hilariter promissiones Deo factæ, sunt servandæ; dicit enim Apostolus: *hilarrem datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9. v. 7. hanc spiritus hilaritatem idem S. Paulus requirit Rom. 12. v. 8. *qui miseretur in hilaritate;* hilariter quippe Deo munera cordis nostri danda sunt, ut ea benigno respiciat oculo, sicut *respexit ad Abel, & ad munera ejus.* Gen. 4. v. 4. non dignabatur Deus acceptare oblata Caini munera, quia in eo non inveniebat hilarem donorum datorem. Addiscamus ergo hilaritatem animi a magno Patriarcha Abraham, qui læta mentis promptitudine elargiebatur id, quod possidebat in terris charissimum, scilicet unigenitum filium suum Isaac, quem Domino Deo tanquam victimam gratissimam promiserat mactandam, surrexit Abraham de nocte, abiit ad locum, quem præceperat ei Deus, holocaustum completurus hilariter: *de nocte consurgens stravit asinum suum ducens secum duos juvenes, & Isaac filium suum.* Gen. 22. v. 3. & cum gaudio hoc sacrificium hilariter obtulisset, nisi Deus per manum Angeli

geli occisionem filii impediisset. Nec minorem animi hilaritatem & gaudium spiritus prodebant Pastores simplices, dum Pastori bono in Bethlehem recens nato sua munera offerrebant: currebant illi, ad vocem Angeli natiuitatem Christi annuntiantis, ad præsepe Domini Dei sui, & promptissima voluntate dabant, quidquid habebant, nato mundi Salvatore. Haud absimilem hilaritatem conspici licet in tribus Magis, qui cum summo animi iubilo longissimum iter instituebant: *videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valde.* Matth. 2. v. 10. non eos graves itineris molestiæ, non pericula, non aliæ difficultates poterant retardare, sed properabant, quantum poterant, ut quam citissime hilari mente offerrent nato Regi sua munera, aurum, thus, & myrrham, maximum inde concipientes gaudium, quod possint creatori, & omnium bonorum largitori sua obsequia, ac dona offerre, „ illud enim, ait S. Bernardus in quodam serm. est verum, ac summum gaudium, „ quod non de creatura, sed de creatore concipitur, quod cum acceperis, nemo tollet „ a te, cui aliunde comparata omnis iucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, „ omne dulce amarum est, omne decorum „ scœdum est, omne postremo, quod delectare potest, molestum est. „ Nunc vero, o Christiane considera, quo animo censum Deo præstes, offers quidem orationis munera, sed non ut Abel cum mentis hilaritate, sed potius munera tua similia sunt muneribus Cain, oras

sine spiritu, & sine interno gaudio, das quidem censum jejunii præcepti, sed cum quantâ tristitia, quod corpus debeas macerare, non adimplet Christi præceptum dicentis: *cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Matth. 6. v. 16. immolas Deo alia pietatis, & charitatis opera, sed cum quanto tepore, & ideo etiam tua munera cum gaudio non suscipiet Deus.

Dicamus ergo cum Davide Ps. 115. v. 18. *vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus.* Demus Deo per observantiam præceptorum censum bonorum operum, reddamus Deo, quæ Dei sunt, reddamus fideliter, reddamus hilariter, & reddet nobis pariter suo tempore coronam justitiæ justus Judex. Amen.



### QUÆSTIO SACRA III.

*Qua ratione homo dicatur imago Dei?*

#### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Homo dicitur imago Dei, quia una cum tribus potentiis immortalis illius anima est  
1. opus Dei mirabile, 2. ac præ ceteris creaturis nobile.



T H E M A.

*Cujus est imago hæc?* Matth. 22. v. 20.

**S**icuti in hodierno Evangelio Christus ex Pharisæis de numismate census, quod ei obtulerant, sciscitabatur: *cujus est imago hæc?* ita & ego de excellentiori longe imagine, anima scilicet hominis, quærere possum, *cujus est imago hæc?* respondebant equidem Pharisei, hanc imaginem esse Cæsaris, ast Christiani omnes potius respondere tenentur, animam hominis non esse imaginem Cæsaris, sed ipsius summi Dei, creatoris omnium, qui dixerat: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, Gen. 1. v. 26. nos omnes Christo simillimi sumus, de quo Apostolus ait: *qui est imago Dei*. 2. Cor. 4. v. 4. si ergo homo imago Dei est, institui quæstio potest, qua ratione homo vocetur imago Dei? respondendum censeo, hominem posse dici imaginem Dei, quia præter tres potentias animam habet immortalem, quæ est 1. opus Dei mirabile, 2. ac præ ceteris creaturis nobile.

P A R S I.

*Anima hominis est opus Dei mirabile.*

**S**i sunt *mirabilia opera altissimi*, Ecclesiastici 11. v. 4. longe mirabilius opus Dei est anima hominis, quæ tam mirabile vas est, ut a nulla creatura, sed a solo creatore impleri queat; anima enim est vas triangulum, quod non

alio, quam trigultro corpore repleri potest. Trigona ternis a facultatibus, sive potentiis anima non potest occupari, & repleri, nisi trino Deo, „ homo, ait S. Augustinus serm. 245. „ de temp. Dei capax est, eo quod ejus imago, quid autem mirabilius, quam Deum capere, quem tamen coeli, & terra capere non poterant? „ Sane, si quis hanc mundi machinam attentius considerat, si solem, & Lunam, magna hæc coeli luminaria, ac eorum cursum intuetur, nonne in summam rapitur admirationem? si præterea profundissimum mare, elementa, ceterasque creaturas perpendit, eccur ea non appellet mirabilia altissimi opera? ita sane, mirabilia sunt Dei opera, sed omnium mirabilium mirabilissimum est anima hominis, ac teste Africano Doctore S. Augustino, maximum omnium prodigiorum, si quidem tota in toto homine, & tota in qualibet corporis parte residet, ut ipsi etiam loquuntur Philosophi, quorum Princeps Aristoteles de anima ita loquitur L. 3. de anima: anima intelligendo sit omnia; anima enim collectas habet perfectiones omnes, quæ dispersæ alias exornant creaturas. Quid mirabilius, quam quod ipse omnipotens rerum omnium conditor ipsam hominis animam pro suo habitaculo eligat? ut mihi testis est omni exceptione major S. Theresia, quæ c. 3. mans. 7. de anima pura dicit: „ templum, sedes, & „ habitaculum Dei est. „ Unde haud mirum, quod S. Catharina Senensis, cum ei semel ex speciali Dei favore, revelata esset animæ pulchri-

chritudo, tanto stupore correpta fuerit, tantamque de ea conceperit æstimationem, ut quoties operarium aliquem transeuntem videret, pedum illius vestigia oscularetur; hinc etiam S. Bernardinus animæ humanæ pulchritudinem agnoscens præ admiratione illius exclamare solebat: si formarentur tot empyrei cœli, quot sunt aquarum guttæ, aut stellæ, omnis nihilominus pulchritudo eorum simul sumpta non posset æquare pulchritudinem vel unius animæ. Imo etiam quam admirabile opus Dei sit anima, sine fidei lumine jam agnovit Addala vir Saracenus, ac barbarus; nam cum quadam vice interrogaretur, quid in hoc mundo esset maxime stupendum? prompte respondit: homo. Et tu o homo Christiane hoc tam admirabile opus excelsi, hanc Dei imaginem audes tot peccatorum fordibus maculare, audes animam tuam hoc altissimi templum profanare, ac id efficere in detestabile diaboli habitaculum, cogita, quantam facias injuriam artifici summo, dum animam foedo peccati mortalis luto deturpas. Opus maculas, quod est ipsius Dei imago, opus manuum suarum.

## P A R S II.

*Ac præ ceteris creaturis nobile.*

**V**erum hominis anima non solum est opus Dei summe admirabile, sed etiam præ ceteris creaturis singulariter nobile, nolite quæso gloriari de vestri generis excellentia.



456 *Dominica XXII. post Pentecosten.*

corporis pulchritudine, aut eximiis ingenii dotibus; sola enim anima cunctas creaturas, atque omnia utut insignia dona vestra excellit; Deus quippe hominem creavit modo longe alio, ac nobiliori, quam vos omnes, dixerat creator omnium in productione aliarum creaturarum: *fiat lux*, Gen. 1. v. 3. *fiat firmamentum*, v. 6. idem quoque de reliquis dixit omnium Plasmator: sed postquam cuncta e suo nihilo eduxisset unico verbo: *fiat*, septima die creavit hominem, non dicens: *fiat homo*, sed *faciamus hominem*, v. 26. quasi tota sanctissima Trinitas tunc deliberasset, & consultassent sacerdotum personarum, quomodo faciendus esset homo, hoc præ ceteris nobile opus dexteræ excelsi, unde etiam postquam supremus opifex dixerat: *faciamus hominem*, mox subiecit: *præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terræ*. v. 26. ut sic toti manifestaretur universo nobilitas hominis, qui factus est ad imperandum; hæc considerans S. David jure merito dicere potuit de speciali hominis prærogativa: *omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Ps. 8. v. 7. & iterum alibi, *quid est homo, quod memor es ejus? minuisi eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum*. v. 5. & 6. perinde ac si dixisset Propheta Regius: homo quoad naturam est quidem inferior Angelis, quantum ad alia vero dona eos quasi superat; nam mundus creatus est propter hominem, non propter Angelum, Filius Dei factus est homo propter hominem,

non

non propter Angelum, Christus homo pro nobis, non pro Angelo passus est, claves Regni coelorum concedidit homini, non Angelo, homines, non item Angelos proprio suo corpore cibant, & sanguine potant. O mira Dei dignatio, mira hominis, ac humanæ animæ dignitas! hinc S. Gregorius homil. 29. in Evang. non abs re scribere potuit, omnes perfectiones omnium creaturarum simul contineri in solo homine: verba alterius S. Gregorii, sunt: „ omnis creaturæ nomine potest „ intelligi homo, qui habet esse cum lapidi- „ bus, sentire cum animalibus, intelligere „ cum Angelis „ quid, quod ipse dæmon, alias omnis veritatis hostis longe acerrimus animæ humanæ nobilitatem agnovit, & testatam fecerit? sane ostenderat olim Christo *omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Matth. 4. v. 9. quo pacto ait Celada, satis declaravit dæmon, quanti æstimet vel unicam animam, ut omnia mundi regna polliceatur, dummodo eam sibi lucrifaciat. Necdum satis: adhuc altius ascendit nobilitas hominis, & appropinquat quodammodo ipsi divinitati, cum ipsius Dei filius nominetur; si enim triplicem cognationem spectemus, homo est filius Dei, est filius Dei cognatione legali per adoptionem gratiæ juxta illud Ephes. 1. v. 5. *prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum,* est filius Dei cognatione spiritali per sacramenti baptismi susceptionem, quo Christus nos regeneravit secundum illud



458 *Dominica XXII. post Pentecosten.*

Joann. I. v. 12. *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Est filius Dei per propagationem, quia Deus naturam humanam assumpsit, sicque nos sumus Fratres Christi, qui dixit ad Magdalenam: *vade ad fratres meos.* Joann. 20. v. 17. quam bene proin scripsit de nobilitate animæ S. Ambrosius de dignit. hom. dicens: „Intellectus hominis denotat Deum Patrem, sicut ab intellectu procedit verbum animæ, sic ab intellectu Patris verbum divinum, memoria filium, sicut hæc est receptaculum omnium rerum, ita verbum omnium creaturarum comprehendit ideas, voluntas Spiritum sanctum, quia sicut a voluntate producitur charitas, ita a voluntate Patris, & Filii Spiritus sanctus, „ item L. de dignit. condit. hom. ait: „sicut ex Patre generatur filius, & ex Patre, filioque procedit Spiritus sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his duobus memoria. „ En! pulcherrimam sanctissimæ trinitatis imaginem in anima hominis expressam: en! nobile præ ceteris creaturis opus! & tu, o homo, nobilem tuam animam adeo ignobiliter habes, dum hanc creaturarum omnium Dominam subjicis corpori, & corporeis cogis. inservire concupiscentiis, luxuriis, ac immunditiis, quibus tamen hæc dominari nata est. Cur ergo sordibus immergeris, & animam tuam coram Deo vilem, & abjectam per peccatum reddis? audi S. Chrysologum his verbis te increpantem: quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo?

Cum



Cum igitur anima hominis sit opus Dei mirabile, ac simul præ omnibus ceteris creaturis nobile, quis eam non maximi æstimet, pro qua ipse Deus homo proprium dedit sanguinem, ut eam redimeret? O homo, non audeas hanc nobilem creaturam sordido peccati luto commaculare, sed cogita, animam tuam esse imaginem Dei, procul & de ultimis finibus pretium ejus, multum eam æstima, ut eam custodias in vitam æternam. Amen.



DOM. XXIII. POST PENTEC.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quare Christus suscitaturus puellam teneat manum ejus, qui solo verbo eam poterat vivificare?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Christus puellæ suscitandæ manum tenens nos docere voluit, non attendendum in solis verbis, sed & manum admovendam esse operi; 1. nam non placent Deo sola verba, 2. sed & requirit opera.

## T H E M A.

*Tenuit manum ejus. Matth. 9. v. 25.*

**V**ocatur hodie ad infirmam, imo jam mortuam puellam cœlestis Medicus Christus, aperit viscera misericordiæ suæ, & vocatus apparet in domo Principis, qui vocavit eum, accedit ad mortuam puellam Christus, qui de se ipso dicit: *ego sum resurrectio, & vita.* Joann. 11. v. 25. & vitam restituit puellæ inquiens: *non est enim mortua puella, sed dormit.* Matth. 9. v. 24. qui verbo resuscitabat Lazarum, jam tactu suscitavit puellam: *tenuit manum ejus*; cum ergo omnis Christi actio sit nostra morum institutio, haud incongrue quæri potest, quare Christus suscitaturus puellam teneat manum ejus, qui solo verbo eam potuisset ad vitam revocare? huic quæstioni hæc potest reddi responsio: Christus puellæ suscitandæ manum tenens nos docere voluit, non sistendum esse in solis verbis, sed & manum admovendam operi; 1. nam Deo non placent sola verba, 2. sed etiam requirit opera.

## P A R S I.

*Non placent Deo sola verba.*

**N**on solum motum linguæ, sed & motum manus requirit Deus, cui non placent sola verba; eapropter jam dudum de hypocritis querebatur, dicens: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Matth.

Matth. 15. v. 8. hinc etiam Christus Matth. 7. v. 21. palam edixit: *non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Clamabant quidem Virgines fatuæ ad Dominum Matth. 25. v. 11. *Domine, Domine aperi nobis,* ast non placebant sponso cœlesti sola hæc verba, nec admisit Virgines ad nuptias cœlestes, sed repulit illas tremendis hisce verbis: *nescio vos.* v. 12. vae illis, qui proposita optima verbis duntaxat emittunt, quæ tamen opere non complent, audiant, quid de illis dicat Christus: *væ autem prægnantibus.* Matth. 24. v. 19. tales prægnantes optimo jure appellavero illos. omnes, qui bonis amplis gravidi, sed ad partum bonorum operum non perveniunt. Ita prægnans erat Petrus, habuit optima verba in ore, quando Christus suum ex hoc mundo discessum discipulis obscure significabat; sciscitabatur enim ab eo Petrus: *Domine, quo vadis?* Joann. 13. v. 36. cui Christus: *quo ego vado, non potes me modo sequi.* v. 36. jam audite Petri verba generosis desideriis gravida, ait: *quare non possum te sequi modo, animam meam pro te ponam,* v. 37. imo inquebat Petrus: *Domine tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire.* Luc. 22. v. 33. vidistis Petrum verbis prægnantem, videte jam eundem parturientem: capitur Jesus, ligatur, vinculis stringitur, trahitur ad Principes sacerdotum, ubi Petrus? sequitur quidem, uti promiserat, *sed a longe* Marc. 14. v. 53. operis partus non sequitur, sola erant verba pietate prægnantia, & utinam non transissent



462 *Dominica XXIII. post Pentecosten.*

fissent in verba impia, in verba negationis: *ille negavit eum.* Luc. 22. v. 57. advertite pariter, quam prægnans bonis verbis fuerit quidam juvenis in Evangelio, accedit Christum, & hæc sancta eructat verba: *Magister sequar te, quocunque jeres.* Matth. 8. v. 17. sed bone juvenis, quid audio de te? Christus ita ad te loquitur: *vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* v. 20. ecce! qui scrutatur corda, & renes Deus, non solum audit tua bona verba, sed & cor tuum intuetur, in quo legit verbis tuis non constare operis constantiam, ea esse fallacia, & non pervenire ad partum sanctæ operationis. Dantur & hodie Christiani huic juveni plane simillini, plurima accumulunt proposita in confessione sacramentali, ore promittunt, quod Christum sequi, & proximam peccandi occasionem relinquere velint, sed cum juvene evangelico ad partum boni operis non pertingunt, dantur adhuc hodie, qui cum Petro, nescio, quos heroicis virtutum actus spondent, sed adventante tentationum tempore a Christo recedunt, ac proni in vitia ruunt, vocant se quidem servos Dei, sed in opere serviunt diabolo, & impuris concupiscentiis suis, *vox quidem, vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau.* Gen. 27. v. 22. voce Christum confitentur, factis autem negant.

P A R S II.

*Sed & requirit opera.*

Verba nuda non placent Deo, qui requirit  
 & bona opera; hanc Dei voluntatem ma-  
 nifestaverat aliquando Raphael Tobiaë Seniori,  
 cum diceret: *bona est oratio cum jejuniis.* Tob. 12.  
 v. 8. & quando orabas cum lacrimis, & sepelie-  
 bas mortuos, & derelinquebas prandium tuum,  
 & mortuos abscondebas per diem in domo tua,  
 & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam  
 Domino. v. 12. quia Tobiaë precantis verba  
 conjuncta erant cum operibus bonis, Ange-  
 lus ea obtulit Deo Angelorum Domino. Di-  
 cetis forte, Davidem rapido gressu ad magnam  
 sanctitatem pervenisse, quia die, ac nocte  
 multiplicabat verba orando ad Dominum, *vo-  
 ce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Domi-  
 num deprecatus sum.* Ps. 141. v. 2. sed scitote,  
 preces Davidis multis bonis operibus fuisse  
 associatas; ipsemet enim Rex sanctus fatetur  
 Ps. 118. v. 48. *levavi manus meas ad mandata  
 tua,* En! quomodo David etiam manum ad-  
 moverit operi, ut gratias a Deo obtineret.  
 Quam ob rem hortatur Jeremias Propheta,  
 ut simul cum mente manus nostras ad cælum  
 elevemus, sicque cum verbis, & piis deside-  
 riis opera bona jungamus. *Levemus corda no-  
 stracum manibus ad Dominum in cælos.* Thren. 3.  
 v. 41. quare tam eximiis laudum encomiis  
 celebratur fortissima mulier Judith per os Oziaë?  
*benedicta es tu filia a Domino Deo excelso præ  
 omni-*


464 *Dominica XXIII. post Pentecosten.*

*omnibus mulieribus super terram.* Judith. 13. v. 23. forte, quia Holofernem Belliducem debellando universum populum ab imminente periculo liberavit? fateor, eam ideo laude esse dignissimam, sed qua via hunc finem heroica foemina affecuta est? extendit manus quoque ad fortia, & magnifica operabatur opera percutiens, & supremi Ducis caput abscindens; credite proin, quod nil juvent verba, si non accedant opera; quocirca publicanus non solum dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18. v. 13. sed & manum admovebat pectori, *percutiebat pectus suum;* & opus bonum operatus est: Magdalena non verbis duntaxat rogabat veniam a mundi Redemptore, sed simul manus admovit ad misericordiae opera, quae in Magdalena ita commendaverat Dominus, ut diceret: *opus bonum operata est in me.* Matth. 25. v. 10. ad hoc nostrum propositum, & argumentum etiam deservit mirabilis illa Joannis visio, viderat ille aliquando, & audiverat Victores, qui debellabant bestiam, gloriose suam victoriam Deo canentes, *vidi,* ait Joannes Apoc. 15. v. 2. *eos, qui vicerunt bestiam, stantes super mare vitreum habentes cytharas Dei, & cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum agni.* Ad quid cytharæ? cur has in manibus tenent? ecce! non tantum sonum vocis, sed etiam boni operis tactum requiri significant: ut dæmon vincatur, & salus obtineatur, non sufficit verbis laudare Deum, sed & manus adhibendæ sunt ad pulsandas cytharas bonorum operum, quæ simul requi-



requirit Deus. Optime igitur sibi consulunt illi, qui bona verba simul cum operibus bonis Deo offerunt, qui non solum bene loquuntur, sed & bene faciunt, qui non modo proponunt bene agere, sed simul etiam bene agunt, qui veri sunt Christiani, cogitatione, verbo & opere.

Cum ergo Deo non placeant nuda verba, sed & requirat opera, verbo, & opere simul laudemus Dominum, quem laudant Angeli, operemur bonum, dum tempus habemus, jungamus ori manum, loquamur bene, sed & faciamus bene, & quidem adimpleamus per custodiam mandatorum Dei voluntatem Patris, qui est in cœlis. Amen.



QUÆSTIO SACRA II.

*Quisnam spiritualiter cum filia Jairi defunctus dici possit.*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Spiritualiter defunctus dici potest, qui est in peccato mortali, i. nam peccatum mortale est pessima hominis fors, 2. & infau-  
sta animæ mors.

THE-

## T H E M A.

*Filia mea modo defuncta est.* Matth. 9. v. 18.

**I**pse ethnicus Philosophorum Princeps Aristoteles fatetur, omnium terribilium terribilissimum esse mortem, quæ animam a corpore separat: *o mors*, exclamat Ecclesiasticus c. 41. v. 1. *quam amara est memoria tua!* quapropter acerbis lacrimis deplorabat hic Princeps in Evangelio mortem filiæ suæ, adorabat Christum, dicens: *Domine filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum super eam, & vivet.* Matth. 9. v. 18. verum terribilior est mors spiritualis, mors animæ, *mors peccatorum pessima*, ait Psalmista Ps. 33. v. 22. ex quo jam colligo responsionem ad hanc quæstionem: quisnam spiritualiter cum filia Jairi defunctus dici possit? respondeo enim: spiritualiter defunctum dici posse, qui est in peccato mortali, 1. nam peccatum mortale est pessima hominis fors, 2. & infausta animæ mors.

## P A R S I.

*Peccatum mortale est pessima hominis fors.*

**H**æc potissimum peccati mortalis conditio est, tam iniqua, & acerba, ut pessima hominis fors sit, & nominetur; est enim illud velut tenebricosa nox, in qua nemo poterit operari opera meritoria, & ad salutem æternam conducentia. Sane pessimam hanc gravis

vis culpæ sortem Joannes vidit adumbratam per poculum illud aureum, quod Babylonica mulier omni abominatione dignissima ferebat in manu: *habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia.* Apoc. 17. v. 4. peccatum quippe mortale poculum hoc aureum est, quod vani duntaxat filii-hominum pro auro habent, sed merum lutum est, plenum abominatione, & miseria. Infaustam hanc sortem experiebatur homo ille, qui ad piscinam probaticam jacebat, *ibique erat triginta, & octo annos habens in infirmitate sua.* Joann. 5. v. 5. nonne hæc ipsa, eaque infelix fors mortaliter peccantem expectat, qui teste S. Ruperto, mystice intelligendus venit per hunc hominem? peccator utique plures dies, ausim dicere, non raro ultra triginta annos habet in infirmitate sua, destitutus gratiæ sanctificantis sanitate, hic quamdiu est in peccato mortali, nullum supernaturalis meriti motum habet: nec minus mala erat fors hominis descendentis a Jerusalem in Jericho, *hic incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt semivivo relicto.* Luc. 10. v. 30. ast nec melior, sed longe peior est fors hominis in peccato mortali constituti, qui a Jerusalem status gratiæ descendit in Jericho omnium miseriarum; peccata quippe gravia latrones sunt, qui omnibus meritis eum exspoliant, vulnera animæ inferunt, & semivivum relinquunt certe æternaliter moriturum, nisi eum sanet verus Samaritanus Christus, in ejus vulnera infundens oleum pœnitentiæ.



tentiæ. Quapropter hanc pessimam peccati  
 fortem recogitans S. Anselmus audebat dicere:  
 si hinc cernerem peccati pudorem, & illinc  
 inferni horrorem, & uni illorum deberem im-  
 mergi, prius me in infernum præcipitarem,  
 quam peccatum in me admitterem; mallet  
 enim purus a peccato gehennam intrare, quam  
 peccato pollutus cœlorum regna tenere: nec  
 aliter sentiebat de peccati gravis turpitudine  
 S. Catharina Senensis, quæ fatebatur, quod  
 Senis existens ex ipsa urbe Romana peccan-  
 tium quorundam foetorem sibi afflatum per-  
 ceperit, qui ei videbatur haud tolerandus;  
 quare & S. Bernardus dicebat: tolerabilius  
 canis putridus foetet hominibus, quam pec-  
 catores Deo, & Angelis. Imo dicere solebat  
 B. Catharina Genuensis, si possibile foret,  
 hominem gratia orbatum, ac peccatis onera-  
 tum oculis cernere, solus talis aspectus con-  
 tinuo emori cogeret spectantem, ecce! quam  
 vere noxa mortalis sit pessima hominis fors.  
 Et eheu! quam cito peccatum committitur,  
 o quanta hæc est miseria, perdere omnia su-  
 pernaturalia merita, & ipsum jus ad Dei glo-  
 riam! quis ergo credat, quod nonnulli per plu-  
 res annos remanere delectent in peccatorum  
 coeno sepulti cum manifesto æternæ damna-  
 tionis periculo? ah quantum deploras, si in  
 rebus his terrenis sinistra fors te duris premat  
 casibus, & neutiquam te tangit, vel angit  
 pessima fors peccati, quæ super te cecidit?

## P A R S II.

*Et infausta animæ mors.*

Cognosce, o peccator, quam mala sit fors tua, peccatum grave, quo te inquinasti, est insuper mors animæ tuæ longe infaustissima, siquidem teste Ezechiele *anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Ezech. 18. v. 4. hanc animæ mortem jam tuo Protoparenti Adamo, si forte peccaret, intentabat Deus: *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 2. v. 17. audi desuper mentem Origenis ita loquentis: „ statim, ut prævaricatus est mandatum, mor- „ tua est anima, quæ peccavit, morte spiri- „ tuali complete, & morte corporali initiative, „ scilicet subjacendo corporalibus miseriis suc- „ cessive mortem corporis inferentibus. „ Hæc mors spiritualis est immanis latro, nostras animarum domos ingrediens: *ascendit, verba sunt Jeremiæ Prophetæ c. 9. v. 21. mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* Ingressitur infausta hæc mors per fenestras sensuum nostrorum in domum animæ, quam miserum in modum occidit. Hanc crudelissimam mortem, ne ascenderet per sensuum fenestras in domum cordis sui, pertimescebat castissima matrona Susanna, ideo a Senibus ad peccatum turpe sollicitata dicebat: *angustiæ sunt mihi undique; si enim hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras.* Dan. 13. v. 22. at quid ais, o mulier? ecce! si peccaveris, vita frueris, si vero peccare


detrectas, morieris; ajebat tamen prudentissima matrona: *mors mihi est*, scilicet mors peccati, bene gnara, peccatum per antonomasiam, idem esse, ac mortem; vere enim mortuus est, qui graviter delinquit, ita ipse Deus omnis vitæ auctor peccatorem gravi noxa infectum pro mortuo habet; eapropter dicebat ad Episcopum Sardicensem; *nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* Apoc. 3. v. 1. vivebat hic Episcopus mundo, ejusque concupiscentiis, sed mortuus erat Deo, habens quidem vitam naturæ, carens tamen vita gratiæ. Ob hanc etiam rationem potuit Apostolus dicere ad suum Timotheum, *vidua, quæ indelictis est, vivens mortua est.* 1. Tim. 5. v. 6. nempe mortua est quoad animam; dicit enim S. Augustinus de peccatoribus: „mortui ambulat, & viventes portant funera sua, vi-  
 „ vere quidem videntur in corpore, sed mor-  
 „ tui probantur in corde.„ Quemadmodum enim mortuus omni sensu caret, sic etiam peccator, qui ad omnes reprehensiones insensatus est, ut fuerunt Galatæ, de quibus S. Paulus: *o insensati Galatæ,* Gal. 3. v. 1. sicut mortuus homo nullas exercet operationes vitales, non videt, non loquitur, non audit, non ambulat, ita peccator non habet vitales meritoriae actionis motus, cæcus est, prout de se in peccatis adhuc constituto loquitur David: *comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem.* Ps. 39. v. 13. non videt imminentem justitiæ divinæ gladium, non loquitur verba salutis, non audit pias Dei inspira-



spirationes, non ambulat viam mandatorum Dei, quæ ducit ad vitam æternam, sicut a mortuo recedit omnis decor, ita a peccatore abit decor gratiæ habitualis, pax conscientiæ, & pulchritudo virtutum, & quemadmodum mortuus foetet dicente Martha de suo fratre Lazaro, *qui mortuus fuerat Domine, jam foetet, quatríduanus est enim.* Joann. II. v. 39. pari modo peccator coram Deo intolerabilem exhalat foetorem, cum tamen de justis dicatur. 2. Cor. 2. v. 15. *Christi bonus odor sumus Deo,* sicut denique mortuus obrigescit, & putrescit, ac datur verinibus, similem in modum peccator frigidus est ob defectum charitatis, jacet in luto peccatorum, habetque vermem conscientiæ, qui eum continuo rodit. Profecto infauſta mors animæ peccatum mortale! placet proin vox illa timorum: libentius vellem mori, quam foedari, vellem mille mortes oppetere, quam vel unicum peccatum mortale committere. verum conservate jugiter hoc propositum vestrum, ac in periculis, in occasionibus, in tentationibus, in tribulationibus, in angustiis positi ne vacilletis, & felices eritis, nec vos mors infauſta peccati occupabit.

Quis igitur non caveat, ne pessima hæc fors, peccatum mortale cadat super animam suam? quis hanc spiritualem, eamque infauſtam animæ mortem non horreat, ne ab ea præoccupetur. O Peccatores, si filia vestra, si anima vestra defuncta est morte peccati, ac-

cedite ad Christum cum Principe evangelico, cujus filia defuncta erat, rogate, ut auxiliatricem suam manum vobis imponat, & faciat animam vestram surgere a morte peccati ad vitam gratiæ. Amen.



### QUÆSTIO SACRA III.

*Quenam virtus sit nobis specialiter imitanda in muliere retro accedente ad Jesum, & tangente fimbriam vestimenti ejus?*

#### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Imitanda est in hac muliere virtus humilitatis, quæ nos subjicit 1. Superioribus, 2. paribus, 3. & inferioribus.

#### T H E M A.

*Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.*  
Matth. 9. v. 21.

**E**xperta est in hodierno Evangelio mulier quædam duodecim annis fluxum sanguinis patiens, quam bonus, quam misericors sit Christus Dominus, de quo dicitur: *virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Luc. 6. v. 13. accessit hæc mulier fiducia, ac spe plena ad Christum tanquam ægrota ad Medicum, ut & illa sanitatem consequeretur, accessit, non tamen more aliorum hominum, sed retror-

trorsum, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. Verumtamen quid hoc innuat? quid laudabile adeo in hac eluceat foemina, ut multis laudum encomiis deprædicetur a SS. Patribus, quænam virtus nobis specialiter imitanda est in muliere retro accedente ad Jesum? sane in ea, ac ejus pietatis exercitio adverto emicare virtutem humilitatis, de qua ait S. Bonaventura 1. Centiloquii sent. 18. Tom. 1. „actus humilitatis sunt, velle subesse „ omnibus, scilicet Superioribus, paribus, & „ inferioribus, „ humiliabat se hæc mulier, indignam se reputans, ut Christi conspectum subiret, aut eum modo aliis consueto accederet, dico ergo ad propositam quæstionem, imitandam esse in hac muliere virtutem humilitatis, quæ nos subjicit 1. Superioribus, 2. paribus, 3. & inferioribus.

P A R S I.

*Humilitas nos subjicit Superioribus.*

**P**rimus humilitatis actus teste Seraphico Doctore non est alius, nisi subesse Superioribus: hanc humilis subjectionis legem nobis insinuat S. David, cum ait: *nonne subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.* Ps. 61. v. 2. & ideo hortatur omnes D. Augustinus serm. 10. de verbis Apostoli: „subde te Deo, „ o anima mea, prosterne te. „ Hoc humilitatis exercitium, ut perfecte addiscamus, illud fortiter commendemus memoriæ, quod in Apoc. c. 4. de viginti quatuor Senioribus



narratur, hi utut antecelissent dignitate, ac eorum capita coronis regis essent insignia, cum omni tamen humilitate se subjecerunt Superiori: *procidebant*, ait sacer textus v. 10. *viginti quatuor Seniores, ante sedentem in Throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante Thronum.* Hoc ergo istorum Seniorum sacratissimum exemplum imitemur, ac lubenter capita nostra submittamus Superioribus. Porro ad idem, quod tractamus, argumentum magis roborandum iuvat adducere, quod Propheta evangelicus Isaias narrat c. 6. v. 2. ascendamus cum ipso ad ipsammet altissimi regiam, ibi videbimus, quomodo nobilissimi cœlorum Principes coram suo Superiore summo Deo se demittant. Videbat Propheta sanctus duos Seraphinos Angelos: *sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Isa. 6. v. 2. provocabant se invicem ad laudes supremo Domino dicendas: *clamabant alter ad alterum, & dicebant, sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.* v. 3. ecce! se humillime subdebant Superiori, scilicet Domino Deo. Si vero hæc vobis nondum sufficiant, moveat saltem ad humilitatem, qua Superioribus subjiciamini, exemplum ipsius Christi Domini omnium Superiorum Superioris, intueamur illum in cruce, quanta cum humilitate sese cœlesti suo Patri subjecerit: *inclinabat caput, & in manus ejus emisit spiritum suum: Christus humiliavit se, factus obe-*

*obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*  
 Philipp. 2. v. 8. & audiamus verba Venerabilis Bedæ in Joann. *attenta aure dignissima:*  
 „ *puderet te fortasse imitari humilem homi-*  
 „ *nem, saltem imitare humilem Deum.* „ Cur  
 ergo, o Christiane, contra summum Deum  
 superbiendo, & peccando insurgis, cum ta-  
 men hic tuus Dominus, Creator, & Redem-  
 ptor sit, cui caput tuum subjicere oporteret,  
 ne te mittat in gehennam ignis? cur renuis  
 te humiliter subjicere tuis Superioribus vicem  
 Dei gerentibus, quos ipse supremus Dominus  
 posuit super capita hominum, recogita, quan-  
 tam Deo facias injuriam, si per humilitatem  
 te non subjicias Superioribus, dixerat enim  
 ipse Christus in Evangelio Luc. 10. v. 16. *qui*  
*vos (Superiores) spernit, me spernit,*

P A R S II.

*Paribus.*

**A**st insuper æqualibus ancillari desiderat ve-  
 ra humilitas, hunc itaque demissionis gra-  
 dum exigebat a suis Philippensibus S. Paulus  
 Apostolus: *in humilitate Superiores sibi invicem*  
*arbitrantes.* Philipp. 2. v. 3. quem S. scriptu-  
 ræ textum ex glossa ita explanat Doctor An-  
 gelicus S. Thomas 2. 2. q. 161, ar. 3, ad 2.  
*non hoc ita debemus æstimare, ut nos æstimare*  
*fingamus, sed vere æstimemus posse esse aliquid*  
*occultum in alio, quo nobis superior sit, etiamsi*  
*bonum nostrum, quo illi videmur superiores esse;*  
*non sit occultum.* Eapropter Divus quoque  
 Apo-



476 *Dominica XXIII. post Pentecosten.*

Apostolus Paulus suos Romanos, ut sese æqualibus subjiciant, his verbis hortabatur: *honore invicem prævenientes.* Rom. 12. v. 10. Nec immerito, quippe jam dudum etiam honore præveniebat Jacob Fratrem suum, humilitatemque erga parem, frater erga fratrem ostendit Gen. 33. v. 3. *ipse (Jacob) progrediens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus.* Intueamur quoque omnis sanctitatis exemplum S. Joannem Baptistam, ut ab eo discamus nos paribus subjicere: subjiciebat se humillimus Joannes non solum Superiori, scilicet Christo, sed etiam pari: minus se aestimabat, quam Eliam, licet Christus eum Eliæ similem dixerit: *ipse est Elias.* Matth. 11. v. 14. item, *ipse præcedet in spiritu, & virtute Eliæ.* Luc. 1. v. 17. & tamen loquitur humiliter de se Joannes, quod non sit Elias: *non sum.* Joann. 1. v. 21. sed *ego vox clamantis in deserto.* Joann. 1. v. 23. ad hunc humilitatis gradum etiam ascendit S. Petrus, qui a Christo post gloriosam resurrectionem interrogatus, an plus, quam reliqui Apostoli eum amaret: *Simon Joannis diligis me plus his?* Joann. 21. v. 15. humile responsum dedit: nulli se volens in amore præferre, dicebat tantum: *Domine, tu scis, quia amo te.* v. 15. non audebat profiteri: quia amo te plus his, sed absolute in omni humilitate, se nulli anteponebat dicebat: *amo te.* Ita nos oportet esse humiles erga pares. Laudemus proin illos, qui sincero corde, & ore dicunt in alio longe sensu, quam Pharisæus: non sum



sum sicut ceteri hominum, pii, justi, sancti, casti, peccator ego sum, & minime ex omnibus, hæc vox placet Deo, cui humilitas semper placet.

P A R S III.

*Et inferioribus.*

Demum etiam inferioribus subjici desiderat humilitas; hæc enim ejus natura est, subdere se inferioribus: *humilitas*, ait S. Thomas 2. 2. q. 161. ar. 1. ad 2. *secundum quod est virtus in sui ratione importat quamdam laudabilem dejectionem in ima.* Notate sancti Doctoris verba, *in ima*, se scilicet inferioribus subjiciendo. Iterum ait Angelicus hic Magister 2. 2. q. 161. ar. 3. ad 1. *per humilitatem debemus nos subjicere omnibus proximis propter Deum secundum illud 1. Pet. 2. v. 13. subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* In eandem sententiam loquitur S. Laurentius Justinianus de ligno vitæ. c. 6. „inferiori se subdere, plena, perfectaque humilitas est.„ Considerate Christum caput omnium hominum, quomodo se subjecerit omnibus hominibus, utique etiam inferioribus, ipsemet de se inquit per os Psalmistæ: *ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Pf. 21. v. 7. apud Isaiam c. 53. v. 3. vocat se *novissimum virorum.* Eandem humilitatem a Christo Angelorum Rege didicerant Angeli, qui licet essent creaturæ nobilissimæ Throni, virtutes, Principatus, Potestates, Sera-

Seraphini, ac Cherubini, summa tamen cum humilitate se inferioribus subjiciunt, nempe hominibus, quorum desiderant esse servi: *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Heb. 1. v. 14. profitentur se nostros conser- vos, sicut talem se nominabat Angelus ille, ante cujus pedes provolvebatur S. Joannes, ut adoraret eum, dicebat enim humilis An- gelus ad eum: *vidè ne feceris, conseruus tuus sum.* Apoc. 19. v. 10. & hæc Angeli humili- tas magis, magisque stimulabat humilitatem Joannis, ut etiam ipse inferioribus se subjiciens diceret: *ego Joannes frater vester.* Apoc. 1. v. 9. super quod ait Richardus a S. Victore: „ cum „ posset dicere: Magister propter prælationem, „ dixit: frater propter humilitatem. „ Quid memorem de humilitate ancillæ Domini Ma- riæ, quæ se omnibus etiam inferioribus subji- ciebat, ut de ea diceret S. Bernardus serm. 3. de assumpt. „ merito super Angelos exaltata „ est, quæ & infra viduas, & poenitentes, „ infra illam etiam, de qua septem dæmonia „ ejecta fuerant, ineffabili sese mansuetudine „ inclinabat. „ Merito proin hortatur omnes Cæsarius homil. 28. „ iterum, atque iterum „ rogo, & admoneo vos fratres, ut obedi- „ tiam, & humilitatem non solum Senioribus, „ & coæqualibus, sed etiam junioribus exhi- „ bere jugiter studeatis. „ Si ergo Christus se humiliavit, & subjecit inferioribus, cur tu o Christiane, te quandoque coram proximo tuo, quem tamen prius offendisti, subjicere renu-

renuas? si Angelus tuus custos vult esse servus tuus, cur tu proximo tuo non inservias, teque ad ejus obsequia prompto animo humiliter? si illa, quæ est benedicta in mulieribus, & Regina sanctorum, se ita coram omnibus humiliavit, cur tu te etiam coram inferioribus demittere recuses?

O vos omnes, *subjecti igitur estote omni humane creature propter Deum, quia sic est voluntas Dei*, 1. Pet. 2. v. 13. &c. audite monitum S. Pauli Apostoli: *obsecro, ut digne ambuletis vocatione vestra, qua vocati estis, cum omni humilitate*. Ephes. 4. v. 1. & 2. *subjiciamini Superioribus, paribus, & inferioribus, sic exaltabimini in cœlesti curia*. Amen.



DOM. XXIV. POST PENTEC.

QUÆSTIO SACRA I.

*Quare Christus dixerit in illa novissima abominatione desolationis, & persecutionis fugiendum esse ad montes?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Dixit Christus fugiendum esse ad montes, ut nobis ostenderet, quod ad illum recurrere debeamus, qui in omnibus tribulationibus est 1. noster Auxiliator, 2. & optimus consolator.

THE-



## T H E M A.

*Fugiant ad montes.* Matth. 24. v. 16.

**Q**uid aliud est vita humana, quam vallis lacrimarum, in qua lugemus, & flemus repleti multis miseriis; *multæ enim tribulationes iustorum.* Pf. 7. v. 20. imo prædicit Christus hodie in Evangelio adhuc plures & graviores nobis instare: *erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* Matth. 24. v. 21. erit abominatio desolationis, & persecutionis, sed in omnibus his tribulationibus indigitat nobis Christus locum evadendi, nempe fugere ad montes, *fugiant ad montes*, nobis persuadet. Quæstio ergo emergit, quare Christus dixerit ad montes esse fugiendum, dixerat aliquando David: *levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi, auxilium meum a Domino,* Pf. 120. v. 1. & 2. Christus quoque altissimus mons est: *mons Dei, mons pinguis.* Pf. 67. v. 15. his præmissis respondeo, Christum dixisse, fugiendum esse ad montes, ut nobis ostenderet, quod ad eum in omnibus tribulationibus confugiendum sit, quia est, 1. noster auxiliator, 2. & optimus consolator.

## P A R S I.

*Christus in tribulationibus est noster auxiliator.*

**D**eus ter optimus maximus præceperat aliquando Moisi, ut serpentem æneum erigeret, quatenus, quisquis a nocivis ignitorum

rum serpentum morfibus sauciatus fuisset, serpentem hunc aspiciens sanaretur: serpens hic figura est Christi crucifixi, quid vero aliud sunt tribulationes, nisi serpentes igniti, qui hominem mordent? quisquis igitur in his certum desiderat habere auxilium, in Christum auxiliatorem piis precibus, ac plena fiducia respiciat, & certa salus redibit. Inquiramus ulterius in hanc veritatem ex ipsis figuris: pascebat Moises gregem, videt rubum ardere, & non consummi, cumque spectaculi novitate motus montem conscendere vellet, audit vocem: *Moises, Moises.* Exod. 3. v. 4. qui respondit: *adsum.* Tunc Deus: *ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis.* v. 5. sed cur Moises accedat discalceatus? ignis in rubo præfigurabat Deum in carne, ut vult S. Gregorius magnus, rubus enim spinosus significat Christum multis ærumnis subjectum; mandat itaque Deus, ut Moises ascendens in montem ad videndum rubum, solvat calceamentum, quia ipse rubus figura Christi illum custodiet illæsum, ne offendat ad lapidem pedem suum, ex quo edocemur, ut in omni tribulatione fugiamus ad montem, ad auxiliatorem, qui Christus est. Nondum discedamus a figuris, ut faciliori negotio in notitiam figurati perveniamus: Jacob jubente Deo peregrinabatur per Mesopotamiam, cumque nocte ingruente dormire vellet, *tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo dormivit in eodem loco.* Gen. 28. v. 11. bone Jacob! quomodo in deserto solus, & unicus ita secure dormis? ergo

*P. Friderici a Jesu P. Dom. Tom. II. H h non*

482 *Dominica XXIV. post Pentecosten.*

non times bestiarum ferociam, insidias fratris tui Esau? Jacob impavidus nihil timet, quis omnem expulit metum? jam a figura ad figuratum, lapis, super quem jacet, eum securum reddit, quia lapis, quem capiti supposuit, symbolum Christi est; eapropter eum a cunctis malis servabat; qui enim ad hunc lapidem angularem confugit, eripietur ab omnibus adversitatibus, & erit Christus in tribulationibus auxiliator, de quo dicebat S. Joannes: *si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* 1. Joann. 2. v. 2. optime proin ad hunc divinum Advocatum, & auxiliatorem clamabant Discipuli in tribulationibus positi, cum eorum navicula excitato magno maris motu operiretur fluctibus: *Domine, salva nos perimus.* Matth. 8. v. 25. adfuit etiam eis Christus, per quem salvati, & liberati sunt, misericors auxiliator. Sit igitur, o Christiane, adjutorium tuum in nomine Domini nostri Jesu Christi, maledictus, qui confidit in solo homine, vel in propriis viribus suis, benedictus autem, qui confidit in Christo, Christus mons est, in quo securus delitescis, non subsiste in valle folius auxilii humani.

P A R S II.

*Et optimus consolator.*

**C**onfidite miseri, sperate in Domino, in Christo auxiliatore; hic enim pariter optimus vester consolator erit; cur enim non  
totam



totam vestram fiduciam in eo collocetis, qui continuum vobis promittit auxilium? ecce! *ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Matth. 28. v. 20. & Joann. 10. v. 10. *ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Interrogate Apostolos, nonne Christus eos tristitiæ pelago immerfos solabatur? *non turbetur cor vestrum.* Joann. 14. v. 1. Quis optimus fuit consolator Pauli Apostoli, quando erat *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter?* 2. Cor. 11. v. 23. percipite, quid dicat Paulus: *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra,* 2. Cor. 7. v. 4. confugiebat Paulus ad montem, qui Christus est; nam ait: *non judicavi me scire aliquid nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* 1. Cor. 2. v. 2. Quærite ex perdilecta Christi Discipula S. Magdalena, an non totum suum solatium in omnibus suis Tribulationibus ad pedes Christi Jesu inven- rit? o potens Christi solatium! bene proin fecisti, Angelice Thoma, quod interrogatus a Christo, quam tibi velles mercedem reddi pro tuis laboribus, responderis: nullam aliam Domine, nisi te ipsum. Fugiamus itaque ad Christum, qui omnes ad se invitabat, cum diceret aliquando ad S. Brigittam: magis paterer cor meum vulnerari, & dividi, quam te carere & iterum: talis mihi etiamnum est voluntas, qualis fuit pendenti in cruce; idem enim modo sum, qui tunc fui, quando latroni misericordiam petenti peccata omnia dimisi,

& coeli portas aperui. Prosperè etiam hoc solatium, quam suave sit, expertus est comes Elzearius, qui aliquando rogatus, quomodo cum tanto solatio posset tot tribulationes perferre? paucis multa respondit: *cogito de Christo.* Notanda proin sunt verba S. Francisci Salesii, & ad nostrum solatium sæpius recollenda: „ non maneamus in nobis, sed mente, „ intentione, ac fiducia domicilium figamus „ in aperto Christi latere; quippe sine illo nihil possumus. „ Haud diffiteor, o Christiane, quod multas patiaris tribulationes, scio te sæpius desolatum, per omnia tentatum, in spiritu aridum, de salute anxium, propter peccata dubium, ob iudicium futurum merito timidum, persecutionibus etiam vexatum, necnon sexcentis aliis calamitatibus oppressum, sed saluberrimum tibi suggero consilium, confugito ad montem certi auxilii, ad Christum consolatorem optimum, devota mente cogita Jesum crucifixum, & interno animi solatio abundabis.

Cum igitur Christus sit in tribulationibus auxiliator noster, fugiamus ad hunc salutaris subsidii montem, in quo securi esse possumus, dicentes cum Davide: *Deus noster refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus.* Ps. 45. v. 2. cum pariter Christus sit consolator noster optimus, recurramus ad hunc omnis solatii montem, invocantes eum cum Psalmista Ps. 118. v. 76. *fiat misericordia tua, ut consoletur me, hic, & in æternum.* Amen.

QUÆ-



QUÆSTIO SACRA II.

*Quare potissimum sit timendum extremum Dei iudicium?*

RESPONSIO CONCIONATORIA.

Timendum est extremum Dei iudicium, quia in eo Deus erit, 1. strictissimus omnium Iudex, 2. & feverissimus peccatorum vindex.

T H E M A.

*Videbunt filium hominis venientem in nubibus.*  
Matth. 24. v. 30.

**S**i magnum illum extremi iudicii diem pia mente contemplor, non potest non cor meum saluberrimo concuti terrore, ac timore, & profecto, cur fragilis miseræ arundo non contremiscat, cum etiam excelsa sanctitatis Cedrus S. Hieronymus ob eundem tota mente tremat in hæc erumpens verba: super Matth. „ quoties diem illum considero, toto corpore „ contremisco; sive enim comedo, sive bibo, „ sive aliquid aliud facio, semper videtur illa „ tuba terribilis sonare in auribus meis: sur- „ gite mortui, venite ad iudicium? „ quid igitur verba sunt S. Gregorii magni in L. moral. hom. 32. „ faciet virga deserti, ubi con- „ cutitur Cedrus paradisi? quid faciet agnus, „ ubi aries tremir? si iustus vix salvabitur, im-



„ pius ubi apparebit? „ o certe tremenda judicii dies, de qua ita loquitur S. Anselmus de similitudinibus mundi: „ a dextris erunt „ peccata occurrentia, a sinistris infinita dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, „ desuper Judex iratus, foris mundus ardens, „ intus conscientia urens, ibi vix justus salvabitur, heu miser peccator sic deprehensus quo fugies? latere erit impossibile, apparere intolerabile. „ Sed quare potissimum timendum est extremum Dei judicium? evangelium hodiernum dicit: *videbunt filium hominis in nubibus cæli cum virtute multa, & majestate.* Erit proin timendum extremum Dei judicium, quia in eo Deus erit, 1. strictissimus omnium Judex, 2. & severissimus peccatorum vindex.

## P A R S I,

*In extremo judicio Deus erit strictissimus omnium Judex.*

Quam strictus aliquando Judex Deus sit futurus in extremo judicio, ipsemet sat claris manifestavit verbis per suum Prophetam, dum ait: *cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Pf. 74. v. 3. id est, inquit S. Gregorius L. 5. moral. „ ipsa nostra justitia ad examen divinæ „ justitiæ deducta injustitia est, & sordet in „ distriptione Judicis, quod in æstimatione „ fulget operantis. „ Tunc, inquit David, *judicabit orbem terrarum in justitia, & populos in æquitate.* Pf. 97. v. 9. Vere strictum erit judicium illud, in quo *cuncta, quæ sunt, adducet*

ducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit. Ecclesiasticis. 12. v. 14. imo, ut prævisa jacula minus feriant, ipsemet Judex hortatur Matth. 12. v. 36. *dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii*; quapropter exclamat S. Paulus sacro terrore perculsus: *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui autem iudicat me, Dominus est.* 1. Cor. 4. v. 4. Hoc proin strictissimum Dei iudicium vel sola cogitatione conceptum ita perterrefecit Jobum, ut diceret: *quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Job. 14. v. 13. & quia vir sanctus probe noverat, quod Deus justissimus Judex exactissimam quoque exigat rationem villicationis nostræ, de bonis etiam operibus sibi metuens exclamabat: *qui etiamsi habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum Iudicem deprecabor.* Job. 9. v. 15. nam in illo extremo iudicio Christus non erit amplius sponfus, qui olim traxit nos in dilectione, in vinculis charitatis, sed induet personam strictissimi Iudicis, qualem se in parabola de quinque fatuis Virginibus exhibet, qui tunc quoque ad fatuos filios hominum dicet: *nescio vos.* Matth. 25. v. 13. seu, ut in hunc locum loquitur Oliva: „non ignorat causam, sed per-  
„sonas, & personas nescit, ut integerrime  
„dijudicet causam; cum enim, ait S. Ber-  
„nardus, recordabitur, quam misericorditer  
„se gesserit erga homines, & quod illi hæc

„ omnia contempserint, magis indignabitur.,  
 Audiamus quoque hac super re S. Augusti-  
 num quid sentiat? hic Ecclesiæ Doctor prorsus  
 egregius, ac insignis L. 3. de symbolo sic lo-  
 quitur: „ ille Judex nec gratia prævenitur,  
 „ nec misericordia jam flectitur, nec pecunia  
 „ corrumpitur, nec satisfactione, nec pœni-  
 „ tentia mitigabitur, hic dum tempus habet,  
 „ agat anima pro se, quamdiu locus est mise-  
 „ ricordiæ, quia ibi erit locus justitiæ., Et  
 ideo ipsemet Antistes hic Hypponensis hunc  
 strictissimum Judicem reformidans ajebat L. 10.  
 Confess. c. 17. multum vereor occulta mea,  
 quæ norunt oculi tui, non mei; eapropter  
 mellifluus Doctor serm. 55. in Cant. omnes  
 serio adhortatur hisce verbis: „ timendum,  
 „ ne in tam subtili examine multa judicentur  
 „ peccata, quæ putantur virtutes; quod  
 „ enim justitia est hominibus, abominatio est  
 „ ante Deum, & sæpe fordet in conspectu  
 „ Judicis, quod in oculis fulget operantis.,  
 & tu, o Christiane, sine omni anxietate, sine  
 omni sollicitudine, absque omni cura salutis,  
 sine timore vivis? peccas quotidie, nec te  
 emendas, & strictissimum Judicem non metuis,  
 videbis aliquando *filium hominis venientem in*  
*nubibus cæli cum virtute multa, & majestate.*  
 qui intima cordis tui consilia manifestabit,  
 expergiscere, quis quis es, de tuo peccatorum  
 lethargo, auribus tuis fortiter inclamat vene-  
 rabilis Thomas Kempensis L. 1. c. 24. *o mi-*  
*ferrime, & insipiens peccator, quid respondebis*  
*Deo, omnia mala tua scienti?*



P A R S II.

*Et severissimus peccatorum vindex.*

**P**ercepistis Deum in extremo judicio fore Judicem omnium strictissimum, ac ipsam quoque Jerusalem. justas intelligo animas, in laternis scrutaturum. Et quid ultra? hoc sane, quod erit severissimus quoque peccatorum vindex; tunc enim homines, ait S. Gregorius in Matth. 14. „ in Majestate visuri sunt, quem „ in humilitate videre noluerunt, ut tanto di- „ strictius virtutem sentiant, qui cervicem „ cordis ad ejus præsentiam non inclinant. „ In illo magno judicii die Deus severissimus scelerum vindex implebit, quod per os S. Pauli minabatur: *mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.* Rom. 12. v. 19. tunc in illo die teste Psalmista Ps. 49. v. 3. *ignis in conspectu ejus extirdescet, & in circuitu ejus tempestas valida.* Tunc in illo die Christus non vocabitur Jesus, sed aliud nomen habebit, at quodnam illud? *voca nomen ejus absque misericordia, quia non addam ultra misereri.* Ose. 1. v. 6. perscrutemini sanctum Evangelium, & bene menti vestræ imprimite parabolas, ut in veritatem severi vindicis Dei veniatis, legetis Matth. 25. v. 30. quod Dominus servum inutilem strictissima poena multaverit, dicens: *inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium.* O homo Christiane idem judicium, eadem sententia te expectat, si servus nequam fuisti Domino Deo tuo, judicaberis,


ris, & condemnaberis. Legite insuper sacrum Evangelium, & perpendite, quid acciderit homini sine veste nuptiali ad nuptias venienti, dixit Rex ministris: *ligatis manibus, & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores.* Matth. 22. v. 13. o peccator, si ad iudicium universale compareas sine veste nuptiali gratiæ, & charitatis, severissimus vindex Deus suis justitiæ ministris dicet, ut te ligatis manibus, & pedibus mittant in tenebras exteriores, in infernum, in quo ait S. Gregorius super Matth. 8. „erit frigus intolerabile, ignis „inextinguibilis, vermis immortalis, foetor „intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella „cædentium, horrida visio dæmonum, con- „fusio peccatorum, desperatio omnium bonorum; erit enim miseris mors sine morte, „defectus sine defectu, quia mors ibi semper „incipit, & deficere nescit.„ Tunc percipies sententiam Judicis severissimam: *discedite a me maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. v. 41. audi, quid S. Bernardus hæc ponderans loquatur in quodam sermone: „ prius benedicti „vocabuntur in regnum, quam maledicti in „caminum ignis dejiciantur æterni, quo videlicet acrius doleant videntes, quid amiserint, & justi videbunt, & lætabuntur „considerantes, quid evaserint.„ Bene proin imprimenda sunt memoriæ verba S. Gregorii in L. moral. „electos Dei cernimus, & pia „agere, & crudelia tolerare, hinc ergo coligitur districtus Judex, quanta illic feriat „districtione, quos reprobat, si hic cruciat, „quos

„ quos amat. „ Jam quæro te, o Christiane, an tibi hæc omnia, quæ modo audisti de Deo vindice severissimo, non incutiant terrorem, si Paulus adhuc Saulus factus est *tremens, ac stupens*. Act. 9. v. 6. dum audivit vocem de cœlo dicentem: *ego sum Jesus, quem tu persequeris*. v. 5. qui tamen ei fuit Pater misericordiæ, qualis te terror obruet, si audieris vocem non jam Patris misericordiæ, sed vindicis severissimi? ille ipse dicet: *ego sum Jesus, quem crucifixisti, quoties offendisti, ego sum Jesus, quem tu persecutus es, ego sum Jesus Redemptor tuus, cujus sacramenta spreveristi, ego sum Jesus, cujus inspirationibus non obtemperasti, ego sum Jesus antea maximus tuus Benefactor, sed jam severissimus scele- rum tuorum vindex.*

Justissime Judex, præoccupemus faciem tuam in confessione peccatorum nostrorum, non intres in iudicium cum servis, adimple- bimus præceptum tuum: *vigilate, quia nescitis, qua hora filius hominis veniet*. Matth. 24. v. 42. severissime vindex, hic ure, hic seca, hic lania, hic crucia, dummodo in æternitate parcas, sic speramus te nobis fore non stri- ctissimum Judicem, aut severissimum vindi- cem, sed benignissimum datorem æternæ gloriæ. Amen.







### QUÆSTIO SACRA III.

*Quomodo Sol, & Luna mystica, nempe  
Christus, & Maria obscurabuntur in  
illo extremo iudicio?*

#### RESPONSIO CONCIONATORIA.

Sol, & Luna mystica in extremo iudicio obscurabuntur, 1. quia tunc Christus non erit reprobis misericors Pater, 2. nec Beatissima Virgo Maria misericordiae Mater.

#### T H E M A.

*Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.  
Matth. 24. v. 29.*

**D**ies iræ, calamitatis, & miseræ erit iudicii extrema dies, dies erit desolationis, dies tribulationis magnæ, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet, sane virtutes cœlorum commovebuntur, stellæ cadent de cœlo, ac ipse *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.* Hoc idem autem, quod Evangelista memorat de Sole & Luna naturali, pii Ascetæ intelligi volunt ad maiorem miseræ cumulum de Sole, & Luna mystica, videlicet de Christo, & B. V. Maria; ille siquidem, qui in sua incarnatione nobis ortus est velut *Sol iustitiæ*, Malach. 4. v. 2. tenebras induet, *Sol obscurabitur, & Beatissima Virgo Maria, quæ est pulchra ut Luna.*

*Luna.* Cant. 6. v. 9. Luna plena, quia gratia plena, Luc. 1. v. 28. tunc non dabit lumen suum. Quæritur jam, quomodo Sol & Luna mystica, Christus, & Maria obscurabuntur in illo extremo judicio? subjicio responsionem dicens: Sol & Luna mystica in extremo judicio obscurabuntur, 1. quia tunc Christus non erit reprobis misericors Pater, 2. nec Beatissima Virgo Mariæ misericordiæ Mater.

P A R S I.

*Christus in extremo judicio non erit reprobis  
misericors Pater.*

**I**n extremo judicii die non erit amplius tempus miserendi, quia tunc Christus reprobis non apparebit ut misericors Pater; illos enim ut Judex severissimus terribili hac voce, quæ erit penetrabilior omni gladio ancipitri, increpabit: *quia vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Prov. 1. v. 24. & 26. qui nunc in tempore erat promptissimus ad exaudiendas supplicum preces, in illo die occludet aures paternæ misericordiæ: *tunc invocabunt me, & non exaudiam,* v. 28. quod jamdiu vaticinatus est Propheta regius Psal. 31. v. 5. & 6. *tu remisisti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno, veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Notate verba, *in diluvio aquarum multarum &c.* in diluvio extremi judicii, quando omnes miseria-

riarum, & calamitatum aquæ concurrent, non approximabunt preces ad Christum, qui non erit amplius misericors Pater, sed ut Judex severissimus separabit reprobos tanquam hædos ab ovibus suis tam formidabili voce, ut statim sint abituri in gehennam ignis: *ibunt hi in supplicium æternum.* Matth. 25. v. 46. Observate super hunc textum, eos a dæmonibus ad æterna supplicia non fore pellendos, sed ipsimet *ibunt*, non cogentur: *ibunt*, ait Celada, quia supremi Judicis vultum jam amplius sustinere nequeunt, ecce! Christus in extremo judicio non erit misericors Pater. Si Ananias audiens irati Petri verba cecidit, & exspiravit, Act. 5. v. 5. quid erit, si reprobi in extremo judicio audient verba irati Judicis? Si Christus in monte Oliveti hac voce: *ego sum.* Joann. 18. v. 6. prostrabat milites, quid erit in die judicii, in quo rugiet, ut leo? ipsemet enim ait apud Prophetam suum Oseam c. 13. v. 7. *ero eis quasi leæna, occurram eis quasi ursa raptis catulis.* Nec a proposito nostro alienum erit id, quod narrat Raderus de quodam Principe in Peru, hic petiit, ostendi sibi a quodam Christiano captivo Jesum crucifixum, in quem conspuens dicebat: *hiccine est Deus Christianorum?* & ecce! Crucifixus faciem suam vertit in alteram partem, & oculos in Principem, ceterosque adstantes, modo tamen ita formidabili, ut omnes præter Catholicum, qui crucifixum in manibus tenebat, præ terrore in terram ceciderint, & per tres horas sine sensu, & spiritu

ut



ut mortui jacuerint: si tam terrificus fuit ille aspectus imaginis Christi Redemptoris, quis erit aspectus illius, ut severissimi Judicis in die judicii? Et tu, o peccator audes, toties tuis peccatis denuo crucifigere Christum? quid respondebis, cum in die judicii venerit judicare vivos, & mortuos, & te per ignem æternum? tu a Patre hoc misericordiarum luxuriose vivendo toties recedis, & in sacro tribunali ab hoc clementissimo Patre rursus reciperis in filium, indueris stola charitatis, ac præparatum in sacra Eucharistia convivium invenis, crede, in die judicii, si tunc primum resipiscere velis, non erit tibi amplius misericors Pater.

P A R S II.

*Nec Beatissima Virgo Maria misericordiae Mater.*

**V**erum magis adhuc augere videtur miseriam, cum mystica Luna Maria in illo judicii die non dabit lumen patrocini sui, nec erit amplius misericordiae Mater; tunc enim implebitur illud, quod in libris Jud. legitur: *stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Jud. 5. v. 20. In illo die stellæ clarissimæ, Sancti omnes, & magnum illud Luminare Maria adversus Sisaram, id est, reprobos pugnabunt, nec eis lumen protectionis suæ subministrabunt: occurrit præclara rei hujus figura in sacris literis: Aman, postquam Assueri Regis gratia exciderat, sup-  
pli-

plicio imminenti se subtrahere nitebatur per intercessionem Reginæ Esther, at illa subito respondit: *hostis, & inimicus noster pessimus iste est Aman, quod ille audiens illico obstupuit, vul-tum Regis, ac Reginæ ferre non sustinens.* Esth. 7. v. 6. nonne impius Aman figura est reprobi, qui in protectione cœlestis Reginæ, cujus typus Esther erat, confidebat? at illudatur, in illo die Luna hæc Regina cœlorum non dabit amplius lumen auxilii sui; eandem quippe tunc sentiet sortem reprobis, quam expertæ sunt virgines fatuæ, quæ a reliquis virginibus oleum impetrare non potuerunt instante jam adventu sponsi, qui dicebat eis: *clausa est janua*, Matth. 25. v. 10. adveniente tunc cœlesti sponso nullus a Regina Virginum Beatissima Virgine impetrare poterit oleum misericordiæ; ipsa namque B. Maria, quæ modo vocatur janua cœli, tunc omnibus claudetur, nec erit amplius Mater misericordiæ: & sicut in tanta multitudine convivarum nullus deprecabatur pro eo, qui sine veste nuptiali comparuit, Matth. 22. ita ait N. Sylveira, in die judicii nec ipsa Beatissima Virgo reprobis misericordiam exorabit. Pro majori dictorum confirmatione percipite, quod narrat P. Alphonsus Andrada: vixerat Toleti in Hispania pia & sancta quædam virgo, quæ in sua oratione extasin passa videbat aliquando Christum sedentem ad judicium, & ferentem damnationis sententiam adversus impium quemdam juvenem illius civitatis, miser obtinet adhuc gratiam apud Judicem, quia

quia albo cujusdam confraternitatis Marianæ erat insertus, proin ei Beatissima Virgo, quam tenui quadam veneratione colebat, a Judice triginta dierum inducias ad agendam poenitentiam impetrabat, postea Christus ad hanc piam Virginem conversus præcepit, ut ad virum quemdam Religiosum pergeret, qui hunc juvenem hortando a viis suis pessimis averteret, fecit hoc devota Virgo, cum vero Pater ille huic visioni fidem attribuere cunctaretur, ipsemet Christus eidem apparens manifestabat huic Virgini secreta cordis Patris hujus, accedit rursus pia mulier ad eundem Patrem, revelat ei sua intima, sicque eum permovit, ut fidem haberet visioni, & revelationi: ergo Pater de salute juvenis hujus sollicitus eundem sibi obvium ducit seorsim, narrat ei omnia, & persuadet ad peragendam confessionem generalem, sed juvenis hic proxima occasione non evitata idem repetit peccatum, confitetur iterum, ast repetitis vicibus cadens mutat Confessarium. Hic tamen Pater ejus conversioni invigilans ejusdem domum adit, accessum tamen ad juvenem non obtinet, jam ecce! poena instat, ultima adhuc nocte peccat adolescens, obruitur subito gravibus corporis doloribus, furit, & in desperationem actus moritur, nec amplius invenit Mariam ut Advocatam, sed ut Lunam versam in sanguinem, quæ ei non amplius dabat lumen misericordiæ suæ. Jam conclude, o Christiane homo, quanta tunc miseria opplebitur peccator, si nec matrem



miseriordiæ habeat sibi propitiã, quæ tamen modo totum nostrum solatium est, & refugium: o peccator necdum despera, in tempore implora ejusdem præsidium; in hac enim lacrimarum valle degentibus Maria adhuc est mater, & refugium peccatorum.

Præoccupemus igitur faciem Christi in confessione, qui demum in extremo judicio non erit Pater misericors, accedamus modo ad illum omnes invitantem: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. II. v. 28. Curramus in tempore ad B. V. Mariam, quia in die judicii non erit amplius Mater misericordiæ, rogemus, ut tanquam Luna plena copiosam suarum gratiarum lucem in nos effundat, & nobis post hoc exilium ostendat Jesum benedictum fructum ventris sui tanquam Mater clemens, & pia Virgo Maria. Amen.





# INDEX MATERIARUM.

## A.

- Amici.* ficti sunt fugiendi. pag. 146 &c.  
- - & quidem plus, quam manifesti inimici. 148 &c.  
- - fictorum amicorum indoles. 146 &c.  
- - ficti amici sunt potius inimici. 148 &c.  
*Amor Dei.* vide *Dilectio Dei.*  
*Amor proximi.* vide *Dilectio proximi.*  
*Anima hominis.* est opus Dei mirabile. 453  
- - & præ ceteris creaturis nobile. 455  
- - ejus pulchritudo. 454

## B.

- Beneficia.* sunt grato animo recolenda. 225 &c.  
- - & pro viribus compensanda. 228 &c.  
- - ob beneficia Deus est diligendus. 344 &c.

*Index Materiarum.*

C.

<i>Charitas Dei.</i> alta mysteria cognoscit.	pag. 37 &c.
<i>Charitas proximi.</i> per eam præveniendæ sunt preces proximi.	307 &c.
- - est exercenda.	307 &c. 442 &c.
- - cum patientia aliorum defectus suffert.	442 &c.
<i>Christus.</i> prævenit preces nostras.	305
- - in tribulationibus est noster auxiliator.	480 &c.
- - & optimus consolator.	482 &c.
<i>Cælestia.</i> prius sunt quærenda.	299 &c.
<i>Communio sacra.</i> sumenda est frequenter,	49 &c.
- - & ferventer.	53 &c.
<i>Concordia.</i> per eam est proximus diligendus.	260 &c.
<i>Confessio.</i> culpas fateri oportet, & quidem humiliter,	100 &c.
- - ac candide.	102
<i>Conscientia.</i> examen conscientiaë faciendum frequenter,	72 &c.
- - & diligenter.	75 &c.
<i>Contumelia.</i> est malum grave.	113 &c.
- - gravissima poena dignum.	115 &c.
<i>Cor.</i> cor mundum exigit Spiritus sanctus.	5
<i>Correctio, seu correptio proximi.</i> est facienda opportuno tempore,	335 &c.
- - & cum mentis mansuetudine.	338 &c.
- - est excipienda in silentio.	402 &c.
- - nec se oportet excusare.	404 &c.
<i>Cura minimorum.</i> est habenda.	293 &c.



*Index Materiarum.*

D.

- Defectus.* aliorum defectus videre est magna cæcitas. pag. 324 &c.  
- - maxima cæcitas non videre proprios. 326 &c.  
- - aliorum defectus sunt sufferendi. 442 &c.
- Desideria bona.* ad effectum non deducta nil juvant. 154
- Detractio.* Detractores multum nocent proximo, 434 &c.  
- - plus sibi. 436 &c.  
- - Detractionis turpitude. 434 &c.
- Deus.* Dei misericordia vult salutem omnium, 57 &c.  
- - & omnibus salutis media confert. 60 &c.  
- - Deus misericordiam exhibet bonis, 127 &c.  
- - & malis. 129 &c.  
- - Dei misericordia in dandis auxiliis sufficientibus. 192 &c.  
- - ejusdem justitia, si homo eis non bene utitur. 194 &c.  
- - est Leo, & simul Agnus, & quomodo. 198  
- - Dei offensæ sunt vindicandæ. 199  
- - Deus ob beneficia est diligendus. 344 &c.  
- - Dei misericordia in vocando. 395 &c.
- Dies extremi judicii.* vide *Judicium extremum.*
- Dies Dominica.* sancte est observanda. 331 &c.  
- - varia ejus nomina. 331 &c.

## Index Materialiarum.

<i>Dies festivi.</i> in eis faciendum omne bonum,	pag. 330 &c.
- - & omne malum omittendum.	332 &c.
<i>Dilectio Dei.</i> diligendus est Deus.	251
- - est solus diligendus.	252 &c.
- - est super omnia diligendus,	254 &c.
- - & in omnibus.	257
- - est diligendus, quia amabilis in se,	341 &c.
- - & amabilis nobis.	344 &c.
- - est diligendus unice,	347 &c.
- - & efficaciter.	350
<i>Dilectio proximi.</i> est necessaria.	259
- - proximus est diligendus per concordem charitatem,	260 &c.
- - & per sinceram pacem.	262 &c.
- - est diligendus propter Deum,	354 &c.
- - & post Deum.	357 &c.

## E.

<i>Electio.</i> pauci sunt electi.	388 &c.
- - quid faciendum, ut simus electi?	394 &c.
<i>Eleemosyna.</i> misero est danda,	133 &c.
- - licet pro eleemosyna non supplicet.	136 &c.
<i>Eucharistia.</i> confert benedictionem spiritualem,	41 &c.
- - & temporalem.	44 &c.
- - ad eam accedendum est frequenter,	49 &c.
- - & ferventer.	53 &c.
	<i>Exa-</i>

*Index Materiarum.*

*Examen conscientiae.* vide *Conscientia.*

*Excusatio.* non est afferenda, dum corri-  
pimur. pag. 404

*Exemplum.* exempla mala trahunt alios  
quoque ad malum. 427 &c.

- - bona exempla trahunt ad bo-  
num. 430 &c.

- - bonum exemplum omnibus est  
dandum. 440 &c.

F.

*Festivi Dies.* vide *Dies festivi.*

*Fidelitas.* Deo est servanda. 447 &c.

*Fides.* sit simplex. 28 &c.

- - non scrutatur credenda. 30 &c.

*Filii.* Filii hujus sæculi magis curant ter-  
restria, quam Filii lucis cœlestia. 180 &c.

G.

*Gaudium.* cum gaudio Deo est sacrifican-  
dum. 450 &c.

*Gratitudo.* Benefactori est exhibenda. 225

- - pro viribus Benefactori compensat  
beneficia. 228

- - gratitudinis munera. 228 &c.

H.

*Hilaritas.* hilaritas animi est servanda. 450 &c.

*Humilitas.* cognoscit maxima mysteria. 34

- - fatetur culpas, 100 &c.

- - & quidem candide. 102 &c.



## Index Materiaram.

<i>Humilitas.</i> humilitas est semper exer-	pag. 444 &c.
- - cenda.	
- - nos subjicit Superioribus.	473 &c.
- - paribus,	475 &c.
- - & inferioribus.	477 &c.

### I.

<i>Jejunium.</i> percipit Dei mysteria.	140 &c.
<i>Infernus.</i> ejus miseria.	490
<i>Infirmetas.</i> infirmitates proveniunt ex	
- - peccato.	362 &c.
- - infirmitas corporis prodest ani-	
- - mæ.	371 &c.
<i>Ingratitudo.</i> eam abominatur Deus,	279 &c.
- - & homo.	282 &c.
<i>Intemperantia.</i> non percipit divina myste-	
- - ria.	142
<i>Intentio bona.</i> sine ea nil placet Deo.	86 &c.
- - cum ea omnia Deo placent.	89
<i>Judicium.</i> Judicium hominum plerumque	
- - fallibile,	79 &c.
- - & judicio Dei injuriosum.	82 &c.
- - judicium temerarium ex se est gra-	
- - ve peccatum.	375 &c.
- - judicium temerarium est plerum-	
- - que falsum.	378 &c.
<i>Judicium extremum.</i> Judicii extremi dies	
- - erit tremenda.	165
- - dies iræ, calamitatis, & mise-	
- - riæ.	168 &c.
<i>Judi-</i>	

*Index Materiarum.*

- Judicium extremum.* in die judicii ratio  
reddenda est Deo Judici justo, &  
severo. pag. 172 &c.
- - rigor judicis divini in judicio ex-  
tremo. 172 &c.
  - - reddenda erit tunc ratio ab ho-  
mine reo. 174 &c.
  - - judicii dies sæpius in memoriam  
est revocanda. 175 &c.
  - - judicium extremum, quare sit ti-  
mendum? 485
  - - in eo Deus erit strictissimus Ju-  
dex, 486 &c.
  - - & severissimus peccatorum vindex. 489
  - - in die judicii Christus non erit re-  
probis misericors Pater, 493 &c.
  - - nec Maria Mater misericordiæ. 495 &c.
- Justitia christiana.* quid sit? 106
- - non est quærenda in oculis homi-  
num, 106 &c.
  - - sed Dei. 109 &c.
- Justitia Dei.* vide *Deus.*
- Justus.* vivat in incertitudine salutis, &  
timore. 219 &c.

L.

- Labor.* est homini necessarius. 85
- Lacrimæ.* lacrimæ Christi quid signifi-  
cent? 185 &c.
- - lacrimæ sunt fundendæ pro pecca-  
tis. 186

## *Index Materiaram.*

<i>Lacrimæ.</i> sint piæ.	pag. 186 &c.
- - sint quotidianæ.	188 &c.
- - earum vis, & effectus.	186 &c.
<i>Lectio spiritualis.</i> ejus utilitas.	245
- - illuminat intellectum ad rerum di- vinarum cognitionem.	245 &c.
- - voluntatem inflammat ad Dei amo- rem.	248 &c.
<i>Lepros.</i> corporalis, & spiritualis.	266 &c.
<i>Loqui.</i> loquendum raro, vere, & ponde- rose.	232 &c.

### M.

<i>Manfuetudo.</i> manfuetudo mentis est ser- vanda, præsertim in correctione pro- ximi.	338 &c.
<i>Maria.</i> quare dicatur rosa mystica?	443
<i>Misericordia Dei.</i> vide <i>Deus.</i>	
<i>Mors.</i> vix orimur, morimur.	407 &c.
- - vita nostra mors est dicenda.	411 &c.
- - mortis memoria facit hominem mori peccato,	415 &c.
- - & vivere Deo.	417 &c.
<i>Mundus.</i> quomodo ei serviatur.	180
- - ejus vanitas.	273 &c.
- - mundus est contemnendus.	303 &c.
<i>Mysteria divina.</i> percipiuntur a tempe- rantibus.	140 &c.
- - secus a temulentis.	142 &c.

O. Ocu-



*Index Materialium.*

O.

- Oculus.* oculorum incauta evagatio est  
summopere noxia. pag. 205 &c.  
- - sunt oculi scopuli. 205 &c.  
- - oculorum custodia est necessaria. 207 &c.  
*Offensa.* offendentes offensis humiliter de-  
precentur. 119 &c.  
- - offensi offendentibus libenter igno-  
scent. 122  
- - offensæ Dei sunt vindicandæ. 199 &c.  
- - offensæ humanæ tolerandæ. 201 &c.  
*Opera.* requiruntur ad salutem. 153 &c.  
- - opera externa sine internis nil ju-  
vant. 156 &c.  
- - cur Deus requirat bona opera a  
nobis? 158 &c.  
- - bona opera conservant gratiam  
Dei, 159 &c.  
- - & obtineat æternam gloriam. 161 &c.  
- - opera minima maximi Deus æsti-  
mat, 293  
- - & maxime remuneratur. 295 &c.  
- - opera bona a nobis requirit  
Deus. 463 &c.

P.

- Pœnitentia.* gaudium facit Christo, 65  
- - & facere potest pœnitenti. 68 &c.  
- - cito est agenda. 314 &c.  
*Patientia.* cum patientia offensæ huma-  
næ sunt tolerandæ. 201  
Pax.

## Index Materiaram.

<i>Spiritus sanctus.</i> est Dux in via,	pag. 9 &c.
- - & lux in tenebris.	11 &c.
- - effectus Spiritus sancti, qui facit ex hominibus malis bonos.	15
- - ex bonis meliores.	17 &c.
- - beneficia ab eo recepta.	289 &c.
<i>Superbia.</i> est malum detestabile.	212 &c.
- - ejusdem poenæ.	214 &c.
<i>Superiores.</i> Superiorum mala exempla trahunt & alios ad malum.	427 &c.
- - bona autem eorum exempla tra- hunt ad bonum.	430 &c.

## T.

<i>Taciturnitas.</i> vide <i>Silentium.</i>	
<i>Temperantia.</i> percipit divina mysteria.	140 &c.
<i>Tempus.</i> opportuno tempore est uten- dum.	335 &c.
<i>Temulentia.</i> vide <i>Intemperantia.</i>	
<i>Terræna.</i> postponenda sunt cœlestibus.	299 &c.
- - includunt multas misérias,	382 &c.
- - & excludunt a cœlo.	384 &c.
<i>Timor.</i> in timore salutis vivendum.	221 &c.
- - timor Dei conservat hominem in gratia.	318 &c.
- - semper in corde est retinendus.	318 &c.
- - præservat a peccato.	320 &c.
<i>Trinitas sanctissima.</i> beneficia ejus exhibi- ta hominibus	21

*Index Materiarum.*

<i>Trinitas sanctissima.</i> a sanctissima Trinitate	
homo habet totum esse,	pag. 21 &c.
- - & totum bene esse.	24 &c.
- - est adoranda in fide, simpliciter	
credendo.	28
- - mysteria sanctissimæ Trinitatis non	
sunt perscrutanda.	30 &c.
- - Sanctissimam Trinitatem cogno-	
scunt humiles,	34 &c.
- - & qui habent charitatem.	37 &c.
- - ei soli est serviendum.	285 &c.
- - a Patre habet homo conservatio-	
nem.	286 &c.
- - a Filio præsentiam in evcharistia.	288
- - a Spiritu sancto charitatem.	289 &c.

V.

<i>Verba.</i> sint rara.	232 &c.
- - sint vera.	234 &c.
- - sint ponderosa.	235 &c.
- - verba sine operibus non placent	
Deo.	460 &c.
<i>Verbum Dei.</i> percipiendum est a sobriis,	
& temperantibus.	140 &c.
<i>Veritas.</i> est amanda.	234
<i>Vindicta.</i> vindicandæ sunt offensæ divi-	
næ.	199
<i>Visitatio.</i> visitatio Christi proficua.	191
<i>Vita.</i> vitæ humanæ vanitas.	272 &c.
- - ejus brevitatis.	275 &c.
<i>Vita.</i>	



*Index Materiaram.*


<i>Vita.</i> pauci vivunt pie.	pag. 388 &c.
- - multi impie.	391
- - vita hominis brevis vita est.	408 &c.
- - imo continua mors est.	411 &c.
- - vivendum est Deo.	417 &c.
- - quomodo vivendum in hoc sæculo?	439
- - vita sit ordinata.	440 &c.
<i>Unitas.</i> vide <i>Concordia</i> , vel <i>Pax</i> .	
<i>Vocatio.</i> divinam vocationem homo ve- lociter sequatur.	398 &c.
<i>Votum.</i> vide <i>Promissio</i> .	


**Z.**

<i>Zelus Dei.</i> ferveat in nobis.	199 &c.
- - exempla eorum, qui Zelum Dei habebant.	199 &c.

Omnia ad majorem Dei, Dei-  
paræque Virginis Mariæ honorem,  
& gloriam.











00042606

